[illegible]

DE SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE,

DE EPISCOPORVM RESIDENTIA, ET BENEFICIORVM PLVRALITATE,

GRAVISSIMORVM AVCTORVM COMPLVRIVM OPVSCVLA ad Apoſtolicæ Sedis dignitatem maieſtatemq́; tuendam ſpectantia.

Omnia nunc primum in unum collecta, congrueq́; digeſta, ac in duos Tomos diuiſa.

Acceſsit Quæſtionum, & capitum quæ in his continentur. Elenchus.

Auctorum nomina, uerſa pagina ſeſe lectori obiiciunt.







VENETIIS,
EX OFFICINA IORDANI ZILETI.
M. D. LXII.

DE
SVMMI PONTIFICIS
AVCTORITATE,
DE EPISCOPORVM RESIDENTIA,
ET BENEFICIORVM PLVRALITATE,
GRAVISSIMORVM AVCTORVM
COMPLVRIVM OPVSCVLA
ad Apostolicæ Sedis dignitatem mã-
tenendam tuendamq; spectantia.



Quæ nunc primum in unum collecta, congruéq; digesta,
ac in duos Tomos diuisa.

Accessit Quæstionum, & capitum quæ in his continentur,
Elenchus.

Auctorum nomina, uersa pagina sese lectori offerunt.





VENETIIS,
EX OFFICINA IORDANI ZILETI.
M. D. LXII.

NOMINA AVCTORVM TOMI PRIORIS.

DE SVMMI PONT. POTESTATE

Diui Thomæ Aquinatis De summi Pontificis autoritate Quæstiones per D. Ioannem de Turre Cremata Cardinalem in Basiliensi Concilio in unum collectæ.

Thomæ de Vio, Caietani Cardinalis, de eadem potestate:
De primatu Romanæ Ecclesiæ.

De Synodorum differentia opuscula.

Iacobi Naclanti Episcopi Clugiensis, de eadem compendiaria narratio.

DE RESIDENTIA PASTORVM.

Thomæ de Vio Caietani Cardinalis, de Pastorum Residentia tractatus.
Bartholomæi Caranzæ de Miranda, Archiepiscopi Toletani de eadem, opusculum.
Iacobi Naclanti, Episcopi Clugiensis de eadem tract.
Dominici Sotho, Caroli. V. Cæsaris à sacris Confessionibus, de eadem, quæstiones.

NOMINA AVCTORVM TOMI POSTERIORIS.

Thomæ Campegij Episcopi Feltrensis, de Residentia opuscula.
Ambrosij Catharini Senensis Archiepiscopi Compsani, de eadē tractatus.
Francisci Torrensis, aduersus Chatarinum de eadem, opusc.
Eiusdem Catharini aduersus Torrensem pro eadem, Responsio.
Eiusdem Torrensis aduersus Catharinum pro eadem, Antapologeticum.
Eiusdem Torrensis de eadem opusc. & de commendatione Ecclesiarum.
Leonardi Veneti, Canonici Regularis, de eadem Tract.

DE BENEFICIORVM PLVRALITATE.

Diui Thomæ Aquinatis, de pluralitate præbendarum sententia.
Cardinalis Caietani super ea explicatio.
Dominici Soto de eadem, quæstio subtilißima.
Eiusdem D. Thomæ super hac re, Consilium.
Canonistarum de eadem explicatio.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. IOANNI Morono S. R. E. Cardinal. amplifs.

Frater Remigius Florentinus Ordinis Prędicatorum Theolog.


S. P. O.



OLENT, qui fertum quoddam, Illuftrifs. ac Reuerendifs. Domine, fiue in Deorum munus, fiue in cuiufdam uictorię fignum contexere ftudent, uarij coloris flores, uarijs ex pratis colligere, ac in confufum adactos aceruum, pulchriores inde fecernere, illisq; in coronæ modum ligatis, uel Deorum aras ornare, uel uictoris tempora cingere. Ego uero, qui noftra hac tempeftate, plura in dubiū ac quæftionem uocari contueor, tanquàm non piè difcuffa, uel non determinata perfectè, horum Scriptorum illuftrium flores, qui pafsim difperfi marcebant, ex multorum aceruo felectos, in unum texendos curaui, ut qui Summi Pontificis auctoritatem fanctè tueri, & Paftorum refidentiam iuris uel effe, uel non effe diuini difceptare percuperent, unde id commode fieri poffet, haberent, ac tandem ut ferto hoc, Summus Pontifex, Iefu Chrifti Domini noftri in terris Vicarius, fupremo afficeretur honore, & inter tot pro Refi den-

dentia decernentes, capita decorarentur uictorum. At quia pleriq; ex clarissimis his uiris, ex prædicatorum cætu, cuius tu meritò nuncuparis Protector, ad Episcopatus, Cardinalatusq; culmen fuerunt asciti, ideo ipse, qui in eadem quoq; famili a, minimum me esse confiteor, coronam hanc iure tibi dicandam decreui, ut cognosceres (quod tibi ignotum non reor) quos ædat Dominicana partus Religio, meq; uel facie ignotum, in tuorum Clientum numero hilari fronte conscriberes, cui Deum Opt. Max. propitium semper imploro

Vale.



INDEX OMNIVM CAPITVM, AC QVAESTIONVM, QVAE IN HOC PRIORE VOLVMINE continentur.

Vtrum

INDEX CAPITVM tractatus de comparatione authoritatis papæ & concilij. Domini Thomæ Caietani, Card. S. Xisti.

so

INDEX CAPITVM TRActatus Apologiæ de potestate papæ & concilij.

INDEX CAPITVM SEcundæ partis Apologiæ.

INDEX CAPITVM TRACTATUS DE PRINCIPATU. RO. PŌ.

INDEX CAPITVM, quæ in libris de pastorũ Residentia continentur.

Elenci prioris Tomi finis.

alium
l.193
is con
a.
l.196
siden
ur no
199
r re-
207
tur
tis.
08
pos
ve-
10
s.
7
t
r
r
e
s

DE SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE, QVAESTIONES OMNES D. THOMAE, IN VNVM COLLECTAE

PER REVERENDISS. D. IOANNEM DE TVRRE CREMATA TT. SANCTI SIXTI PRESBITERVM CARDINALEM,

VNVM EX PATRIBVS BASILIENSIS

Concilij, omnibus quidem utiles, Sed ijs præser- tim, qui Ecclesiam tueri uolunt.





ANDASTI Reuerendiſsime Pater & domine præſtantiſsime, D. IVLIANE, digniſsime presbyter Cardinalis, ut ea quę de Summi Pontificis poteſtate glorioſus Doctor Sãctus Thomas de Aquino ſparſim in ſuis ponit operibus; in unum colligerem tractatulum, In quo pro naſcentibus difficultatibus, Circa Romani Pontificis ſingularem autoritatem, Reuerendiſsima Paternitas Veſtra poſſet ſine laborioſa multorum reuolutione librorum, huius ſplendidiſsimi doctoris ad manum habere ſententias. Optaſſem planè hoc onus, aut ſtudioſiori uiro, cui familiarior eſſet præfati Doctoris doctrina fuiſſe iniũctum, aut alio clariori tempore mihi, in quo laborioſiori animo, & ſollicitudine magis integra perſcrutationi tantorum librorum uacare potuiſſem. Verum quia omnino ita metuendiſsime ueſtræ paternitati placuit, ut hoc per me nunc fieret, mandata dominationis ueſtræ reuerenter complexus; ſequentes ſẽtẽtiarum flores eiuſdem Beatiſsimi Doctoris Thomæ librorũ, quos nunc ſatis perfunctorie tranſcurrere potui, in hunc codicillum, tanquàm in unum manipulum florum collegi. Qui ut gratior ueſtrę redderetur paternitati Reuerendiſsimę, & aptius redoleret eius utilitas, formatis circa ipſam auctoritatem titulis ſeptuaginta trium quæſtionum, quibus ex præfati Sancti Doctoris libris ſa-

tis fieri reperiam, ante nominatos sententiarum flores per modum responsionum ordine debito seruato, contextui.

QVAESTIO I.

VTRVM SVPER EPISCOPOS ALIQVIS *dandus sit superior in Ecclesia.*

AD hanc quæstionem respondet Sanctus Thomas affirmatiue, quòd sic in multis locis, primò in 4. sententiarũ di.24. q. ultima, ubi rationem assignans ita loquitur. Vbicunque sunt multa ordinata in unum; oportet esse aliquod uniuersale regimen super particularia regitiua, quia in omnibus uirtutibus & artibus, (ut dicitur in primo Ethic.) est ordo secundum ordinem finis, bonum autem commune est diuinius quàm bonum speciale, & ideo supra potestatem regitiuam quę cõmunicat bonum speciale, oportet esse potestatem regitiuam uniuersalem, respectu boni communis, alias non potest esse colligatio ad unũ, Et ideo cum ecclesia sit unum corpus, oportet si ista unitas debeat seruari, ꝙ sit aliqua potestas regitiua respectu totius ecclesię, supra potestatem episcopalem, qua unaquæq; specialis potestas ecclesiæ regitur. Et hæc est potestas papæ, & ad argumentum quo sic arguitur in oppositum, quòd omnes Episcopi, sunt Apostolorum successores, licet potestas quæ est data uni Apostolorum scilicet Petro, Matth. 16. etiam data est omnibus Apostolis Io. 20. Igitur omnes Episcopi sunt pares & unus non est super alterum. Respondet Sanctus Thomas in eodem loco sic, quòd quãuis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi & soluendi, tamen in hac potestate, ut ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est, ut ostẽdatur quòd ab eo debet ista potestas descendere, propter quod etiam ei dixit singulariter. Cõfirma fratres tuos, & pasce oues meas. i. loco mei, ut dicit Chrisostomus, Præpositus & caput es fratrũ, ut ipsi te in loco meo assumant, ubique terrarũ te in throno tuo sedentem prædicent, & confirmẽt. Cæterum, secundò ad eandem quæstionem inducit idem Doctor Sanctus plures rationes contra gentiles cap. 76. ubi ita ait; Manifestum est autem quòd quàmuis populi per diuersas dioceses & ciuitates distinguantur, tamen sicut est una ecclesia, Ita oportet esse unum populum Christianum. sicut igitur in uno speciali populo Christi requiritur unus Episcopus,

qui sit totius populi caput. Ita in toto populo Christiano requiritur quòd sit unum totius ecclesiæ caput. Item ad unitatem ecclesiæ requiritur quòd omnes fideles in fide conueniant, Circa ea uerò quæ fidei sunt, conuenit quæstiones mouere. per diuersitatem autem sententiarum diuideretur ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conseruaretur. Exigitur igitur ad unitatem ecclesiæ conseruandam, ꝙ sit unus qui toti ecclesiæ præsit, Manifestum est autem, quòd Christus ecclesiæ non defuit in necessarijs quam dilexit, pro qua sanguinem suum fudit, Cúm & de synagoga dicatur per dominũ, Quid ultra debui facere & nõ feci uineæ meæ Isa. 4. Nõ est ergo dubitandũ, quia ex ordinatione Christi, unus toti ecclesiæ præsit, Adhuc nulli dubiũ debet esse, quia ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum, utpote per eum dispositum per quem Reges regnant, & legum conditores iusta diffiniunt, Opportunum autem regimen multitudinis est, ꝙ regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, quod est pax, pax enim & unitas subditorum est finis regentis. unitatis autem causa congruentior est unus quàm multi, Manifestum est ergo regimen ecclesiæ sic esse dispositum; ut unus toti ecclesiæ præsit. Amplius, ecclesia militans a triumphanti ecclesia per similitudinem deriuatur, unde & Io. in Apoc. uidi Ierusalem descendentẽ de cœlo & Moisi dictum est, quòd faceret omnia secundũ exemplar quod ei in monte monstratum est, In triumphanti autem ecclesia unus præsidet in toto uniuerso scilicet Deus, dicitur enim Apoc. 21. Et ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus, Ergo & in ecclesia militante, unus est qui præsidet uniuersis. Hinc est, ꝙ Ioel. 1. dicitur, Congregabuntur filij Iuda & filij Israel, pariter & ponent sibi caput unum, & Dominus dicit Io. 10. Et fiet unũ ouile & unus pastor. si quis dicat quod unus pastor, & unum caput est Christus, qui est unus & unius ecclesię sponsus, non sufficienter respondet, Manifestum est enim ꝙ omnia ecclesiastica sacramẽta ipse Christus perficit Ipse enim est qui baptizat, ipse enim est qui peccata dimittit, uel remittit, Ipse est uerus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, & cuius uirtute corpus eius quotidie in altari cõsecratur, & tamen quia corporaliter non cũ omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem ratione ergo, quia presentiam corporalẽ erat ecclesię subtracturus oportuit ut alicui cõmitteretur,

qui loco sui ecclesiæ gereret curã, Hinc est q̃ Petro dixit ante Ascensionem, Pasce oues meas Ioan. ultimo, & ante passionem, tu iterum conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. Et ei soli promisit, tibi dabo claues regni cœlorum, ut ostenderet potestatem clauium per eum ad alios deriuandam, ad conseruandã ecclesiæ unitatem, Hęc ille.

QVAESTIO II.

VTRVM PONTIFEX ROMANVS SIT PRIMVS *& maximus omnium Episcoporum.*

AD hanc quæstionem respondet Sanctus Thomas affirmatiue, in tractatu contra errores græcorum in ca. 66. ubi titulus talis est, Quòd Romanus Pontifex est primus & maximus inter omnes Episcopos, pro qua parte inducens auctoritates sic ait, q̃ enim Romanus Põtifex successor Petri & Christi Vicarius sit primus & maximus omnium episcoporũ, Canon concilii expressè ostendit sic dicens. veneramur secundum scripturas & canonum diffinitiones, sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum Primum esse & maximum omnium Episcoporum, Hoc autem consonat sacræ scripturæ, quæ inter Apostolos, Petro attribuit Primum locum tam in Euangeliis, quàm in actibus Apostolorũ, Vnde dicit Chrisosto. super Matth. super illud accesserunt discipuli ad IESVM dicẽtes. Quis maior est in regno cœlorum, quoddam humanum scandalum cõceperunt, quod ẽt in se iam occultare non poterant, & tumorem cordis non sustinebant in eo q̃ uiderant Petrum sibi præferri; & præhonorari.

QVAESTIO III.

VTRVM ROMANVS PONTIFEX EXISTAT *cæteris Patriarchis Prælatus.*

AD hoc respondet Sanctus Thomas in tractatu predicto in ca. 71. vbi ita dicit. Patet etiam quòd ipse Patriarchis Prælatus existat ex hoc, quòd Cirillus dicit. quòd ipsius scilicet Apostolici throni Romanorum Pontificum, solus est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & loco ipsius ligare qui ipsum ædificauit, Et Chrisostomus super actus Apostolorum dicit, quòd Petrus est veterum Sanctissimus beati

Aposto-

Apostolici chori, Pastor bonus. & hoc etiam patet ex autoritate domini dicentis Luc. 22. Tu aliquando conuersus; confirma fratres tuos.

QVAESTIO IIII.

VTRVM PAPA IN TOTAM ECCLESIAM CHRISTI *vniuersalem Prælationem habeat.*

AD quæstionem respondet Sanctus Thomas affirmatiue in prefato tractatu contra errores Græcorum in ca. 67. Vbi ita dicit, quòd predictus Christi Vicarius, in totam Ecclesiam Christi uniuersalem prelationem obtineat, legitur enim in Calcedonen. concilio, quòd tota Synodus acclamauit Leoni Papæ, Leo Sanctissimus Apostolicus, & ycumerilitos. i. vniuersalis Patriarcha, per multos annos uiuat. Et Chrisostomus super Mat. dicit, filius, quæ patris est, & ipsius filij potestatem Petro uniuersaliter concessit, ubique terrarum & homini mortali omnium quæ in cœlo sunt dedit auctoritatem dando eidem claues ad hoc, ut ecclesiam ubique terrarum amplificet & super Io. in Omel. 54. Iacobum localiter in loco determinat, Petrum autem totius orbis ordinat Magistrum & doctorem, Idem super actus Apostolorum Petrus à filio quę filij est accepit potestatem super omnes, non ut Moyses in gente una, sed in uniuerso orbe. hoc etiam trahitur ex auctoritate sacræ scripturæ, Nam Petro distinctè oues suas commisit Christus dicens, Io. ultimò, Pasce oues meas & Io. 10. vt sit vnum ouile & unus pastor.

QVAESTIO. V.

VTRVM ERROR SIT DICERE ROMANAE ECCLESIAE *Pontificem non habere vniuersalis ecclesiæ Primatum.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in antedicto tractatu contra errores Grecorum in ca. 66. Vbi sic dicit Similis autem error est dicentium Christi Vicarium Romanæ Ecclesiæ Pontificem, non habere uniuersalis Ecclesiæ primatum, errori dicentium, Spiritum sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christi Dei filius suam Ecclesiam consecrat, & sibi consignat

ſignat Spiritu Sancto, quaſi ſuo caractere & ſigillo, ut ex ſuppoſitis auctoritatibus manifeſtè habetur, & ſimiliter Chriſti vicarius ſuo primatu & prouidentia, uniuerſam Eccleſiã tanquàm fidelis miniſter Chriſto ſubiectam conſeruat; & ad illud quod dicitur di.99. in ca. nullus, Nullus Patriarcharum Vniuerſitatis uocabulo nunquàm utatur, & in ca. ſequenti, Vbi Gregorius prohibet ſe uniuerſalem uocari, Reſpondẽs ſanctus Thomas in tractatu contra impugnantes religionem ſic dicit. Qui autem Papa Vniuerſalem Pontificem ſe prohibet nominari, non hoc ideo eſt quòd non habeat auctoritatem immediatam & plenam in qualicunque Eccleſia, ſed quia non præficitur cuilibet particulari eccleſiæ ut proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ rector, ſic enim ceſſarent omnium aliorum pontificum poteſtates, & hoc capitulum inductum pro ratione inducit.

QVAESTIO VI.

VTRVM PAPA SIT SVPERIOR IN TOTA ECCLESIA.

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè, Patet primo ex iam dictis, ſed ſecundò hoc idem aſſerere uidetur in 4.di.15. Vbi quęrens an omnes teneantur ad ieiunium, Argumentando in 3. argumento dicit ſic, ſecundum Bernardum in libro de diſpenſatione & precepto, In præcepto ſuperioris, non poteſt diſpenſare inferior. Sed quælibet ſingularium perſonarum eſt inferior quàm eccleſia quę ieiunium ſub pręcepto ſtatuit, niſi forte ille qui eſt caput totius eccleſiæ uel loco capitis ſcilicet Papa, ergo ſequitur quòd nullus poteſt diſpenſare.

QVAESTIO VII.

VTRVM PAPA SIT CAPVT VNIVERSALIS ECCLESIAE.

RESPONDET affirmatiue ſanctus Thomas in multis locis, ſed potiſsimè in tertia parte q. 5. articulo 6. ubi querens utrũ ſit proprium Chriſto eſſe caput eccleſiæ, ita dicit, Quòd caput in alia membra dupliciter influit, uno quodam intrinſeco fluxu, prout uirtus motiua & ſenſitiua à capite deriuatur ad cętera mẽbra, Alio ſecundum quandam gubernationem, prout ſcilicet

ſecundum

ſecundum uiſum & alios ſenſus, qui in capite radicantur dirigitur homo in exterioribus actibus, Interior autem influxus gratiæ nō eſt ab aliquo niſi à ſolo Chriſto, cuius humanitas ex hoc quod eſt diuinitati coniuncta habet uirtutem iuſtificandi. ſed influxus in membra eccleſiæ quantū ad exteriorem gubernationem, poteſt aliis committere. Et ſecundum hoc, alii poſſunt dici capita eccleſiæ ſecundum illud Amos vi. optima res capita populorum, differenter tamen à Chriſto, Primò quidem quantum ad hoc, quòd Chriſtus eſt caput omnium eorum qui ad eccleſiā pertinent, ſecundum omnem locum, & tempus, & ſtatū, Alii autem homines dicuntur capita ſecundum ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum eccleſiarum, uel etiam ſecundum debitum tempus ſicut Papa eſt caput totius eccleſiæ ſcilicet tempore ſui pontificatus, & ſecundum debitum ſtatū prout ſcilicet ſunt in ſtatu uiatoris, Alio ſecundum quod Chriſtus eſt caput eccleſiæ propria uirtute, Alii uerò dicuntur capita ſecundum quòd gerunt uicē Chriſti ſecundum illud 2. ad Cor. 11. Nam & ego quod donaui, ſiquid donaui propter uos in perſona Chriſti. Et ſecūdę ad Corin. 5. pro Chriſto legatione fungimur. tanquàm Deo exortante per nos.

QVAESTIO VIII.

VTRVM PAPA SIT CAPVT FIDELIVM TANTVM VIATORVM.

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè, in reſponſione data ad ante proximam quęſtionem, dicens, quòd Papa eſt caput totius eccleſię, ſcilicet tempore ſui pontificatus, ſed ſecūdum determinatum ſtatū, prout ſcilicet ſunt in ſtatu uiatoris.

QVAESTIO IX.

VTRVM PAPA SIT SPONSVS VNIVERSALIS ECCLESIAE.

RESPONDET ſanctus Thomas affirmatiuè in tractatu contra impugnantes religionem, ita dicens, quòd ſponſus eccleſiæ propriè loquendo, Chriſtus eſt, de quo dicitur, qui habet ſponſam ſponſus eſt, ipſe enim de eccleſia ſuo nomini filios generat, alij autem dicuntur ſponſi exterius cooperantes ad generationem ſpiritualium filiorum, quos tamen non ſibi, ſed Chriſto generant, Quiquidem miniſtri in tantum ſponſi dicuntur, inquantum,

tam uicem ueri sponsi obtinent, & ideo, Papa qui obtinet uicem sponsi in tota ecclesia, uniuersalis ecclesiæ, sponsus dicitur, est autem hic adiiciendum, ad intelligentiam illius dicti Bernardi ad Eugenium dicentis, quòd Papa non sit sponsus ecclesiæ, sed paranimphus & amicus sponsi. Quod Sanctus Thomas ponit in 4 di. 38. Dicit enim sic, quòd episcopus in cura ecclesię sibi commissa uirgines desponsat non sibi, sed Christo quasi sponsi paranimphus & amicus.

QVAESTIO DECIMA.

VTRVM CHRISTVS ET PAPA DICENDI SINT *duo sponsi uniuersalis ecclesiæ.*

RESPONDET Sanctus Thomas in tractatu immediatè allegato sic dicens. Episcopus autem suæ diæcesis sponsus est, & presbyter suæ ecclesiæ, unde & diæcesis sponsus papa est, & episcopus parrochiæ, nec tamen propter hoc sequitur quòd sint plures sponsi unius ecclesiæ, quia sacerdos suo ministerio cooperatur episcopo tanquam principali, & similiter episcopi papæ, & papa ipsi Christo. Vnde Christus & papa episcopus & sacerdos computantur quasi unus sponsus ecclesię.

QVAESTIO XI.

VTRVM PRETER PAPAM, QVI EST ET CAPVT ET *sponsus ac pastor uniuersalis ecclesiæ, sint necessarij alij Prælati in ecclesia.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4. di. 19. ubi querens utrum sacerdos quilibet potest uti claui in quemlibet, Ita præfatam quæstionem probat dicens, ea quæ circa singularia oportet operari, non eodem modo omnibus competant, unde sicut preter generalia medicinæ pręcepta, oportet adhibere medicos, quibus precepta uniuersalia medicinæ infirmis secundum quod debent aptentur, ita in quolibet principatu preter illum qui uniuersaliter pręcepta legis tradit, oportet esse aliquos, quibus ea singulis secundum quod debent aptentur, & propter hoc etiam in cælesti ierarchia, qui indistincte præsunt, ponuntur

nuntur principatus, qui singulis prouintijs distribuuntur, & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur. Vnde & ita esse debet in prelatione ecclesiæ militantis, ut apud aliquem esset prelatio indistincta in omnes, & sub hoc essent aliqui, qui super diuersos distinctam potestatem acciperent.

QVAESTIO XII.

VTRVM REGES ET PRINCIPES CHRISTIANI, ET *per consequens omnes fideles, teneantur esse subiecti Romano Pontifici.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in tractatu suo de Rege & Regno ad Regem Cipri, ubi in 3. c. loquens de Regno ecclesię & regali sacerdotio, ita ait, Huius Regni ministeriũ, ut a terrenis spiritualia essent discreta, non terrenis Regibus, sed sacerdotibus est commissum, & precipue summo sacerdoti Christi Vicario Romano Pontifici, cui omnes christianos Reges oportet esse subiectos sicut ipsi D. Iesu Christo. Sic enim ut dictũ est, ei ad quem pertinet ultimi finis directio subijci debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & etiam imperio dirigi, quia & sacerdotium & totus diuinorum cultus erat propter temporalia conquirenda, quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cuius regi cura incumbit conuenienter, sacerdotes gentilium Regibus subdebantur, sed etiam in ueteri lege promittebantur bona temporalia siue terrena, non a demonibus, sed a bono Deo, religioso populo exhibenda. Vnde etiam in ueteri lege sacerdotes leguntur regibus fuisse subiecti, sed in noua lege est sacerdotium alterius, per quod homines traducuntur, ad bona cœlestia, vnde in lege Christi, Reges dicuntur esse sacerdotibus subiecti, unde mirabiliter ex diuina sapientia factum est, ut romana urbs, quam Deus prouiderat christiani sacerdotij principaliter sedem futuram, & eius ciuitatis rectores, sacerdotibus subderentur.

QVAESTIO XIII.

AN SIT DE NECESSITATE SALVTIS SVBESSE ROMANO PONTIFICI.

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in libro cõ-

tra errores grecorum c. 72. ubi sic ait, ostenditur etiam quòd subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis. dicit enim Ciril. in lib. canonic. Itaq; fratres mei, si Christum imitamur & ipsius oues uocem audiamus manentis in ecclesia Petri, non insiemur uento superbiæ, ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem uos eijciat, ut olim Eua de Paradiso, & Maximus in epistola orientalibus directa dicit. Coadiuuatam & fundatam super petram confessionis Petri, dicimus uniuersalem Ecclesiam secundum diffinitionem saluatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est manere, & ei est obedire suam seruantis fidem & confessionem.

QVAESTIO XIIII.

VTRVM SIT HAERETICVM DICERE, NON EST OBEDIENDUM *statutis papalibus.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in libro contra impugnantes religionem sic dicens. Dicitur in decretis di. 22. c. omnes qui romanæ ecclesiæ, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre cogatur, proculdubio in heresim labitur & infra, fidem quippe uiolat, qui aduersus illam agit quæ est fidei mater, Hoc autem priuilegium Christus romanæ ecclesiæ contulit, ut omnes ei sicut Christo obediant. Vnde dicit Cirillus Alexandrinus episcopus in libro secundo thesaurorum, ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum uenerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solùm est reprehendere, corrigere, statuere, soluere & loco illius ligare, qui ipsum edificauit, & nulli alij quod suum est planum, sed ipsi soli dedit, cui omnes ut uere domino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu obediunt. Vnde patet, quòd quicunq; dicit non esse obediẽdum in his quæ per Papam statuuntur, in hæresim labitur, item ad idem est in tractatu contra gentiles lib. 4. c. 76. vbi post assignatas rationes pro prima conclusione superius inductas, concludens ita dicit, Per hoc excluditur quorundam error presumptuosus, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem uniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscentes.

Quæstio

QVAESTIO XV.

VTRVM NON OBEDIENTES ROMANO PONTIFICI *sint scismatici.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4.sententiarum di.14. ubi supra. ubi post rationes probantes quòd necessarium sit dare unam potestatem regitiuam respectu totius ecclesię, supra potestatem episcopalem, cui inest potestas Papæ, dicit sic, et ideo illi qui hanc potestatem negant, dicuntur scismatici, quasi diuisores ecclesiasticę unitatis, cæterum, hoc idē in secunda secundæ.q.39. art. primo repetit ita dicens. sicut dicit Ysidorus in libro Ethimo. nomen scismatici a scissura animorum uocatum est, scissio autem unitati opponitur, sicut enim in rebus id quod est per accidens, non constituit speciem, ita etiam nec in rebus moralibus, in quibus id quod est intentum per se est, quod autem sequitur preter intentionem est quasi per accidens, & ideo peccatum scismatici proprie est spirituale peccatum, ex eo quòd intendit se ab unitate separare, quam charitas facit, quæ non solum alteram personam alteri unit spirituali uinculo, sed etiam totam ecclesiam in unitate spiritus. et ideo scismatici dicuntur illi, qui propria sponte & intentione se ab unitate ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad inuicem ordinatur ad unitatem ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorum, in corpore naturali, ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesię autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum adinuicem seu cōicatione. Et iterum in ordinatione membrorū omnium ecclesiæ ad unum caput, secundum illud Col. ij. Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totū corpus per nexus & connexiones subministratum & constitutū, crescit in augmentū Dei, hoc autē caput est ipse Christus, cuius uicē in ecclesia gerit summus Pōtifex, & ideo scismatici dicunt̄ q̄ subesse renuūt summo Pōtifici, & q̄ mēbris ecclesię ei subiectis cōicare recusant.

QVAESTIO XVI.

VTRVM SIT MAGIS OBEDIENDVM PAPAE QVAM *alteri cuicunque potestati inferiori.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiue in secundo sen-

ten. quest. ultima in expositione literæ, Vbi querens utrum magis obediendum sit maiori potestati quàm minori, sic dicit, quòd potestas superior & inferior dupliciter se habere possunt. Aut ita quòd inferior potestas ex toto oriatur a superiori, & tunc uirtus tota inferioris fundatur super uirtutem superioris, Et ideo simpliciter est magis obediendum in omnibus potestati superiori quàm inferiori, sicut etiam in naturalibus, causa prima plus influit super causatum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda, ut in libro de causis dicitur, & sicut se habet potestas Dei ad omnem creatã potestatem, & sicut etiam se habet potestas Imperatoris ad potestatem proconsulis, sic etiam se habet potestas Papæ ad omnem potestatem in Ecclesia, quia ab ipso Papa gradus dignitatum diuersi in ecclesia disponuntur & ordinantur, unde eius potestas est quoddam ecclesiæ fundamentum, ut Math. 16. Et ita in omnibus magis tenemur obedientię Papę, quàm episcopis uel etiam Archiepiscopis, uel etiam Monachus Abbati, absque ulla distinctione, Possunt iterum potestas superior & inferior ita se habere quòd ambæ ordinantur ex una quadam suprema potestate quæ unam alteri subiicit, secundum quod uult, & tunc una non est superior altera nisi in illis, in quibus una supponitur alteri a suprema potestate, & in illis tantum est magis obediendum superiori quàm inferiori, Et hoc modo se habet potestas Episcopi & Archiepiscopi descendetis a potestate papæ.

QVAESTIO XVII.

VTRVM PAPA POSSIT COGERE PRAECEPTO *suo aliquem ad substinendum episcopatum.*

RESSONDET Sanctus Thomas in 4. senten. in fi. di. 18. Vbi sic ait, Quidam dicunt quòd papa non potest præcipere alicui quòd accipiat episcopatum, quia consensus debet esse liber, sed hoc posito, periret ecclesiasticus ordo, Nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen ecclesiæ, conseruari non posset, cùm quandoq illi qui sunt idonei, onus hoc nolunt suscipere, nisi coacti. Hæc illæ.

QVAESTIO XVIII.

VTRVM QVI FACIT CONTRA CONSTITVTIONEM *papæ per ignorantiam, peccet.*

RESPONDET Sanctus Thomas primo. q. 29. quòd quandoque

doque sic, secundum quòd ignorantia est peccatum, pro quo notatur quòd ignorantia quæ est causa actus, causat in uoluntarium, Vnde semper excusat, nisi ipsa ignorantia sit peccatum, Est autem ignorantia peccatum quando ignorat quis quod potest scire & tenetur, Constitutiones Papæ modo suo quisque tenetur scire, si ergo aliquis non sciat per negligentiam non excusatur a culpa, si contra cõstitutiones agat, Si uerò aliquis habeat sufficiens impedimentum propter quod scire non potuerit, puta si fuerit in carcere uel in terris alienis uel extraneis, ad quas constitutio non peruenit uel tempore, uel aliquid simile, tunc ignorantia excusat ut non peccet contra dispositionem papæ faciens, Hæc ille.

QVAESTIO XIX.

VTRVM ROMANVS PONTIFEX SVCCEDAT BEATO *Petro in ea perfectione potestatis et dignitate Vicariatus Christi, qua ipse Beatus Petrus Christo fuit in ecclesia sublimatus.*

AD hanc questionem Respondet affirmatiuè Sanctus Thomas. Primò in li.4.contra gentiles c.76. Vbi post sermonem de institutione, qua beatus Petrus a Christo caput & pastor uniuersalis ecclesiæ institutus est ita loquitur, Non potest dici quòd & si Christus Petro hãc dignitatem dederit, tamen ad alios non deriuatur, Manifestum est enim quòd Christus ecclesiam sic instituit, ut etiam usq; ad finem seculi sit duratura, secundum illud Isaiæ, Super solium Dauid & super Regnum eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret. in iudicio & iustitia ammodo. & usque in sempiternum, Manifestum est ergo, quòd illos qui tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas deriuaretur ad posteros pro utilitate ecclesiæ, usque ad finem seculi, presertim cum ipse dicat Math.ultimo, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationẽ seculi, Per hoc autẽ excluditur quorũdã error presumptuosus, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Romanũ Pontificem uniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscentes, Hæc ille, Cæterum hanc conclusionem determinat ipse Sãctus Thomas in tra

ctatu contra errores græcorum, ubi in c. 69. ita loquitur, ostē ditur etiam quòd Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex sit successor in eadem potestate, ei à Christo collata. Dicit enim canon concilij Calcedon. Siquis Episcopus prædicatur in famis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimū Episcopum antiquæ Romæ, quem habemus petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernēdi episcopi infamiā, secundum claues sibi à domino datas, Et infra, & omnia diffinita ab eo teneātur, tanquàm a Vicario apostolici throni. Item Cyrillus Ierosolimitan. Patriarcha dicit ex persona Christi loquēs. Tu cum fine & etiam sine fine eum omnibus quos loco tui pœnā plenè, & perfectę sacramento & anctoritate cum eis ero, sicut sum & tecum, & Cyrillus Alexan. episcopus in Thesauro sic dicit, ꝙ Apostoli in Euangeliis, & in Epistolis affirmauerunt, in omni doctrina Petrum esse loco Domini, eidem dantes locum in omni Concilio, & synagoga, in omni electione, & affirmatione. Et infra. Cui Sancto Petro omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tanquàm ipsi Domino IESV CHRISTO obediunt, & Christus dicit ex persona filii loquens, Pasce oues meas, idest, loco mei, præpositus esto fratrum.

QVAESTIO XX.

VTRVM PAPA IN ECCLESIA HABEAT *plenitudinem potestatis.*

AD hanc quæstionem Respondet Sanctus Thomas affirmatiue in tractatu contra errores græcorum in cap. 68. ubi sic dicit Habete etiam ex prædictorum doctorum auctoritatibus ꝙ Romanus Pontifex habeat in ecclesia plenitudinem potastatis, Dicit Cyrillus patriarcha Alexan. in lib. Thesaurorum. sicut Christus accepit à patre duplex sceptrum, ecclesię gentium & Israel, egrediens super omnem principatū & potestatem, & super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curuentur plenissimā potestatem, sic & Petro & eius successoribus plenissimè commisit, & infra, nulli alii quàm Petro, Christus quod suum est, plenum, sed ipsi soli dedit, & infra, pedes Christi humanitas est, ipse homo cui tota trinitas dedit potestatem quam unus trium assumpsit, & in uirtute personæ trāsuexit ad patrem super omnem pote-

potestatem & principatum, ut adorent eum omnes Angeli Dei, quem totum dimisit per sacramentum & potestatem Petro & ecclesiæ eius, Et Chrisostomus ad consulta uulgatorum ex persona Christi loquens dicit. Te interrogo ut me diligas, quia ter me trepidus & timidus negasti, Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam, & clauium auctoritatem amisisse, quia amas me coram ipsis. tibi iam confirmo quod meum est plenũ, hoc etiam trahitur ex auctoritate sacræ scripturæ. Nam Dominus Matth. 16. uniuersaliter Petro dixit, Quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cœlis.

QVAESTIO XXI.

VTRVM ERRENT CONTRA VNITATEM ECCLESIAE *qui Romanum Pontificem negant plenam habere in ecclesia potestatem.*

RESPONDET sanctus Thomas affirmatiuè in tractatu prænominato contra errores græcorum in cap. 73. ita dicens. sicut autem prædicti errantes contra unitatem corporis mistici Romani Pontificis potestatem plenariam abnegantes, sic cõtra puritatem sacramenti corporis Christi delinquunt dicentes, ex azimo pane corpus Christi consecrari non posse.

QVAESTIO XXII.

VTRVM PAPA HABEAT PLENITVDINEM PONTIFICALIS *potestatis sicut Rex in Regno.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4. Sententiarum di. 19. vbi querens vtrum Episcopus possit indulgentias facere dicit sic. Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis quasi Rex in Regno, sed Episcopi assumuntur, in partem solicitudinis quasi Iudices singulis Ciuitatibus Præpositi, propter quod etiam solos eos in suis literis fratres uocat, reliquos autẽ filios, Non etiam bene, quòd idem Doctor in eadem distinctione articulo primo, q. 1. dicit, quòd in Regno tota potestatis plenitudo residet penes Regem, in Aristogiam autem apud eum non residet plenitudo potestatis, sed apud omnes.

quæstio

QVAESTIO XXIII.

VTRVM A PAPA DERIVETVR POTESTAS IN ALIIS PRAELATIS.

AD hanc quęstionem respondet sanctus Thomas in locis superius denotatis, primo in 4. contra Gentes, per Regnum cœlorum, ut ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam ecclesiæ unitatem, Item hoc idem dicit in 4. sententiarum dist. 24. & ult. sub his uerbis. Quàmuis omnibus apostolis data sit communiter potestas, uel autoritas ligandi, & soluendi, tamen in hac parte, ut ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quòd ab eo debeat ista potestas descendere, Cæterum, hanc conclusionem plenius declarat in fine ultimę distinctionis secundi sententiarum, ubi sicut allegatum est in responsione. 16. quæstionis, sic ait. potestas superior, & inferior dupliciter se habere possunt, aut ita quòd inferior potestas ex toto hauriatur a superiori, Et tunc uirtus tota inferioris fundatur super uirtutem superioris, Et ideò simpliciter in omnibus est magis obediendum uirtuti superiori siue potestati, quàm inferiori, sicut etiam in naturalibus, causa prima plus influit in causatum quàm secunda, ut in lib. de causis dicitur. Et sic se habet potestas Imperatoris ad potestatem, Proconsulis. sic etiam se habet potestas Papæ ad omnem potestatem in ecclesia, quia ab ipso Papa, gradus dignitatum diuersi, in ecclesia disponuntur, & ordinãtur, unde eius potestas est quoddam ecclesię fundamentum ut patet Matth. 16.

QVAESTIO XXIIII.

VTRVM PAPA POSSIT VTI CLAVE POTESTATIS *in quemlibet de ecclesia.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4. di. 19. q. prima articu. 3. Ita dicens, quòd usus clauium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille in quem usus clauium cõmunicatur, efficitur materia propria illius actus, & ideo ille qui habet indistinctam potestatẽ super omnes, potest uti clauibus in quemlibet. Illi autem qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quẽlibet uti possunt clauibus, sed in eos tantum,

tum, qui in sortem uenerunt nisi in necessitatis articulo, ubi sa cramenta sunt deneganda. ceterum secundo idem declarat sanctus Thomas in tractatu contra impugnantes religionem D. nostri Iesu Christi, Vnde dicit Dyonisius in 5. cap. ecclesiasticæ Ierarchiæ. pōtificū ordo primus quidē est secūdū deriuati ordinatione sublimissimus & nouissimus. Idē, etenim in ipsum perficitur & impletur omnis Ierarchiæ dispositio. Vt enim omnem Ierarchiā uidemus a Iesu consumatam, sic unumquemq; in proprium dominum summum sacerdotem id est episcopum, vnde etiam primæ Petri. 2. dicitur, Conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum uestrarum. Hoc autem precipue uerum est de Romano Pōtifice, cui ut dicit Cirillus, omnes iure diuino caput inclināt, & tanquam ipsi Domino Iesu obediunt, Et Chrisosto. dicit super illud Io. ultimo Pasce oues meas, id est loco mei, prepositus & caput esto fratrum.

QVAESTIO XXV.

VTRVM PAPA POTEST CONCEDERE ALICVI *potestatem, quòd quis utatur in eum potestate clauium in foro conscientiæ.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiue in 4. in di. superius assignata. q. 9. Ita dicens. potestas clauium inquantū est de se, extendit se ad omnes, sed quòd in aliquem sacerdos non posset uti potestate clauium, contingit ex hoc, quòd eius potestas ad aliquem limitata est specialiter, unde qui limitauit potest extendere quantum uoluerit, & propter hoc, potest etiam sibi dare potestatem in se ipsum quāuis, ipse in seipsum uti clauis potestate non possit, quia potestas clauium, requirit pro materia aliquem subiectum, & ita alium, sibi ipsi autem aliquis subiectus esse non potest. Hæc ille.

QVAESTIO XXVI.

VTRVM PAPA POSSIT CONCEDERE POTESTATEM ALI*cui ut utatur in eum in foro exteriori, uidelicet quòd aliquis excommunicet eum.*

RESPONDET Sanctus Thomas negatiuè in eodem loco

ita dicens, in ſolutione unius argumenti, Iudicium exterius eſt ſecundum homines, ſed iudicium confeſsionis eſt quoad eum, apud quem aliquis redditur minor ex hoc quòd peccat, non autem apud hominum prelationes, & ideo in exteriori iudicio ſicut nullus de ſe ipſo ſententiam dare poteſt excõmunicationis, ita nec alteri committere ſuam abſolutionem, qua ipſe uti non poteſt uel poſſet, vel dicendum quòd abſulutio in foro confeſſionis eſt principaliter poteſtatis clauium, & ex conſequenti reſpicit iuriſdictionem, ſed excõmunicatio reſpicit totaliter iuriſdictionem. Quantum autem ad poteſtatem ordinis, omnes ſunt æquales, non autem quantum ad iuriſdictionem. Et ideo non eſt ſimile. Hæc ille

QVAESTIO XXVII.

VTRVM PAPA SIT PROPRIVS SACERDOS DICENdus *aliquomodo cuiuſlibet parrochiæ.*

RESPONDET ſanctus Thomas affirmatiuè in tractatu contra impugnantes religionem ita dicens, Ad id quod obijcitur, quòd quilibet tenetur ſemel in anno confiteri proprio ſacerdoti, dicendum quòd proprius ſacerdos non ſolùm eſt ſacerdos parrochialis, ſed etiam epiſcopus uel Papa, ad quos etiam plus pertinet cura eius, quàm ad ſacerdotem, ut multipliciter oſtenſum eſt, proprium enim non accipitur hic ſecundum quòd accipitur contra cõmune, ſed ſecundum quòd diuiditur contra alienum, unde qui confeſſus eſt epiſcopo ſuo, uel alicui habenti uicem eius, confeſſus eſt proprio ſacerdoti. Hæc ille.

QVAESTIO XXVIII.

VTRVM PAPA SIT IMMEDIATVS PRAELATVS CVIVS*libet fidelis.*

RESPONDET ſanctus Thomas affirmatiuè in 4.di.17.q.47. dicens, iuconueniens eſſet ꝙ duo equaliter ſuper eandem plebem conſtituantur, ſed ꝙ duo, quorum unus eſt alio principalior ſuper eandem plebem conſtituantur, non eſt inconueniẽs, & ſecundum hoc ſuper eandem plebem immediate ſunt & ſacerdos

dos parrochialis, & episcopus, & Papa; & quilibet horum potest cōmittere ea quæ iurisdictionis sunt ad ipsum pertinentia alteri. Hęc ille. item in eodem tractatu ait, Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes christianos, quia Romana ecclesia nullis sinodicis constitutionibus ceteris ecclesijs prelata est, sed elucidata uoce domini & Saluatoris sui primatum obtinuit, ut in decretis habetur di.22.Quamuis. Hæc ille.

QVAESTIO XXIX.

VTRVM PAPA POSSIT COMMITTERE ALIQVIBVS *predicare & confessiones audire fidelium & uti potestate clauium irrequisitis proprijs sacerdotibus parrochialibus.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in.4.di.17.q.47. Cuius inter alias, hæc una est ratio. Quicquid potest inferior potest & superior, sed ipse sacerdos parrochialis potest dare licentiam suo parrochiano q alteri confiteatur, ergo multo fortius hoc superior eius potest. in corpore uerò questionis ita dicit. Dicēdū quòd sacerdos aliquis potest dupliciter impediri ne alicuius confessionem audiat, unò propter defectum executionis ordinis, sicut excōmunicati, & degradati & huiusmodi. Quicunque autem habet interdictionem potest ea quæ sunt iurisdictionis committere, & ideo, si quis impediatur quòd alterius confessionem audire non possit propter iurisdictionis defectū, potest sibi per quemcunq; iurisdictionem habentem immediatā in illos committi, quòd confessionem audiat & absoluat, siue per ipsum sacerdotem siue per episcopum, siue per papam. si autem propter exequutionis ordinis impedimentum, amouere potest. Demum secundo hanc questionem in tractatu contra impugnantes religionem manifestam facit, ac clarissimam ex consuetudine, quæ in romana ecclesia ab antiquissimis temporibus seruata est ita dicens. Post multas alias rationes, ad hoc facit consuetudo romanę ecclesiæ, ad quam accedentes a pęnitentiarijs papæ ad quoscunq; sacerdotes literas impetrans, ut eis confiteātur, item Legati papæ & eorum penitentiarij cōfessiones audiūt non petita licentia a presbyteris parrochialibus, & etiam auctoritate papę ubiq; predicant, & ita patet, quòd predicare & audi

re confesſiones poteſt alijs committi ſine licentia ſacerdotum parrochialium. Hæc ille.

QVAESTIO XXX.

VTRVM PRETER DVOS ORDINES INSTITVTOS A DEO *ſcilicet epiſcopatum & ſacerdotum parrochialium, poſſet Papa inſtituere tertium ordinem talium predicatorum, qui propria auctoritate prædicarent & confeſſiones audirent.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in tractatu contra impugnantes religionem in ſolutione unius argumenti aduerſariorum ita dicens, quòd & ſi duo ordines tantum eſſent a domino inſtituti, qui poſſent predicare propria auctoritate, poſſet tamen eccleſia tertium inſtituere ordinem predicationis qui propria auctoritate predicarent, & precipuè papa, qui habet plenitudinē poteſtatis in eccleſia ſicut & in primitiua eccleſia fuerunt duo ordines ſacri .ſ. presbyteri & Diaconi, & tamen poſtea eccleſia minores ordines ſibi conſtituit, ut magiſter in ſententijs dicit. Hæc ille.

QVAESTIO XXXI.

VTRVM PAPA POSSIT COMPELLERE COLLEGIA *generalium ſtudiorum ut ad eorum ſocietatem religioſi admittantur.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiue in præfato tractatu ſic dicens in reſponſione ad vnum argumentum. Quód autem obiiciunt, quod nullus poſsit cogi ad ſocietatem inuitus ut lex dicit, patet quod intelligitur de priuata ſocietate, quæ cōſenſu duorum uel trium conſtituitur. Sed ad ſocietatem publicā quæ nō pōt conſtitui niſi ex ſuperioris autoritate, aliquis cōpelli poteſt, ſicut Princeps qui pręeſt Reip. poteſt compellere ciues, ut in ſua ſocietate aliquem recipiant ſicut collegium alicuius eccleſiæ cogitur ut aliquem recipiat in canonicum & fratrē. Vnde cum collegium ſtudii generalis ſit publica ſocietas, ad eā poteſt aliquis induci autoritate ſuperioris cogente. & infra. unde nulli dubium eſſe debet ſcholares compelli poſſe autoritate Apoſtolica, ut ad ſocietatē ſtudii religioſos admittant. Hæc ille.

QVAESTIO XXXII.

VTRVM AD PAPAM PERTINEAT MAXIME ORDINATIO *ſtudiorum, & uniuerſitatum.*

RESPONDET Sanctus Thomas in tractatu proximè nominato ubi ita dicit. Ad eum enim qui regit rem publicam pertinet ordinare de nutritionibus & ad inuẽtionibus iuuenũ, in quibus exercere ſe debeant ut dicitur. x. Eth. & politica ut habetur 1. Ethicorum ordinat quas diſciplinas debitũ eſt eſſe in ciuibus, & quales unumquemq; adiſcere & uſquequo. Et ſic patet quod ordinare de ſtudio pertinet ad eum, qui preeſt reipublicæ, & precipue ad autoritatem ſedis apoſtolicæ qua vniuerſalis eccleſia gubernatur, cui per generale ſtudium prouidetur. Hæc illæ.

QVAESTIO XXXIII.

VTRVM PAPA HABEAT PLENITVDINEM POETSTA- *tis diſpenſandi in actis diſpenſabilibus.*

RESPONDET Sanctus Thomas in 4. affirmatiuè, dicẽs diſt. 38. q 4. art. 2. Sic dicens, Plenitudo ptãtis in diſpenſando reſidet penes ſummum põtificem. Alii autem de hac poteſtate participant, quantum eis conceſſum eſt, ſed quia omnes ad unũ concurrere non poſſunt per inferiores diſpẽſationem recipere poſſunt. unde in uotis illis, quę non de facili diſpenſationẽ recipiunt nec frequenter, ſed raro ſicut uotum religionis & alia huiuſmodi uota perpetua, ſolus papa diſpenſare poteſt. In aliis autem tẽporalibus uotis ſicut peregrinationis Ieiuniorum & huiuſmodi poſſunt etiam epiſcopi diſpenſare, niſi aliquod horum ſibi Papa reſeruaret. Sicut diſpenſatio in uota terræ Sanctæ. Ad quod inter alia talem rationem adducit Sanctus Thomas ibidem in corpor humano q̃dã actiones ſunt, quæ ſolis principalibus mẽbris conueniunt & quædam ſoli capiti. Sed in eccleſia uicem capitis tenet Papa & principalium uicem membrorum prælati maiores, ut epiſcopi, ergo aliquæ diſpenſationes ſunt, quas ſolus Papa poteſt facere. Primo ad idem eſt in 2. ſecundæ. q. 88. art. ultimo. In reſponſione ultimi argumenti ubi ſic dicit, quod quia ſummus Pontifex gerit plenarie uicem Chriſti in tota eccleſia, ipſe habet plenitu-

plenitudinem potestatis dispēsandi in omnibus dispensabilibus uotis. Aliis vero inferioribus prælatis coire dispensatio in uotis quæ communiter fuerit, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrāt, sicut sunt uota peregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiusmodi, vota autem maiora ut puta peregrinationis terræ Sanctæ, & continentiæ reseruata sunt summo Pontifici.

QVAESTIO XXXIIII.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE IN VOTO *continentiæ solemnizato per professionem religionis.*

QVAESTIO XXXV.

VTRVM PAPA POSSIT FACERE QVOD ILLE QVI *est professus religionem, non sit religiosus.*

AD HAS duas quæstiones Respondet Sanctus Thomas negatiue, In secunda secundæ q. 88. artculo 11. ubi narrata opinione dicentium, quomodo etiam prosequutus fuerat in 4. sententiarum dist. 38. ꝙ in uoto solemni continentiæ propter aliquam communem utilitatem ut puta propter pacificationem terrarum, ex aliquo matrimonio contrahendo, & hac opinione dimissa quia in oppositum eius militare uidetur decretalis illa, Cùm ad monasterium abdicatio proprietatis similiter & custodia castitatis, a deo est annexa regula monachali, ut nec summus Pontifex posit indulgere. Dicit sic. Et ideo aliter dicendum uidetur, quòd sicut supra dictum est, ut habetur Leuitici ultimo. Illud quod semel sanctificatum est domino, non potest in alios usus commutari. Non autem potest aliquis ecclesiæ Prælatus facere ut id, quod est sanctificatum sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, ut quòd calix consecratus desinat esse consecratus si maneat integer. Vnde multo minus hoc potest facere prælatus aliquis, ut homo Deo consecratus, quamdiu uiuit, consecratus esse desistat, solemnitas autem uoti consistit in quadam consecratione seu benedictione uouentis, ut dictum est. Et ideo non potest fieri per aliquem prælatum, quòd ille qui uotum solemne emisit desistat ab eo, ad quod est consecratus,

cratus, Puta quòd ille qui eſt ſacerdos non ſit ſacerdos, licet poſsit prælatus ob aliquam cauſam, exequutionem ordinis inhibire, Et ſimili modo, Papa non poteſt facere quòd ille qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus, licet quidam iuriſtæ ignoranter contrarium dicant. Eſt ergo conſiderandum, utrum continentia ſic cenſeatur annexa ei, a quo uotum ſolemnizatur quaſi non ei eſſentialiter annexa, quia ſi non eſt ei eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolennizatio conſecrationis ſine debito continentiæ, quod non poteſt contingere ſi cenſeatur annexum ei, a quo uotum ſolemnizatur. Non autem eſt eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro, ſed ex ſtatuto eccleſiæ, Vnde uidetur, quòd per eccleſiam poſsit diſpenſari in uoto continentiæ, ſolemnizato per ſuſceptionem ordinis, Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quē homo abrenunciat ſeculo totaliter, Dei ſeruitio mancipatus, quod non poteſt ſimiliter ſtare cum matrimonio in quo manebit neceſsitas procreandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quę ad hoc requiruntur. Vnde Apoſtolus dicit primæ ad Corinth. ſeptimo. Quòd qui eſt cum uxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Vnde nomen monachi ab unitate ſumitur per oppoſitum ad diuiſionem prædictam. Et ideo in uoto ſolemnizato per profeſsionem religionis, non poteſt per eccleſiam diſpenſari. Et rationem aſsignat decretalis, quia caſtitas eſt annexa monachali regulæ. Hæc ille.

QVAESTIO XXXVI.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE IN VOTO *continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè, ſicut patet ex proximè dictis.

QVAESTIO XXXVII.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE IN VOTO *obedientiæ cum religioſo ſimpliciter.*

RESPONDET Sanctus Thomas ſecunda ſecundę quęſ. 186. articulo 8. In reſponſione ad 3. articulum ita dicens. Papa in uo-

in uoto obedientiæ non poteſt ſic cum religioſo diſpenſare, ut nulli prælato teneatur obedire in his, quæ ad perfectionem uitæ pertinent, Non enim poteſt ipſum a ſua obedientia eximere, poteſt tamen eximere ab inferioris prælati ſubiectione, quod non eſt in uoto cõtinentiæ diſpenſare.

QVAESTIO XXXVIII.

VTRVM MAXIME PERTINEAT AD PAPAM DISPENSATIO *uel commutatio, aut relaxatio iuramentorum.*

RESPONDET ſanctus Thomas affirmatiuè in ſecunda ſecundæ q.89. articu.9. vbi in ſolutione.3.argumenti ſic ait. Notandum quòd quandoque illud quod cadit ſub iuramento promiſſorio,manifeſte repugnans iuſtitiæ, uel quia eſt peccatum, ſicut cum aliquis iurat ſe intraturum religionem, & tale iuramentum diſpenſatione non indiget. Sed in primo caſu tenetur aliquis iuramentum tale non ſeruare ut ſupra dictum eſt, quandoque uero aliquid ſub iuramẽto promittitur de quo dubium utrũ ſit licitum, uel illicitum,proficuum uel nociuum, uel ſimpliciter aut in aliquo caſu, Et in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare, quandoque uerò ſub iuramento promittitur aliquid quod eſt manifeſtè licitum, & utile & in tali iuramento non uidetur habere locum diſpenſatio, uel commutatio niſi aliquid melius faciendum occurrat ad communem utilitatem,quod maxime uidetur pertinere ad poteſtatem Papæ, uel qui habet curam uniuerſalis eccleſiæ,uel etiam abſoluta relaxatiò,quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter quæ in diſpenſationem rerũ eccleſiaſticarũ pertinet,ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. ſicut & ad unumquodque pertinet irritare iuramentũ quod ſibi à ſubditis factum eſt circa ea,quæ eius poteſtati ſubdũtur,ſicut pater poteſt irritare iuramentum puellæ, & uir uxoris ut dicitur numeri 30. ſicut & ſupra de uoto dictum eſt.

QVAESTIO XXXIX.

VTRVM SOLIVS AVCTORITATE PAPAE POSSIT *Epiſcopus curam Epiſcopalem deſerere.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in ſecunda ſecundæ.q.185. arti.4. vbi ita dicit, poſt multa oportet quòd ſi-

curam

curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam superioris prelati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis deserat susceptam. Vnde extra de renunc. dicit Innocentius secundus, Si pennas habeas qui satagas in solicitudinem auolare Ita tamen astrictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absq; nostra permissione uolatum, Soli enim papę licet dispensare in uoto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum astringit Episcopatum suscipiens.

QVAESTIO XL.

VTRVM SOLVS PAPA POSSIT DISPENSARE IN *uotis perpetuis ad uacandum obsequijs.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiue in secunda secundæ.q.189.art.7. Vbi querens utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi dicit sic; sicut dictum est, obligatio uoti perpetui prefertur omni alij obligatio, obligatio autem uoto perpetuo & solemni ad uacandum diuinis obsequijs competit propriè episcopis & religiosis; presbiteri autem & archidiaconi non obligantur uoto perpetuo & solemni ad curam animarum tenendam, sicut ad hoc obligantur episcopi. Vnde episcopi presulatum non possunt deserere quacunque occasione, absque auctoritate romani Pontificis, ut habetur extra de Rectoribus transeuntibus ad religionem c.licet. Archiadiaconi autem presbiteri curati possunt libere abrenunciare curam eis cōmissam episcopo, absque licentia papæ, qui solus potest in uotis perpetuis dispensare. Vnde manifestum est, & Archidiaconos & presbiteros. possa. ad religionem transire.

QVAESTIO XLI.

VTRVM POSSIT PAPA COMMITTERE SIMPLICI *Sacerdoti quòd confirmet siue conferat Sacramentum confirmationis.*

QVAESTIO XLII.

VTRVM PAPA POSSIT COMMITTERE DIACONO *absoluere in foro pænitentiali.*

QVAESTIO LXIII.

VTRVM PAPA POSSIT COMMITTERE SIMPLICI *Sacerdoti conferre ordinem Sacerdotij.*

QVAESTIO LXIIII.

VTRVM PAPA POSSIT COMMITTERE SIMPLICI *Sacerdoti conferre ordines minores.*

AD has quatuor questiones Respondet Sanctus Thomas similiter in 4. dist. 7. q. 15. Ad primam & ultimam affirmatiuè, Ad duas medias negatiuè, ubi sic formaliter dicit, quòd cum Episcopus non addet aliquid super sacerdotium per relationem ad corpus Domini uerum, sed solum per relationem ad corpus misticum, Papa propter hoc quòd dicitur episcoporum summus nō dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini ueri, sed solum per relationem ad corpus misticum, quia gratia sacramentalis per quam gratia datur dependet ab operatione sacramentali super corpus Christi ueri. Et ideo solus sacerdos potest absoluere in foro pænitentiali & baptizare ex officio, & ideo dicendum quòd promouere ad illas perfectiones quæ non respiciunt corpus Christi ueri sed solum corpus misticum, possunt a papa plenitudine pontificalis potestatis committi, qui habet actum suum supra corpus Christi ueri, Non autem Diacono uel alicui inferiori qui non habet perficere corpus dominicum sicut nec absoluere in foro pænitentiali. Non autem potest simplici sacerdoti committere promouere ad perfectionem quę respicit aliquo modo corpus Domini ueri & ideo simplex sacerdos ex mandato papæ non potest conferre ordinationem sacerdotij, quia oportet quòd ordines sacri habeant actum supra corpus Domini ueri uel supra materiam eius. potest autem concedere simplici sacerdoti quòd conferat minores ordines, quia isti nullum actum habent supra corpus D. ueri uel supra materiam eius. Nec etiam supra corpus misticum actum per quem gratia conferatur, sed habet ex officio quosdam actus sacerdotis secundarios & præparatorios, & similiter potest concedere alicui sacerdoti quòd confirmet, quia confirmatio perficit

ficit eum in actu corporis mistici. Non autem habet aliquam relationem ad corpus Domini ueri, Item ad idem est in 3. parte. q. 27. articulo undecimo. Ita dicit in responsione ad primum argumentum. Papa in ecclesiam habet plenitudinem potestatis ex quo potest quædam quæ sunt superiorum ordinum committere inferioribus quibusdam, sicut presbiteris concedi conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem, Et ex plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius papa quòd simplices sacerdotes conferrent hoc sacramentum confirmationis. Hęc illæ.

QVAESTIO LXV.

VTRVM SOLVS PAPA POSSIT DARE *plenarias indulgentias.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4. di. 19. q. 12. Quia Thesaurus ecclesiæ est communis toti ecclesię, sed illud quod est toti ecclesiæ plene non potest dispensari, nec per illum qui toti ecclesiæ preest, cuiusmodi est papa, Pro cuius clariori intelligentia prosequitur sic, Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis quasi Rex in Regno, Sed Episcopi assumuntur in partem solicitudinis quasi Iudices in singulis Ciuitatibus prępositi, propter quod etiam solos eos in suis literis fratres vocat, reliquos autem omnes uocat filios, Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere prout uult causa tamen existente legitima, sed in episcopo est taxata secundum ordinationem papæ, & idcirco possunt facere secundum quod eis taxatum est, & non amplius. Hæc ille.

QVAESTIO XLVI.

VTRVM PAPA POSSIT NOVOS ARTICVLOS *fidei aut æditos remouere, aut noua sacramenta instituere aut instituta remouere.*

RESPONDET Sanctus Thomas negatiuè in di. 17. q. 42. sic dicens, ꝙ ministri ecclesiæ instituũtur in ecclesia diuinitus fundata, & ideo institutio ecclesiæ pręsupponitur ad operationem

ministrari sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ, & quia ecclesia fundatur in fide & sacramentis ideo ad ministros ecclesię nec nouos articulos fidei aut æditos remouere, aut noua sacramenta instituere, aut instituta remouere pertinet, sed hoc est potestatis & excellētiæ quæ soli Christo debetur, qui est ecclesiæ fundamentum, & ideo sicut papa non potest dispensare ut sine baptismo quis saluetur ita quòd nec saluaretur sine confessione secundum quòd obligat ex ipsa in sacramento, sed potest dispensare in confessione secundum ꝙ obligat de præcepto ecclesię ut possit aliquis diutius confessionem differre quòd ab ecclesia institutum sit.

QVAESTIO XLVII.

VTRVM AD PAPAM TERMINET DETERMINARE *ea quæ sunt fidei.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiue in tractatu contra errores græcorum in c.vij. Ita dicens, ostenditur etiam quòd ad ipsum Pontificem pertineat quę sunt fidei determinare, dicit enim Cirillus Alexandrinus in lib. Thesau. vt membra maneamus in capite nostro apostolico throno Roman. Pontificum, a quo nostrum est credere, quid credere & quid tenere debeamus, & Maximus in epistola orientalibus directa dicit. Omnes fratres orbis qui dominum sincere receperunt & ubique terrarum catholici ueram fidem confitentes in ecclesia Romanorum tanquam solem respiciunt, & ex ipso lumine catholicæ & apostolicæ fidei recipiunt, nec immeritò, nam Petrus legitur primò perfectam esse confessus domino reuelante, cum dicit Matth. 16. Tu es Christus filius Dei uiui, unde & ei Christus dixit, ego pro te rogo Petre, ut non deficiat fides tua.

QVAESTIO XLVIII.

VTRVM AD SVMMVM PONTIFICEM *pertineat symbolum ordinare.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè, In secunda secundæ q. prima articulo ultimo, sic arguens. Primò æditio

symboli

symboli facta est in synodo generali, sed huiusmodi synodus au toritate solius summi Pontificis potest cōgregari, ut habetur in decreta. 14. distinct. ergo editio symboli pertinet ad autoritatē summi Pontificis; Pro cuius ampliori intelligentia ulterius procedens ita dicit. Noua ædițio symboli necessaria est ad uitādos insurgentes errores. Ad illius ergo autoritatem pertinet sententialiter determinare ea, quæ sunt fidei & ab omnibus inconcussa fide tenenda. Hoc autem pertinet ad autoritatem summi Pontificis ad quem maiores, & difficiliores, ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decreta. dist. 17. Vnde & Dominus, Luc. 22. Petro dicit quem summum Pontificem constituit. Ego pro te rogaui Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, & huius ratio est, quia una fides debet esse totius ecclesiæ secundum illud primę ad Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata, quod conseruari non potest nisi quæstio fidei de fide exorta terminaretur per eū qui toti ecclesiæ præest. Et sic eius sententia a tota ecclesia teneatur firmiter, & ideo ad solam autoritatem summi Pontificis pertinet noua ædițio symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam ecclesiam, ut congregare synodum generalem, & alia huiusmodi, Si argumentum fit in oppositum quòd id quod est sub anathemate interdictum ab uniuersali ecclesia nō subest sub potestate alicuius hoīs, sed noua symboli ædițio interdicta, est sub anathemathe uniuersalis ecclesiæ autoritate. dicitur enim in gestis primæ, ephesinæ synodi quòd perlecto symbolo Nicenæ synodi, decreuit sancta synodus aliam fidem nulli licere proferre uel conscribere uel componere, præter diffinitam a sanctis patribus qui in Nicena synodo cōgregati, sunt à spiritu sancto & etiā subditur anathematis pœna, & idem etiam reiteratur in gestis Calcedon. synodi. Ergo non uidetur quòd pertineat ad autoritem summi Pontificis noua ædițio symboli, Respondet, idem S. Thomas ꝙ prohibitio & sententia synodi se extendunt ad personas priuatas, quarum non est determinare de fide. Nō enim per huius sentētiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo nouam æditionem symboli facere, non quidem aliam fidē continentem, sed eandem magis expositam, sic enim quælibet synodus obseruauit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat propter necessitatem alicuius hæresis insurgētis, vnde pertinet ad summum Pontificem

tificem cuius autoritate synodus congregatur, & eius sententia confirmatur.

QVAESTIO XLIX.

VTRVM AVCTORITAS VNIVERSALIS ECCLESIAE *in determinatione fidei principaliter resideat in Papa.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in secunda secũdæ.q.11.arti.3. In solutione ad tertium argumentum. Ita dicẽs Postquàm autem aliqua essent autoritate uniuersalis ecclesiæ determinata, si quis tali determinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur, quæ quidem autoritas principaliter residet in summo Pontifice. dicitur enim 24.q.1. quotiens fidei ratio uentilatur, arbitror omnes fratres nostros, & coepiscopos non nisi ad Petrum j. sui nominis autoritatem recurrere debere, qua cuius autoritatem, nec Hieronymus, nec Augnstinus, nec aliquis sanctorum suã sñiam defendit, vnde dicit Hiero. Hæc est fides Papa beatissime, quam in catholica discimus ecclesia in qua si minus peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes, si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio approbatur uel comprobatur quicũque nos inculpare uoluerit, se imperitum uel maliuolum uel etiam non catholicum sed hæreticum comprobabit.

QVAESTIO L.

VTRVM PERTINEAT AD PAPAM SANCTORVM *canonizatio.*

QVAESTIO LI.

VTRVM PAPA IN DIFFINIENDO EA QVAE FIDEI *sunt, an in canonizatione sanctorum errare possit.*

AD has duas questiones respondet Sanctus Thomas ad primam affirmatiuè, & negatiuè ad secundam simul, in quolibetis, quolibeto viii. articulo ultimo, ubi quærens, utrum omnes sancti canonizati per ecclesiam sint in gloria, uel aliqui eorum sint in inferno,

inferno, Respondet sic dicens. Aliquid potest considerari possibile secundum se consideratum, quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile inuenitur, dico ergo, quòd iudicium eorum qui preunt ecclesiæ, errare in quibuscunq;, si personæ eorũ considerentur tantum, possibile est, si uerò consideretur diuina prouidentia quæ ecclesiam suam spiritu sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit Io. 14. Quòd spiritus ueritatis doceret eos omnem ueritatem, de necessariis ad salutem, certũ est quòd iudicium ecclesiæ uniuersalis errare in his quæ ad fidem pertinẽt impossibile est: unde est magis sententiæ Papæ standum ad quẽ pertinet determinare de fide, quam in iudicio proferet, quàm quorumlibet sapientum hominum in scripturis opinioni, cùm Cayphas quamuis nequam, tamen quia Pontifex erat anni illius prophetauerit. Io.xi. In alijs uerò scientijs, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, uel criminibus, uel huiusmodi, possibile est iudicium ecclesię errare, propter testes falsos. Canonizatio uerò sanctorum medium est inter hæc duo, quia tamen honor quem sanctis exhibemus quędã protestatio est fidei, qua sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quòd nec in his etiam iudicium ecclesiæ errare possit, & cum arguitur primo sic, quòd nullus potest esse certus ita de statu alicuius, sicut ipsemet, quia quę sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est, ut dicitur primę ad Cor. 1. Sed homo non potest esse certus de se ipso, utrum sit in statu salutis, Eccle. 9. Nemo scit utrũ sit dignus odio uel amore, ergo multo minus papa, & sic potest in canonizatione errare, Respondet quòd summus Pontifex cuius est canonizare sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem uitæ & attestationem miraculorum, & precipuè per spiritus sancti instinctum, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei, secundo arguitur scilicet de testimonio cum inquirit per testes de uita & miraculis, ergo cum testimonium hominum sit fallibile, uidetur quòd ecclesia in canonizando possit errare, Respondet quòd diuina prouidentia præseruat ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium fallatur.

QVAESTIO LII.

VTRVM SOLIVS AVCTORITATE PAPAE HABEAT *synodus uniuersalis congregari.*

Quæstio

QVAESTIO LIII.

VTRVM AD PAPAM PERTINEAT SENTENTIAS *confirmare ſynodorum.*

QVAESTIO LIIII.

VTRVM AD PAPAM PERTINEAT A SYNODO APPELLARI.

QVAESTIO LV.

VTRVM NECESSE HABEAT PAPA CONGREGARE *generale uel uniuerſale concilium quotieſcunque habeat aliquid de fide determinare.*

AD omnes iſtas queſtiones. Reſpondet Sanctus Thomas ſimul ad primas tres affirmatiuè, ad quartam negatiuè, in queſtione de primo. q. 10. articulo. 4. ubi querit utrū ſpirituſſanctus procedat a filio, qui reſpondens. 14. argumento facto in cōtrariū dicit ſic, Sicut poſterior ſynodus poteſtatem habet interpretandi ſynodum, a priori conditum, aut ponendi aliqua ad eius explanationem, ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua autoritate poteſt, cuius autoritate ſola, ſynodus congregari poteſt, & à quo ſententia ſynodi cōfirmatur ad ipſum ſynodus appellat quę omnia patent in geſtis calcedon. ſynodi. Non eſt neceſſarium q̄ ad huiuſmodi expoſitionem faciendam uniuerſale concilium congreget, Cùm quandoq; id fieri prohibeant, bellorum diſsidia, ſicut in ſexta ſynodo legitur, q̄ Conſtantinus Auguſtus dixit, quòd propter imminentia bella uniuerſaliter epiſcopos cōgregare non potuit, Sed tamen illi qui conuenerunt quæ dubia in fide erant ſequentes ſententiam Agatonis papę determinauerūt, ſcilicet quòd in Chriſto ſunt duæ uolūtates & duæ actiones, ſic patres in Calcedon. ſynodo congregati ſunt ſententiam Leonis papę, qui determinauit Chriſtum eſſe in duabus naturis pòſt incarnationem. Hæc ille.

QVAESTIO LVI.

VTRVM PATRES EXISTENTES IN CONCILIO *uniuersali, possint aliquid statuere sine autoritate Papæ.*

RESPONDET sanctus Thomas negatiuè in tractatu contra impugnantes religionem, Sancti enim patres in concilijs congregati nihil statuere potuissent, nisi autoritate Romani Pontificis interueniente, sine qua etiam concilium congregari non potest.

QVAESTIO LVII.

VTRVM PAPA SVBIICIATVR STATVTIS *Conciliorum.*

HVIC questioni Respondere uidetur S. Tho. sub distinctione in prima secundę.q.96.articulo.6. Vbi quęrens utrum omnes legi subijciantur ita dicit, quòd secundum hoc, lex de sui ratione duo habet, scilicet ꝙ est regula humanorum actuum, secunda quòd habet uim coactiuam. Dupliciter potest aliquis esse subiectus legi quam facit potestas, Alio modo sicut coactum cogenti. Et hoc modo homines uirtuosi & iusti, non subduntur legi; sed soli mali, & infra tractans illud quod dicit Iuris peritus, quòd Princeps legibus solutus est, Dicit, quòd Princeps dicitur esse absolutus à lege, quantum ad uim coactiuam legis, nullus enim propriè cogitur à seipso, lex autem non habet uirtutem coactiuam nisi ex principis potestate, sic ergo princeps dicitur esse absolutus à lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat, Vnde supra illud. Psalm. Tibi soli peccaui &c. dicit quòd Rex non habet hominem qui facta eius diiudicet, Sed quantum ad uim directiuam legis, princeps subditur legi propria uoluntate, secundum quod dicitur extra de constit. Quòd quisquis Ius in altero statuit, ipse eodem Iure uti debet. Et sapientis dicit autoritas. Patere legem, quam tu tuleris.

QVAESTIO XXV.

VTRVM PAPA POSSIT MVTARE STATVTA SANctorum patrum in concilijs vniuersalibus facta aut in eis dispensare.

Respondet Sanctus Thomas affirmatiuè in tractatu contra impugnantes religionem, ubi respondens ad illud zozimi Papæ, quod habetur in c. nono 25. q. 1. contra statuta Sanctorum patrum condere aliquid uel mutare. Huius quidem sedis potest, sic dicit. Dicendum quòd hoc est uerum in illis quæ statuta Sanctorum patrum decreuerunt esse de iure diuino, sicut articuli, qui determinati sunt per concilia, Sed illa quæ Sancti Patres determinauerunt de iure positiuo, sunt relicta sub dispositione papę, ut ea possit mutare uel dispensare, secundum oportunitatem tẽporum, uel negotiorum, Sancti enim patres in concilijs congregati, nihil statuere potuissent nisi autoritate pontificis interueniente, sine qua etiam concilium congregari non potest. Nec tamen Papa quãdo aliud facit quàm a sanctis patribus statutũ sit, contra statuta facit, quia seruatur intentio statuentium etiam si non seruentur uerba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus, & in omnibus temporibus obseruari, seruata interpretatione statuentium, quæ est utilitas ecclesiæ, sicut et in omni iure positiuo accidit, derogatur enim prioribus statutis per statuta sequentia.

QVAESTIO LIX.

VTRVM PAPA HABEAT PLENITVDINEM *dispensandi in omnibus statutis per ecclesiam uel ecclesiæ prælatos.*

QVAESTIO LX.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE CIRCA *ea quæ sunt iuris diuini.*

QVAESTIO LXI.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE CVM *Bigamo ut promoueatur.*

Quæstio

QVAESTIO LXII.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE QVOD *aliquis ſacerdos non indutus ueſtibus ſacris, conſacret corpus Chriſti.*

AD has quatuor quæſtiones. Reſpondet Sanctus Thomas ſimiliter in quolibet 4. artic. 14. Ad primam & tertiam & quartã affirmatiuè ſic dicens. non eſt dicendum quòd Papa habeat plenitudinem poteſtatis in eccleſia, ita ſcilicet quòd quæcunq; ſunt inſtituta per eccleſiam uel eccleſię prębatos, ſint diſpenſabilia à Papa, Hæc enim ſunt quę dicuntur eſſe iuris humani, uel iuris poſitiui. Circa uerò ea quæ ſunt iuris diuini, uel naturalis, diſpẽſare non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione diuina, ius autem diuinum eſt, quod pertinet ad legem nouam, uel ueterem, Sed hæc eſt differentia inter legem utramq;, quia uetus lex determinabat multa, tam in præceptis cerimonialibus, pertinentibus ad cultũ Dei, quàm in pręceptis iudicialibus pertinentibus ad iuſtitiam inter homines cõſeruandam. sed lex noua, quæ eſt lex libertatis, huiuſmodi determinationem non habet, ſed eſt contenta pręceptis moralibus naturalis legis, articulis fidei, & ſacramentis gratię, unde etiam dicitur lex fidei & lex gratię propter determinationes articulorum fidei & efficaciam ſacramentorum. Cætera uerò quæ pertinent ad determinationem diuini cultus, liberè permiſit Chriſtus qui eſt nouus legiſlator, Prælatis eccleſię, & principibus populi Chriſtiani determinanda, unde omnes huiuſmodi determinationes pertinẽt ad ius humanum, in quo Papa poteſt diſpenſare. in ſolis uerò his quæ ſunt de iure naturæ, & in articulis fidei & ſacramentis nouæ legis, diſpenſare non poteſt. Hoc enim non eſſet poſſe pro ueritate, ſed contra ueritatem. Manifeſtum eſt autem, ꝙ bigamum non promoueri non eſt de lege naturæ, nec pertinet ad articulos fidei, nec etiam eſt de neceſsitate ſacramenti, quod patet ex hoc, quia ſi Bigamus ordinetur, recipit ordinis ſacramentum, ſed hoc pertinet ad quandam determinationem diuini cultus, Vnde circa hoc poteſt Papa diſpenſare, licet diſpenſare non debeat, niſi ex magna, & euidenti cauſa. ſicut poſſet etiam diſpẽſare circa hoc, quòd aliquis ſacerdos nõ indutus ueſtibus ſacris,

consacret corpus Christi, & eadem ratio de omnibus aliis huius modi, quæ ex institutione humana processerunt. Hæc ille.

QVAESTIO LXIII.

VTRVM PAPA POSSIT DISPENSARE AVT *aliquid facere contra Apostolum.*

RESPONDET Sanctus Thomas quolibeto & articulo proximè nominatis, ubi respondens ad primum argumentum, sic ait, quod Apostolus in sua doctrina aliqua dupliciter posuit, quædam quidem sicut promulgans ius diuinum, sicut est illud quod habetur Gal. 5. Si circumcidimini Christus uobis nihil proderit, & multa alia huiusmodi, & in hoc propterea non potest dispensare, quędam uerò sicut propria autoritate aliqua statuens. Nam ipse dicit primo ad Cor. 11. Cætera cum uenero disponsam, & infra 16. mandauit ut collectæ quæ fiunt in sanctos, per unam sabbati fiant, quod non pertinet ad ius diuinum, & similiter etiam quòd dicit de bigamo non promouendo, non est iuris diuini, sed institutio autoritatis humanæ, diuinitus huiusmodi concessæ. Hæc ille. Ad idem in 4. dist. 28. In solutione unius argumenti. Cùm arguitur quòd non potest dispensare contra ea quę in canone dicuntur sic dicens, quòd hoc uerum est quantum ad ea quę sunt de iure naturali, & quantum ad ea quæ sunt de necessitate sacramentorum, & fidei. Sed in alijs quæ sunt de institutione Apostolorum, cum ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit; potest per eum qui primatum in ecclesia tenet, dispensari. Cæterum ad idem est in tractatu contra impugnantes religionem. Respondet ad id quod dicit Vrbanus Papa in cap. Sunt quidem 25. q. 1. uidelicet: Si quod docuerunt Apostoli & prophetæ, destruere, quod absit, nitatur, scilicet pontifex Romanus, Non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur, sic dicit. Non est uerum quòd Papa non possit aliquid facere contra Apostolum, dispensat enim cum bigamo, Et in pœna, quam canones apostolorum statuerunt presbytero fornicanti. Ex decreto autem inducto non potest amplius haberi, nisi quòd Papa non potest destruere scripturam canonicam Apostolorum, & prophetarum, quæ est in ecclesia, fidei fuadamentum. Hæc ille.

Quęstio

QVAESTIO LXIIII.

VTRVM IN PAPA RESIDEAT VTRAQVE POTESTAS TAM *fecularis quam fpiritualis.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 2. fententia rum di. ultima in fi.fic dicés.poteftas fpiritualis & fecularis utra que deducitur à poteftate diuina, & ideo in tantum fecularis po teftas eft fub fpirituali, inquantum ei à Deo fuppofita eft, fcilicet in his quæ ad falutem animæ pertinent, & ideo in his magis eft obediendum poteftati fpirituali fecundum illud Matth. 22. Reddite quæ funt Cæfaris &c. nifi forte poteftati fpirituali etiam po teftas fecularis coniugatur, ficut in Papa, qui utriufque poteftatis apicem tenet, fcilicet fpiritualis & fecularis, hoc ille difponen te, qui facerdos & Rex fecundum ordinem Melchifedech Rex Regum & Dominus Dominantium cuius poteftas non auferetur, & regnum non corrumpetur in fecula feculorum amen.

QVAESTIO LXV.

VTRVM PAPA POSSIT COMMITTERE SYMONIAM.

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in fecunda fecũ dæ q.4. articu. primo ubi fic dicit in refponfione ad argumentũ feptimum, dicendum ꝙ Papa poteft incurrere uitium fymoniæ fi cut & quilibet alius homo, peccatum enim in alia perfona tanto eft grauius quanto maiorem obtinet locum quàmuis enim res ecclefiæ fint eius ut principalis difpenfatoris, non tamen funt eius ut domini & poffefforis, & ideo fi reciperet pro aliqua re fpi rituali pecuniam de redditibus alicuius ecclefiæ non caret uitio fymoniæ, & fimiliter etiam poffet fymoniam committere reci- piendo pecuniam ab aliquo layco non de bonis ecclefiæ.

QVAESTIO LXVI.

VTRVM OPINIO DICENS PAPAM NON POSSE COMMITTERE *fymoniam maximè cum perfona ecclefiaftica, quia res ecclefiæ funt fuæ, fit erronea.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in 4. fenten- tiarum

tiarum di.25.q.15.sic dicens in responsione ad argumentum tertium. Dicendum ꝙ opinio illa erronea est, si enim Papa pro aliqua rè spirituali munus acciperet, symoniam committeret sicut & alius homo, quia in ipso Petro cui papa successit symoniæ uitium damnationis inchoauit in nouo testamento, quàmuis res ecclesię sint aliquo modo papæ, non tamen sunt eius omnibus modis habendi, sicut id quod ad manum habet non est dubium ꝙ symoniam committeret, si quis aliquid spirituale debitori suo daret ut quod suum est recuperaret, & ita etiam in proposito Papa a symonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro tēporalibus rebus ecclesiarum daret.

QVAESTIO LXVII.

VTRVM CLERICI TENEANTVR DECIMAM DARE *papæ si ab eis exigat.*

QVAESTIO LXVIII.

VTRVM TENEATVR COMMVNITAS RELIGIONIS *christianæ prouidere papæ de necessarijs ad regimen & gubernationem ipsius ecclesiæ.*

AD has duas questiones Respondet Sanctus Thomas affirmatiuè in secunda secundæ q.87. articu.4. in responsione ad.3. argumentum sic dicens. in ueteri lege primitiæ debebantur sacerdotibus, decimæ autem leuitis, & quia sub sacerdotibus longe erant, Dominus mandauit ut ipsi loco primitiarum soluerēt summo sacerdoti decimā decimę, vnde nunc eadem ratione tenentur clerici summo Pontifici decimam dare si exigent. naturalis enim ratio dictat ut illi qui habet curam de cōmuni multitudinis statu, prouideatur unde possint exequi ea quæ pertinent ad cōmunem salutem. Hæc ille.

QVAESTIO LXIX.

VTRVM PAPA VTATVR BACVLO SICVT EPISCOPI.

RESPONDET Sanctus Thomas in 4. sentētiarum di.24. in fine negatiuè, ad hoc rationem assignans, primò quia Petrus

misit episcopum ad suscitandú quendam discipulum suum, qui factus est postea episcopus Treueren. & ideo in dioc. Treueren. papa baculum portat, & non in alijs, secundo quòd non habet coarctatam potestatem quòd curuatio baculi significat.

QVAESTIO LXX.

VTRVM SIT LAVDABILE IN PAPA VILIOREM HABITVM *extra metas habitus consueti assumere.*

RESPONDET Sanctus Thomas negatiuè in tractatu cõtra impugnantes religionem sic dicens. quidam sunt status hominum, quibus est habitus determinatus, sicut quælibet religio suũ determinatum habitum habet, ita etiam antiquis temporibus in dignitatibus constituti dererminatos habitus habebant, quasi suæ dignitatis insignia. Et sic nunc summus Pontifex determinato habitu utitur. Vnde sicut religioso unius religionis non liceret assumere uiliorem habitum qui suę religionis metas excederet, quàmuis infra metas habitus suæ religionis, si uilioribus utatur non sit reprehensibilis, sed laudetur, ita etiam non fuisset laudabile in antiquis principibus, nec modo esset in summo pontifice, si uiliorem habitum assumeret extra metas habitus consueti, secus etiam est de principibus & alijs hominibus, qui non habent certum habitum deputatum, in eis enim non est uituperabile, si uilioribus utantur quàm eis conuenire possit secũdum statum suum, vnde. 2. Reg. vi. quod Michol deridens Dauid ait, quã gloriosus fuit Rex Israel, hodie discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur unus ex seruis, Et Dauid respondet, Ludam & uilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Et Hest. 14. Tu scis infirmitatem meam & necessitatẽ, quòd abominer signum superbiæ meæ, quod est super caput meum, & non portem illud in diebus silentij mei, ex quo patet quòd in regibus & principibus est laudabile quòd humilibus sint contenti, quando sine scandalo fieri potest & sine detrimento propriæ auctoritatis.

QVAESTIO LXXI.

VTRVM CORRECTIO FRATERNA SE *extendat ad Papam.*

RESPONDET Sanctus Thomas affirmatiuè in secunda secundæ

cundæ.q.33.artic.4. ita dicens, Correctio quæ est actus iustitię per cohertionem penæ, non competit subdito respectu prælati, sed correctio fraterna quæ est actus caritatis pertinet ad unumquemq; respectu cuiuslibet personæ, ad quam caritatem debet habere, si aliquid in eo corrigibile inueniatur. Actus enim ex aliquo habitu uel potentia procedens se extendit ad omnia quæ continentur sub obiecto illius potentiæ uel habitus, Sicut uisio ad omnia quæ continentur sub obiecto uisus, sed quia actus uirtuosus debet esse moderatus debitis circunstantijs. Ideo in correctione qua subditi corrigant prælatos debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum proteruia & duricia, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigāt, Vnde APostolus dicit primæ ad Tymo.4. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem. Et ideo Dyonisius redarguit Demophilum monachum, quia sacerdotem irreuerenter correxerat eum eiiciens, & de ecclesia expellens.

QVAESTIO LXXII.

VTRVM PAPA IN ALIQVO CASV SIT A SVBDITIS *publicè arguendus.*

RESPONDET Sanctus Thomas in secūda secundæ.q.12.art. nominatis, Tractans autoritatē illam apostoli ad Gal.2. In faciē ei restiti & glo. ait ut par. dicit sic, in faciem resistere corā oībus excedit modum fraternæ correctionis, & ideo sic Paulus Petrū non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem, sed in occulto admonere & reuerenter, hoc etiam potest ille, qui non est par: Vnde Apostolus ad Col. ultimo scribit, ut prelatum amoneat cum dicit. Dicite Archiepiscopo, ministerium tuum imple, sciendum tamen quòd ubi immineret periculum fidei, etiam essent publicè prælati a subditis corrigendi, Vnde & Paulus qui erat subditus Petro propter imminens periculum fidei & scandali circa fidem, Petrum publicè arguit, & sicut glo. Augustinus dicit ad Gal.2. Ipse Petrus exemplum maioribus prebuit, ut sicubi forte rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam à posterioribus corrigi. Item idem Sanctus Thomas super epistolam ad Gal. tractans prefatam autoritatem cùm dicitur quòd glo. ait restitit ei tanquàm par dicit,

quòd

quòd Apostolus fuit par Petro in exequutione authoritatis, nõ autem regiminis. Ex prædictis ergo habet exemplum quasi Prælati humilitatis, ut non dedignentur à minoribus & subditis corrigi, Subditi uerò exemplum zeli, & libertatis, ut non uereantur prælatos corrigere, præsertim si crimen est publicum, & in periculum multitudinis uergat. In 4. uerò sententiarum dist. 19. dicit quòd hoc quòd Paulus Petro in faciem restitit excedit modum fraternę correctionis q̃ prælatis a subditis debetur, Nã prælati à subditis coram multitudine, sed humiliter, & in priuato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei, tunc enim Prælatus minor fieret si in infidelitatem laberetur, & subditus fidelis maior.

QVAESTIO LXXIII.

VTRVM PAPA CORRECTVS A SVBDITIS POSSIT *aut debeat corrigi per cohertionem penalem.*


RESPONDET Sanctus Thomas negatiuè in 4. senten. dist. & q. proximè nominatis, ubi respondens ad tertium argumentum. Ita dicit, quòd quàmuis Prælati a subditis sint corripiendi, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est, uel ad superiorem denuntiando, uel si non habet superiorem, recurrat ad Dominum, ut eũ emendet uel de medio subtrahat. Hæc ille.

Deo gratias.

Expliciunt quæstiones Beati Thomæ de Aquino de authoritate summi Pontificis, collectę per Reuerendum Magistrum Ioannem de Turre Cremata ordinis prędicatorum scholaris sacri Apostolici palatii regentem in concilio Basilien. Anno Domini. M. CCCCXXXVII.

Hæc sunt pater Reuerendissimæ, quæ ego uester humilis Capellanus frater Ioannes de Turre Cremata, ex libris beatissimi Doctoris Thomæ de Aquino iussu Reuerẽdissimæ uestrę paternitatis de autoritate summi Pontificis collegi, quæ si minus integrè collecta sunt, Dominatio uestra gratanter suscipere dignetur.

FINIS.



F

THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. SISTI,

DE COMPARATIONE AVTORITATIS PAPAE, ET CONCILII TRACTATVS.

QVOD PAPA HABEAT SVPREMAM POTESTATEM *in ecclesia Dei.* *Cap. I.*



NTENDENS resolute cōparare potestatem Papę potestati ecclesiæ, & concilij vniuersalis; primo potestas Papæ suo loco ponenda est. deinde comparabitur specialiter Apostolorum autoritati. post ecclesiæ, & concilij uniuersalis absolute: & deinceps in casibus, primo hæresis, secūdo incorrigibilitatis, & demum in euentibus, ut sic resolute habeatur, & simpliciter & secundum quid. Et intendo pro solis uiris doctis absq; ulla passionę rationabilia tantum dicere; sub iudicio tamen sacrosanctæ Roma. Ecclesiæ. Et ne quis putet ponere me falcem in messem alienam, præmitto ꝙ quia autoritas pape immediate est a Deo & reuelata in sacra scriptura, & autoritas ecclesiæ uniuersalis immediate dicitur esse à Deo (ut constantien. concilium declarauit) ideo materia ista primo, & principaliter est Theologorum: quorum est sacram scripturam, & diuina opera scrutari, secundario autem inquantum, scilicet est in sacris Canonibus declarata, ad canonistas spectat. Propter quod, grauiter errāt in hac re canonistis primo deferētes. Oportet ergo virum docilem utrosque (Theologos, & Canonistas) in re hac perspicere, & in suo quemq; loco honorando theologiæ primatum dare; utpote quæ ex propriis potest hæc determinare. Canonicum autem ius nō nisi ad theologicam recurrat autoritatem. s. sacræ scripturæ, quæ uera theologia est.

A PRIMO igitur inchoando dicimus, ꝙ certa est ista propositio. papa habet supræmam potestatem in ecclesia Dei. Fundaturq; super institutione IESV CHRISTI Matth. 16. & Ioan. ult. Saluator siquidem noster Rex regum, & dominus dominantiū, quāmuis potuisset christianam rempub. in terris diuersis modis regendam disponere, uoluit tamen & statuit, ut non populare, non

non diuitum, non potentum, non optimatum multorum, aut paucorum esset regimen, sed vnius tantum: promittens soli Petro Matth. 16. tibi dabo claues, &c. & eidem soli promissioné exhibens, curam omnium ouium suarum committens Ioan. ult. pasce oues meas. Comparatiua siquidem interrogatio, a qua sermo incepit dicens, Simon Ioannis diligis me plus his? conuincit etiam proteruos, quòd Petro vt distincto ab Apostolis præsentibus (ad quos refertur comparatio) & non in persona eorū loquebatur dominus. Et licet hic textus sufficere deberet; quoniam tunc factus est Petrus pastor vniuersalis, dum dictum est in præsenti, pasce oues meas; non has uel illas, sed indistincte, ut omnes comprehenderet; ut Greg. notat. Non desunt tamē glossę Chryso. dicentis ibidem: preteriens alios, petro loquitur. pꝑpositus loco mei esto, & caput fratrum tuorum. Et Theophili dicentis quòd commissionem ouium mundi Petro commēdat nō alij. Et Leo papa in ca. ita dominus. di. 19. & in. 6. de elec. ca. fundamenta, dicit. Ita dominus huius muneris sacramentum ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet. Et merito inquit diuus Tho. in 4. contra gent. cap. 76. sic saluator instituit: quia regimen ecclesiæ est optime ordinatum: optimum autem regimen est unius. Quod ex fine regiminis apparet. est enim finis pax, quæ in unitate consistit; & constat quòd melius est causa unitatis unus quàm multi: qui non nisi ut in unum uenientes eam causant. est ergo ecclesiæ regimen institutum, ut unus solus præsit uniuersę reipub. Et tu ualde notabis assumptum. s. ꝙ Iesus Christus instituit tale regimen, ut claudas ora opponentium de regali regimine instituto a senatu, seu populo libero. non enim ecclesia, aut populus Christianus, aut concilium aliquod uniuersale, sed Christus ipse (qui uiuit & regnat) instituit tale regimen, sic ut petrus non ecclesiæ, sed Iesu Christi uicarius esset: ut ex concilio Lugd. in c. ubi periculum de elec. lib. 6. patet. Vbi papa dicitur Iesu Christi uicarius. Et in ca. quamuis. di. 21. pelagius papa dicit. Sancta Rom. Ecclesia Catholica & Apostolica nullis synodicis constitutis cæteris ecclesijs prælata est, sed Euangelica uoce domini & saluatoris primatum obtinuit. Afferuntur quoq; in dicto ca. contra gen. multę ad hoc propositum rationes de prima-

tu papæ & de necessitate eiusdem ultra Iesum Christum in cælis, quas poteris ibi uidere. Firmatur autem asserta propositio autoritate Martini.5.in concilio constantien.ubi diffinita est: ut patet in bulla cōdemnationis Ioannis uuicleff. In cōcilio quoq; eucumenico florentino sub Eugenio.4. (ubi unio Grecorum & armenorum cum Ro. Ecclesia facta est) habentur hæc uerba. Diffinimus Sanctam Apostolicam sedem & Rom. Pontificem in uniuersum orbem tenere primatum: & ipsum Ro. Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & uerum Christi uicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi uniuersalem ecclesiam, a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Hæc ibi.

Ex quibus patet propositionem dictam non solum esse ueram, sed contrariam esse erroneam. ut etiam S.Tho. in tracta. contra errores Græcorum.ca.65.& tribus sequentibus tangit. & pertinet ad errores Ioannis hus,damnatos in concilio constantien. a Martino.5.

OPINIONES ALIORVM DE COMPARATIONE POTEstatis *Petri Primi papæ & Apostolorum.* Cap.2.

QVAMVIS autem papæ potestas Petro Apostolo primum collata ostensa sit suprema: non desunt tamen qui Apostolos reliquos parem potestatem accepisse a Christo arguant. Et ut ueritas clarius elucescat, scito quòd in hac re duo dubia inuoluuntur: quæ si separentur, perspicuam magis sortientur ueritatem. Alterum dubium est de equalitate potestatis Petri & aliorum Apostolorum. Alterum de modo habendi potestatem: an scilicet omnes immediate habuerint eam a Iesu Christo, an solus petrus immediate a Christo, alij uero ab eodem mediante petro. Et quo ad utrúque dubium duæ sunt opiniones extremę.

Prima est dicentium, quòd omnes apostoli parem potestatem a Iesu Christo immediate habuerunt. Et hi utrunque simul multipliciter probant ex sacra scriptura. Primo ex eo quòd Matth. 18.saluator omnibus Apostolis replicauit quod soli Petro dixerat in ca.16. ait enim,quæcunque solueritis super terram &c. Et uerbum illud Ioan.ulti.dictum Petro, pasce oues meas, omnibus

Apostolis

Apostolis in sententia dictum est: quoniam pascere tripliciter fit, doctrina, uita & correctione. Hæc autem omnia omnibus dicta sunt Apostolis. Primum matth. vlti. Docete omnes gentes. Secundum matth. 5. Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus &c. Tertium Ioan vlti. quorum remiseritis peccata &c. Secundo ex. 2. cap. ad Gal. Vbi Paulus dicit, quòd hierosolymis petrus & alij apostoli nil sibi contulerunt, nec doctrinę nec potestatis (ut ibidem bis habet S. Tho.) sed dederunt ei dextras societatis. & quòd in Antiochia restitit petro in faciem, quia reprehensibilis erat. Hæc enim non sunt inter superiorem & subditos, sed potius inter socios. In actibus Apostolorum. 8. ca. legimus, quòd Apostoli miserunt petrum & Ioan. in Samariam. Constat autem quòd maior non est qui mittitur mittente. iuxta illud. non est seruus maior domino suo, nec Apostolus maior eo qui misit illum, Ioan. 13. Et confirmantur hæc autoritate sacrorum Canonum. Primo Anacleti pape di. 21. ca. in nouo. Cæteri Apostoli, inquit, cum beato Petro pari consortio prę diti, & honorem & potestatem acceperunt. Secundo Cypriani in ca. loquitur dominus 24. q. 1. Hoc cęteri apostoli erant quod petrus fuit, pari consortio prediti & honoris & potestatis. Tertio Hiero. super epistolam ad Galatas (& habetur. 2. q. 7. ca. Paulus.) Paulus petrum reprehendit: quod non auderet, nisi se non imparem sciret.

Altera extrema opinio est, discordantium in utroque: & dicentium, quòd nec parem potestatem, nec immediate a Iesu Christo omnes Apostoli acceperunt potestatem. sed solus petrus immediate a domino Iesu Christo potestatem accepit, & omnes ei subiecti fuerunt ab ipso potestatem habentes. Et de modo quidem habendi potestatem, scilicet, quòd solus petrus habuit eam a domino Iesu immediate, probant in communi quidem ex textu Anacleti. di. 21. in nouo. Petro primo ponti ficatus in ecclesia Christi datus est. In speciali autem quo ad potestatem ordinis, non sacerdotalis (hanc enim constat habuisse omnes immediate a Christo in cœna dicente. Hæc quotiescũque feceritis, in mei memoriam facietis, quo ad actum celebrãdi missas. & post resurrectionem quo ad actum absoluendi in sacramento pœnitentiæ, dicente. Accipite spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.) sed episcopalis probant ex cõsecratione Iacobi & Pauli ac Barnabę. Iacobus enim

ordinatus

ordinatus fuit archiepiscopus hierosolymitanus a Petro, Iacobo & Ioanne, ut dicitur in cap. porro di. 66. Et Paulus & Barnabas ordinati ab alijs fuerunt. Dicitur enim Act. 13. dixit spiritus sanctus. Segregate mihi paulum & Barnabam &c. Et subiungitur. Imponentes eis manus dimiserunt. glosa, in modum ordinādorum. Et in cap. ꝙ die dominico dis. 75. Quo ad potestatem uero iurisdictionis, cum nullibi clarius appareat quā Matth. 18. ubi apostolis dicit dominus Iesus. quęcunque solueritis super terram &c. Probant ex hoc, quòd Christus soli petro dixerat quodcunque solueris &c. Matth. 16. Ex ipso inquiunt ordine promissionum insinuat, quòd potestas ligandi & soluendi ordine quodam exhibenda erat, ut. s. per petrum ad alios deriuaretur, ut S. Tho. in 4. contra gen. ca. 76. & in 4. sen. di. 24. q. ulti. dicit. Affertur quoque auctoritas leonis supra inducta ex ca. ita dominus. di. 19. clare dicentis, quòd Christus hoc disposuit ut ab ipso petro quasi a quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet.

De aeqvalitate uero potestatis apostolorum quatuor inuenio expositiones, sustinentes cum hoc petri autoritatem super omnes. Prima distinguit potestatem ordinis & iurisdictionis. Et oēs dicit esse equales in potestate ordinis, sicut oēs epi. sunt equales tali potestate: Petrus autem super omnes dicitur potestate iurisditionis. Secunda dicit, quòd omnes apostoli fuerunt in potestate iurisditionis pares .i. similes. Probatq; in scritura paritatem pro similitudine sumi, ex Leui. 18. ca. Cauete ne uos similiter euomat, cum paria feceritis. glo. i. similia. Tertia & est sancti Tho. in secunda secundæ. q. 33. arti. 4. ad secundum, quòd fuerunt pares aliquo modo, quantum ad fidei defensionem. Inquit enim sic. coram omnibus Paulus Petrum non reprehendisset nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem. Quarta est eiusdem super epistolam ad gala. 2. cap. quòd apostoli fuerunt equales quantum ad executionem auctoritatis. ait enim Apostolus. s. Paulus fuit par petro in executione autoritatis, non autem in autoritate regiminis.

RATIONABILIS SENTENTIA, QVOD PETRO *subiecti erant cæteri Apostoli.* *Cap. III.*

ALLATIS duabus extremis opinionibus media mihi uia incedendũ occurrit, & dicendũ, quòd apostoli inter se possunt comparari dupliciter. Primo inquantum apostoli, & sic omnes fuerunt equales. Alio modo inquantum oues Christi, ab eo hic corporali conuersatione separatæ. & sic Petrus solus est pastor, & reliqui apostoli oues sub illius cura. Sed quia non sufficit dicere, sed oportet declarare & probare sic esse ut dicimus, declaro primo dignitatem & potestatem apostolatus. Scribitur in primis Luc. 9, ca. quòd cõuocatis Iesus. 12. apostolis, dedit illis uirtutẽ & potestatẽ super oĩa dæmonia, & ut languores curarẽt, & misit illos prædicare regnũ Dei & sanare infirmos. Matth. quoq; ulti. legitur, quòd eisdẽ dominus dixit. Eũtes in mũdũ uniuersum docete omnes gẽtes, baptizãtes & docẽtes seruare omnia q̃ mãdaui uobis. In prima quoq; epistola pauli ad Corin. 12. ca. legitur, quòd Deus posuit in ecclesia primũ apostolos. ubi glo. interlinearis in uerbo primũ dicit. dignitate & tẽpore. Et ĩ uerbo apostolos, dicit. omniũ ordinatores & iudices. In decre. di. 68. ca. quorũ uices, dicitur ex aug. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. patres missi sunt apostoli, pro apostolis filij nati sunt & cõstituti epi. Et in cõcilio icumenico florẽtino sub Eugenio. 4. inter documẽta fidei de ministro cõfirmationis habẽtur hæc uerba. Hãc .s. cõfirmationẽ nõ nisi eps debet cõferre, quia de solis apost lis legitur (quorũ uicẽ tenẽt episcopi) quòd per manus impositionẽ spiritũ sanctũ dabant. Diuus Tho. super præallegatis uerbis ex prima epistola ad Corin. 12. ca. dicit hæc uerba. Maiores aũt ministri in ecclesia sunt apostoli, ad quorũ officium tria pertinent. Quorũ primũ est autoritas gubernandi fidelẽ populũ, q̃ proprie pertinet ad officiũ apostolatus. secũdo facultas docendi. tertio potestas miracula faciẽdi ad cõfirmationẽ doctrinæ. Hæc ille. Et postquã subiũxit, ꝙ tertiũ horum ordinatur ad secũdũ, & secũdũ ad primum, subdit Deus posuit primũ apostolos, quorum regimini cõmisit ecclesiã. Et tripliciter probat. Primo per illud Luc. 22. & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnũ. Secundo per illud apoc. 21. Murus ciuitatis habẽs fundamẽta. xij. & in ipsis. xij. nomina duodecim apostolorum. Tertio per illud

ad Ro.8. Nos ipsi primitias spiritus habẽtes, maiori.n. gradui maior datur gratia. Ex his omnibus facile est uidere, ꝙ apostoli in quãtum apostoli, habuerũt nõ solum potestatẽ ordinis, sed iurisdictionis. Autoritas.n. gubernãdi ecclesiã, q̃ est apostolatui propria, sine iurisdictionis potestate non est. Et si huic adiunxeris, quòd nõ habuerunt apostolatũ a Christo mediãte petro, sed im̃ediate ab ipso Iesu Christo, iuxta illud Io. xx. sicut misit me pater, & ego mitto uos, & Matthæi.10. & Marci.3. & Luc.6. patet, quòd ipse fecit eos apostolos. Et ad Gala.1. paulus probat se apostolum, quia neq; ab hominibus, neq; ab homine tã mittẽte quã docẽte est apostolus. Solues utrunq; dubiũ.s. & de potestatis equalitate, & de modo habẽdi, quòd.s. apostoli quãtũ ad apostolatus auctoritatẽ fuerunt equales simpliciter, & quòd hãc potestatem habuerunt a Iesu Christo ĩmediate, sicut & apostolatũ. Dixi autẽ simpliciter, quia secundum quid nihil prohibet unum apostolum habere apostolatum dignius altero, ut paulus alijs. iuxta glo. interlineare ad Gala.1. in uerbo. qui suscitauit eum a mortuis, dicẽtẽ in persona pauli. & ita dignius me cõstituit per ĩmortalem Christum quã alios per mortalẽ, & glo. marginalem ex Aug. in libro retractationum ex eadẽ radice. Propter quod diuus Tho. ibidem dicit paulum ad dexteram, & petrum ad sinistram in bullis papalibus imprimi. Dignitas.n. ista ex parte status vocantis, quia.s. est immortalis, non facit uocatum apostolum maiorem simpliciter, sed quo ad hoc,

SI AVTEM consideremus, quòd etiã ipsi apostoli oues erãt Christi, a quo statutum est ut sit unum ouile & unus pastor, sic petrus inuenitur ille unus pastor, cui dictum est. pasce oues meas, non has uel illas: & reliqui inueniuntur unius ouilis oues. In cuius signum petrus statim factus pastor, curam Ioã. suscepit, interrogans de eo. Hic autem quid? ut patet Ioan ulti. Quomodo autem uerificari possunt hæc duo simul; quòd scilicet omnes Apostoli fuerunt pares in autoritate gubernandi ecclesiam, atq; à IESV CHRISTO eam immediate habuerunt, & ꝙ Petrus solus fuit institutus pastor vniuersalis ecclesiæ, & maior autoritate super alios apostolos, itaꝙ ab ipso capite in totum ecclesiæ corpus potestas deriuata est; difficile apparet prima fronte, sed si subtiliter contẽplati fuerimus, videbimus de facto omnia uera simul fuisse. Sciendum est nãq; ꝙ sicut in natura dupliciter aliqua fiunt.s. naturaliter, ut cum ho

mo

mo generat hominem, & infirmus ex uirtute naturæ ſanatur, & ſupernaturaliter, ſicut cum homo creatus eſt à deo, & infirmus miraculo ſanatur. Ita in eccleſia duplici quoq; modo aliquid fit, ſcilicet ordinarie, ut cum ſeruato iuris ordine creatur epiſcopus, & de ſpeciali gratia à principe, ut ſi ſtatim aliquis crearetur epiſcopus; ut de Ambroſio contigit. Vtroque autem modo princeps noſter IESVS CHRISTVS in primitiua eccleſia vſus eſt. nam in inſtitutione eccleſiaſtici regiminis ordinario iure perpetuo ſeruandi monarchicũ. i. vnius, principatum inſtituit, & poſuit Petrum caput vnũ totius corporis eccleſiæ: a quo in omnes poteſtas iuriſdictionis, & ordinis ordinariè deriuaretur. Et hoc intendunt omnes ſacri autores, cum dependentia omnium à Petro doctrinam tradunt. In erogando vero ex ſpeciali gratia: ſicut preuenit petrum in conferendo poteſtatem ordinis (dum ipſe dominus per ſeipſum etiam alios apoſtolos fecit ſacerdotes in ultima cena, & confeſſores poſt reſurrectionem, & ſacramentum confirmationis in die Pentecoſtes) ita præuenit eundem in dando autoritatem gubernandi, ordinandi, iudicandiq; eccleſiam; ut ex allatis patet autoritatibus. Et quemadmodum nihil obſtat maioritati ipſius petri capitis, ꝙ alij non habuerunt ab ipſo poteſtatem ordinis (quia hoc non fuit ex defectu poteſtatis in petro, aut ex exemptione aliorum ab ipſo, ſed ex præuentione ſuperioris, qui prius dedit id ſubditis petri ex gratia, quod ordinarie dandum erat eiſdem a petro) ita etiam nihil officit excellẽtiæ poteſtatis iuriſdictionis petri ſuper omnes, ꝙ eius ſubditis ſaluator ſuperior omnibus dedit illam poteſtatem ex gratia, quam a petro per uiam ordinariam erant accepturi. Modus itaq; uarius dandi, & accipiendi poteſtatem, clarificat ueritatẽ. In petro enim & a petro inchoat omnis eccleſiæ poteſtas, & deriuatur in totam eccleſiam via ordinaria: & rurſus aliqui petro ſubditi plures poteſtates acceperunt à Chriſto immediate, quas a petro accepturi erant, uia præuentionis gratuite. Et ſic eccleſia una ſub unico tantum capite petro, ſcilicet & habet apoſtolos omnes immediate à Chriſto poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis habentes ex gratia præueniente: & habet petrum ſolum caput apoſtolorum cęterorum, & omnium, a quo in apoſtolos alios, & in omnes ordinariæ poteſtas ordinis, & iuriſdictionis deriuanda eſt. Sunt ergo ſimul vera, quæ aduerſari ſibijnuicem uidebantur.

Et vt clarius elucescant dicta, scito quinq; esse differentias inter potestatem petri, & aliorum apostolorum. Prima est in modo dandi, & accipiendi, quia petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia: ut explanatum est. Secunda est in offi cio (& sequitur ex prima) quòd petrus factus est Vicarius gene ralis IESV CHRISTI, alij uero facti uelut legati seu delegati eius: iuxta illud Pauli secundę ad Cor.5. legatione pro Christo fungimur, & ad Eph. ult. legatione fungor in cathena ista. Et hoc ip sum apostoli nomen importat, a missione sumptum; quãuis ex tenso uocabulo in præfatione dicantur Vicarij. Tertia est in obiecto potestatis, quòd aliorũ potestas iurisdictionis non erat supra seinucem, sed super alios, petri uero potestas erat & super alios, & super ipsos reliquos apostolos. dicente sibi soli Christo, pasce oues meas, in quarum numero sine dubio erant apostoli. Vbi Chryso. dicit in persona Christi, ad Petrũ. Loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Quarta est in perpetuitate potestatis; quia aliorum potestas finienda erat cum uita eorum: quoniam data est eis in personis proprijs, pro solis personis propriis, & non pro eorum successoribus. Petri vero potestas usque ad consummationem seculi perseuerat, quia data est sibi in persona propria non solum pro seipso, sed omnibus successoribus suis. quod sancti Doctores exprimũt sub alijs uerbis, dicendo ꝙ data est petro in persona ecclesiæ. Et ex hac differentia oritur, quòd nullus est successor Ioan. aut Iacobi, nec etiam pauli apostoli in autoritate apostolatus vniuersalis gu bernationis ecclesiæ, sicut Apostoli gubrnabant vbiq;: sed tãtũ in potestate ordinis, & regiminis unius certę ecclesię succedunt episcopi, sed solius petri successor est, & dicitur papa, ut patet in allegatis superius. Quinta & ultima pro nunc est in ipsa essen tia potestatis, quoniam autoritas communiter apostolis data, ex ui apostolatus fuit uelut potentia executiua. unde & a S. Th. uocatur autoritas gubernandi: gubernatio enim executionem sonat. Autoritas uero data soli petro cum factus est papa, dicente Christo. pasce oues meas, est potentia præceptiua, & pro pterea uocatur a S. Tho. autoritas regiminis. Propter quod di xit S. Tho. Paulus fuit par petro in executione, non in autori tate regiminis, ad Gala.2.& ad Cor.12. ecclesiæ regimẽ, quod sonat executionem non autoritatem regiminis, quod sonat im perium, commissum dicit apostolis. Vnde & in pręfatione non

appel-

appellantur Vicarii absolute, sed vicarij operis, dicente ecclesia ad Deum de apostolis, quos operis tui vicarios, quasi diceret uicarios ad exequendum. Verũtamen, quia unum pro alio quãdoq; poni potest, si etiam inueniretur paritas in autoritate regiminis, pie exponendum esset pro executiua potentia. Dedit.n. saluator omnibus apostolis cõmuniter, ut exequi possent in eis ad quos mittebantur, omnia quæ poterat exequi Petrus: puta instituere ecclesias, & episcopos, docere, excommunicare, &c. Petro autem absolutæ dedit potestatem omnium. Et si Paulus aliquo modo.i.executiue erat par Petro, quantum ad defensionem fidei, ut ex Secunda secundę dictum est. Et si nõ penetras differentiam hanc inter potestatem executiuam, & præceptiuã, uide illam in exemplo. Episcopi habent officium prædicandi, & fratres prædicatores habent etiam officium prædicandi (cum ad hoc instituti sint) sed differenter, quia episcopi ex propria autoritate hoc faciunt, fratres uero prædicatores autoritate Papæ delegantis eis in officium, hanc prædicationis exercendæ potestatem. Sic.n. proportionaliter de potestate gubernãdi ecclesiam in petro & alijs apostolis fuit, petrus.n.ex propria sui pontificatus officij autoritate gubernabat, alii uero apostoli ex priuilegio domini delegantis eis gubernationis officium.

Nunc superest respondere obiectis in sequenti capitulo.

IN QVO SOLVVNTVR OBIECTIONES CONTRA DETERMINAtionem *factam de Petri primatu super alios Apostolos. Cap. 4.*

VT AVTEM ordinate satisfiat obiectis, primo, ad primo inductas obiectiones, & sic deinceps respõdebitur. Ad autoritatẽ ergo ex Matt. 18. dicitur, quòd in uerbis dictis Petro soli c. 16. & in uerbis dictis oĩbus cap. 18. perspicienda sunt duo scilicet ordo, & potestas data. Ordo fuit, ꝙ prius petro soli est dictum, quodcunq; solueris, & deinde omnibus. Et ex hoc ordine insinuat dominus ordinarium progressum potestatis soluẽdi, & ligandi, ꝙ. s. a petro ad cæteros deriuanda est propter unitatem capitis, & corporis ecclesiæ, ut ex autoritatibus S. Tho. allatis ex. 4. contra gen. & 4. sen. apparet; potestas data fuit (ut dictum est) ad gubernatiuam ecclesiæ potestatem pertinens, & æqualis modo dicto. Et ex hoc ostendit dominus, quòd ipse ex gratuita pręuẽtione dare uoluit apostolis. Ambo igitur simul cõ

ſiderata oſtendunt magis quod diximus eſſe uerum. Ad illud Ioã.ulti.quamuis male probetur, quòd correctio iuriſditionalis ſit cõmiſſa omnibus per illud.quorũ remiſeritis peccata (quoniam hæc uerba ad correctionẽ fori pœnitentiæ ſpectant) quia tamen poſſet probari per illud Matth. 18. quæcunq; ſolueritis: vbi Saluator loquitur de exteriori iuriſditione, qua eccleſiã non audiens ſit ethnicus & publicanus. Reſpondetur, quòd in ueritate ſaluator illa uerba etiam quo ad ſenſum.paſce oues meas, ſoli petro dixit, ut probatum eſt. Et quòd ſi inuenitur aliquid ſimile cõmiſſum apoſtolis (puta paſtorale officiũ) ex eodẽ fundamento dicatur, quòd nulli cõmiſſæ ſunt oues Chriſti indiſtinctè, ut comprehendantur oẽs, niſi petro. alijs uero cõmiſſę ſunt oues determinate ſaltẽ hac determinatione.ſ. alio ab ipſis apoſtolis, ſaltẽ petro. Et propterea alij poſſunt dici delegati paſtores; iuxta illud præfationis. quos operis tui vicarios eidẽ cõtuliſti præeſſe paſtores. quaſi diceret, quòd gregi tuo contuliſti apoſtolos præeſſe paſtores, ut uicarios operis tui.i. miſſos ut uice tua ad executionem operis tui. Petrus autẽ creatus eſt paſtor ouiũ Chriſti abſolute & uniuerſaliter, dicẽte Chriſto ipſi ſoli.paſce oues meas. Vnde (ut unico uerbo dicatur) plus datum eſt per hoc uerba petro, quã per quæcunq; alia ſimul congregata cęteris, quia auctoritas regiminis uniuerſalis ſimpliciter hoc claudit, quamuis totum paſtorale officium executiue conceſſum ſit omnibus apoſtolis. Ad auctoritatẽ ex ſecundo ca.ad Gal.iam patet, quòd nil doctrinæ aut poteſtatis a ccepit paulus a petro, nõ ex defectu poteſtatis in petro, ſed ex prę uentione gratuita, qua a domino Ieſu habuit poteſtatem & ſcientiam, ut ipſemet in primo ca. dixerat. Dexteras autem ſocietatis, propter unitatem fidei, quam docebant: non ſolum namq; ſocij, ſed fratres in unitate fidei ſumus, iuxta illud Matth.23. omnes uos fratres eſtis. Quomodo uero in faciẽ reſtitit ut par, iam declaratum eſt, quòd de paritate in executione officij defenſiui fidei intelligitur. Ad illud uero, quòd in actibus apoſtolorũ, Petrus & Ioannes miſſi ſunt. facile patet ex theologis in primo ſen.di.15.reſponſio, quòd non oportet mittẽtẽ eſſe maiorẽ miſſo. Et nihilominus in propoſito miſſi dicũtur conſilio uel amore, non auctoritate aliorum. Ad auctoritates Anacleti Cypriani, & Hiero.iam patet quid dicendum ex fundamẽto iam poſito. Vnde uir docte, quia non uagando, ſed ex eadẽ radice omnia ſoluuntur, tęſtimonium habes quòd doctrina hęc

uera

uera est. Vero.n.omnia cōsonāt:& oportet ex quòd quid est rei, omnes difficultates ꝓprias soluere, ut philosophus dicit. 4. phy.

Ex eadem quoq; radice patet de positione aliorum, quam recitauimus circa modum habendi potestatē a Christo immediate. Patet inquā de potestate ordinis, quòd nihil refert an dominus Iesus præuenerit petrum in faciendo omnes apostolos episcopos (ut glosa in ca. porro di. 66. sentire uidetur contra textum) an eos ordinandos petro reliquerit, ut præallegata sonant. Si.n. petro hoc dimisit, ordinarium progressum potestatis ordinis in statuto cursu non præuenit & si ipse ordinauit per seipsum, gratuita prçuentione non reuocatione statuti ordinis hoc fecit. De potestate uero iurisditionis, iam dictum est, quòd gratuita præuentione per seipsum eam omnibus exequenda dedit, qui in ordine dandi seu promittendi ordinarium progressum deriuationis illius ad alios per petrum fore statuit, ut allatæ auctoritates docent. Ex his omnibus clare liquet, quòd petrus solus princeps, caput, & pastor est apostolorum, & quòd ei subditi fuerunt apostoli ut oues pastori, & quòd ordinaria uia abipso potestatem sortiti erant ordinis & iurisditionis, licet gratuita præuentione potestatem iurisditionis executiuam equalem a domino immediate habuerit. potestatem autem ordinis episcopalem im mediate uel mediate, omnes etiam a domino habuerunt equalem. Et si prædicta perspicaciter intuitus fueris, uidebis quòd petrus licet apostolus & papa fuerit simpliciter maior ceteris, Linus tamen, Cletus aut Clemens non sic se habebāt ad Ioannem apostolum & euangelistam qui uiuebat, sed aliquo modo ut par, & excedens, & excessus. Erant enim pares in potestate executiua regiminis ecclesiæ, pro quanto Ioannes poterat ex aposto latu exequi quicquid poterat papa. Erat papa excedens in auctoritate regiminis, sicut de petri auctoritate dictum est, quia illius erat successor, & IESV CHRISTI uicarius ipse, non Ioannes. Erat & excessus in dignitate apostolatus, quia Ioannes erat apostolus, Linus autē & Clemens non. Et quia apostolis non papæ condendi libros sacræ scripturæ concessum est, dicēte illis domino quòd spiritussanctus doceret eos omnia, & omnem ueritatem (unde Aug. de consensu Euange. Lucas & Marcus scripserunt illo tempore, quo ab ipsis in carne manentibus apostolis probari meruerunt) iō præualuisset sententia Ioan. sententiç clementis papç in doctrina fidei & morum, sicut

modo

modo præualet Euangelium Ioannis sententię cuiuscunque papæ & totius ecclesiæ. Nec obstat illud Aug. Euangelio nō crederem, nisi me autoritas ecclesię admoneret, quia ipse Ioā nes, & similiter quilibet apostolus ecclesia erat, Iesu Christi au ctoritate, testante hoc ipso Ioanne, qui de seipso loquens ca. ult. dicit in persona ecclesiæ, quam autoritate Christi gerebat. Et scimus, quia uerum est testimonium eius. Ex quo namq; con stat apostolum aliquem scripsisse ad doctrinam ecclesiæ, ecclesiæ auctoritatem habet. Ex his autem patet, quòd duarum extremarum opinionum .s. dicentis, quòd omnes apostoli eodē modo sint instituti a Christo uicarij sui, & dicentis quòd Christus immediate soli petro dedit potestatem iurisditionis, neutra uidetur uera, quamuis ista secunda sit non reprobanda sed exponenda. Media autem uia sola uera est, quam declarauimus .s. quòd solus petrus habuit uicariatum Iesu Christi, & solus immediate potestatem iurisditionis ordinarie a Christo accepit, ita quòd ab eo alij ordinario iure accepturi erant, & ei sunt subiecti, hoc enim modo uerificatur secunda opinio. Et cum hoc, Iesus Christus dominus iuris præueniendo delegauit ceteris parem in exequendo potestatem (ut dictum est) & hoc ueritatis habet prima opinio. Sequere ergo medium.

IN QVO PONVNTVR RATIONES TENENTIVM *quòd ecclesia uniuersalis seu concilium uniuersale habet potestatem supra Papam simpliciter, ita quòd papa est illi subditus.* *Cap. V.*

EXAMINATA comparatione potestatis papæ ad apostolos ratione sui apostolatus, comparanda modo est papæ potestas ecclesiæ uniuersalis seu concilij uniuersalis potestati. nunc quidem absolute, postmodum uero in euentibus & casibus ut promisimus. Et quoniam opposita iuxta se posita magis elucescunt, afferam primo rationes primarias in quibus consistit uis. quibus probatur Papam subesse ecclesiæ seu concilij uniuersalis iudicio. Et ne contingat sepius ecclesiam & concilium iungere, pro eodem sumantur,

quoniam

quoniã non nisi sicut repræsentans & repræsentatũ distinguunt.
Fundant igitur hi constitutionem dictam primo in actis concilij Constantien. sub Ioan. 23. anno domini. 1415. ubi in sessione quinta habita die. 6. mẽsis Aprilis sic legitur. Hæc sancta synodus declarat, quòd ipsa in spiritusancto legitime congregata, concilium generale faciens, & ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem a CHRISTO immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status, uel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schisma tis, & reformationem dictæ ecclesiæ in capite & in mẽbris. Hæc ibi. Et subiungitur aliud decretum in hæc uerba. Item declarat, quòd quicunque cuiuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam si papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis huius sacrę synodi, & cuiuscunque alterius concilij generalis legitime congregati super præmissis seu ad ea pertinentibus factis uel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigne pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia si opus fuerit recurrendo. Hæc ibi. Ex quibus habentur tria. Primo quòd concilium uniuersale habet autoritatem a IESV CHRISTO immediate. Secundo quòd papa tenetur ei obedire. Tertio quòd ipsa synodus habet potestatem coactiuam supra papam, dum punitioni eum subiicit. Confirmaturque eadem sententia per concilium Basilien. celebratum anno domini. 1431. sub Eugenio quarto, ubi resumpta sunt hæc decreta in sessione secunda & 18. Deinde in condemnatione errorum Ioannis vuiclef. in eodem Concilio Constantien. sessione. 8. & postmodum per bullam Martini. 5. sacro approbante concilio firmata ibidem. Vbi inter alia sic damnatur articulus iste scilicet. Non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. error, si per Romanam ecclesiam intelligatur uniuersalis ecclesia, aut Concilium generale, aut pro quanto negare primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares. Hæc ibi. Ex qua condemnatione habetur, quòd Cõcilium vniuersale est suprema ecclesiarum, & consequenter est superior ecclesia Romana, quæ est una ecclesiarum. Et confirmatur hanc esse intentionẽ patrũ, quia faciunt differentiã inter primatũ concilij & summi põtificis, quoniam de concilio dicunt simpliciter, quòd est suprema inter alias ecclesias. De summo uero pontifice, dicunt quòd habet pri-
matum

matum respectu ecclesiarum particularium.

Fundant quoque hoc idem in euangelio & doctoribus, ex eo quòd claues regni cœlorum, officium pastorale & potestas ligādi atque soluendi, ecclesiæ data sunt dupliciter, scilicet autoritatiue & finaliter. Et quòd autoritate ecclesia ipsa hæc habeat testatur in primis Matth. 18. ca. vbi postquā dominus dixerat. Dic ecclesiæ, & si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: statim subdit. Amen dico uobis, quęcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcuuque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Vbi manifeste ecclesię hanc contulit potestatem uniuersalem: ad hoc enim illa uerba subdidit dominus (ut Hierony. ibidem dicit cum Hylario) ne priuata autoritate reputaretur non audiens ecclesiam ethnicus & publicanus, sed diuina autoritate ecclesiæ collata.

Testatur deinde Aug. super Ioan. (ut habetur 24. q. 1. ca. quodcunque) vbi concluditur quòd Petrus quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Et rursus sermone 10. super Ioā. loquens de potestate ligandi & soluendi dicit. Hoc petrus cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis accepit. Et iterum in sermone Apostolorum Petri & Pauli. Petrus totius ecclesie gestabat personam: & propterea audire meruit. tibi dabo claues regni cœlorum. Has enim claues non ipsæ ut homo unus, sed unitas accepit ecclesiæ. Et in libro de Agōe Christiano. Non sine causa inter apostolos, ecclesiæ catholicæ personam sustinet petrus. Huic enim ecclesię claues datę sunt, cum petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur amas me? pasce oues meas.

Et confirmatur hoc ratione. Quia non minus iuris habet ecclesia in clauibus sibi datis a Iesu Christo quam in rebus, sed dominium rerum temporalium principaliter est in ecclesia, cum etiam papa non sit dominus, sed dispensator rerum ecclesiæ, ut s. Thom. dicit in 22. q. ca. ar. primo, ad septimū, ergo ecclesia principalius habet claues quam papa. Et confirmatur hoc rursus. Quia cum rectum sit iudex sui & obliqui, & ecclesia uniuersalis adeo sit recta, ut errare non posit (ut patet) papa autem errare posit etiam in fide (ut patet 40. di. ca. si papa) consequens est, ꝙ ecclesia excellentius & prius habeat claues quam papa: immo ꝙ habeat etiam ut iudex papæ. Quòd autē finaliter ecclesiæ datæ sint claues, patet ex 2. ad Cor. 13. potestatem mihi dominus dedit in edificationem, & non destructionem. Et S. Tho. in tract.

contra

contra impugnantes religionem, expressè tenet ꝙ potestas iurisdictionis prælatorum est propter bonũ subditorum, & propterea nulla iniuria fit prælato inferiori, puta episcopo, quando eximitur ab eo Abbas propter bonum ecclesiæ. Ex quibus sequitur ꝙ Papa est propter ecclesiam, & non econuerso, & consequenter claues Papæ datæ sunt propter ecclesiam finaliter.

Fundant, & tertio idem super principijs naturaliter per se notis. Omne inquiunt totum est maius sua parte; ecclesia vniuersalis est totum, & Papa pars, ergo ecclesia uniuersalis maior est Papa. Processus bonus. Et maior est principium per se notum. Minor est apostoli ad Ro. 12. multi vnum corpus sumus, singuli autem alterius membra. & Hieronymi ad propositum in ca. legimus di. 93. Si autoritas quæritur, orbis maior est urbe.

Fundant demum hoc idem super hoc, ꝙ ecclesia cõstituta est a domino IESV CHRISTO iudex Papæ in casu peccati, ut patet Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic ecclesiæ, & si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Ex qua authoritate, licet loquatur in casu peccati (quia incipit si peccauerit) & propterea non spectet ad præsens ca. in quo comparatur Papa ecclesiæ non in casu, sed absolute. uolunt tamen elicere etiam quòd ecclesia sit absolutæ supra Papam. Tũ quia ordinarius iudex alicuius in puniendo, est etiam ordinarius iudex illius absolute. Tũ quia iudex & lex non differunt nisi sicut aĩatũ, & inaĩatũ, ut patet 5. Ethi. Ad eandem aũt legis autoritatẽ cuius est unus actus legis. s. punire. spectant tres reliqui. s. imperare, uetare & permittere. Ad eiusdem ergo iudicis ordinarij autoritatem spectabunt omnes iudicis actus, ad quẽ spectat punire. Et sic cum ecclesia sit iudex ordinarius Papæ in puniendo, sequitur quòd erit simpliciter iudex eiusdem in imperando, uetando, & permittendo. hi n. quatuor actus sunt legis; ut in 12. q. 92. arti. 2. habes a diuo Tho. Et confirmatur hoc sacrorum autoritate Canonum 25. n. q. j. contra statuta, dicit Zozimus Papa. Contra statuta patrum concedere aliquid uel mutare, nec huius quidem sedis potest autoritas. Et in cap. primo dicitur. Prima salus est recte fidei, regulam custodire, & a constitutis patrum nullatenus deuiare. Ex quibus habetur & quòd Papa non est supra potestatem concilii. & quòd ad primam salutem spectant statuta patrum non Papæ. Multa quoq; in eadem causa & q. dicuntur ad hoc, quæ breuitatis causa omittuntur.

QVIS SIT SENSVS, QVO QVAESTIO DE COMPARATIONE *autoritatis concilij, & Papæ uertitur in dubium. Cap. 6.*

AD EVIDENTIAM huius cõparationis prędeclarandi sunt termini: quid.s.noīe ecclesiæ seu concilii uniuersalis intelligitur, ne in uanū tota disputatio sit. Ecclesia uniuersalis duo significare potest in proposito, aut totum corpus ecclesiasticum constans ex omnibus membris, comprehenso etiā capite.i.Papa, aut totum residuum corpus ecclesiæ distinctum contra caput.i.Papam. Concilium quoq; uniuersale, aut sumitur cum capite.i.Papa, uel personaliter, uel autoritate eius autorizatum; aut sine Papa utroq; modo. Et sic tres comparationes examinandæ sunt. Prima est inter papam & ecclesiam seu concilium sine capite.i.papa omnino. Secunda est inter papam, & ecclesiam seu concilium cum capite personaliter. Tertia est inter papam, & ecclesiam seu concilium autorizatum a papa. Et quoniam omnes hæ comparationes supponunt papam esse caput ecclesiæ vniuersalis, & non solum singulorum membrorum (ut inimici ueritatis glosant) hoc primo monstratur. Primo ex autoritate ipsius Constantien. concilii ante & post electionem Martini 5. ut patet in sessione. 15. eiusdem: & in bulla Martini 5. ubi damnatur propositio illa Ioannis Huss. Petrus nec est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Et altera. s. Non est scintilla apparentiæ, quòd oportet esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa militante ecclesia conuersetur. Hic expressè damnatur, quòd Petrus non fuit caput catholicæ ecclesiæ: catholicum.n.idem est quod vniuersale. Et similiter damnatur, quòd non oporteat esse præter Christum qui in cælis est, unum caput quod regat ecclesiam, conuersans cum ea, quod est papa, ut latius ostendit diuus Tho. hanc necessitatem in 4. contra Gen.cap.76. Hieronym.quoq; in lib. de ortu, & obitu sanctorum in nouo testamento. Petrus (inquit) in Christi ecclesia firmamentum est, cephas corporis Christi principatus & caput est. Si Petrus est caput corporis Christi, ergo totius ecclesię collectiue: iuxta illud apostoli ad Rom. 12. multi unum corpus sumus in Christo. Et 24.q.j.rogamus vos, Marcellus papa expressè dicit, quòd Petrus est caput totius ecclesię. Et in cõcil. Lug. Greg. 10. (ut habetur in c.ubi periculum, de elec. li.6.) Papam vicarium Iesu Christi Petri successorem, rectorem vniuersalis ecclesiæ, & directorem gregis dominici uocat. Ritus quo

que RO.eccle.habet.ut cum papa se subscribit in aliqua uniuersa lis negocij bulla,dicit sic.Ego.N.catholicæ ecclesię episcopus.Ex quibus patet, ꝙ cauillatio dicens,ꝙ papa est caput membrorum ecclesiæ,& non ipsius simul ecclesiæ; erronea est. Quo namq; pacto debuit aut potuit melius explicari a sanctis quam per nomina collectiua, & apposita,quandoq; nomina uniuersitatis expresserunt ecclesiam gregem, corpus Christi explicando totam,uniuersalem catholicam? Dicant isti quomodo debet dici. & conuicantur saltem ex uerbis ipsius constantiē. & basiliē. concilij. ubi eisdem uerbis significatur ecclesia collectiuę, cum millies ibi replicatur. Hæc sancta synodus uniuersalem seu catholicam ecclesiam repræsentans.

De prima ergo comparatione(.s.īter papam & ecclesiam uniuersalem sine capite) aperte constat quid dicendum sit.s.ꝙ papa est super eam. Tum quia est corpus enormiter diminutum, quia est truncum absq; principali membro, ac per hoc non est uniuersalis ecclesia, quæ perfectum significat. Tum quia dei perfecta sunt opera Deute.32.ac per hoc non conuenit diuinæ prouidentiæ in tam imperfecto corpore supremam auctoritatem locare, sed magis ipsum a capite dependere. Et si instetur, quòd apostolica sede uacante, inuenitur uniuersalis ecclesia, & tamen sine capite, quod est papa: Respondetur quòd non inuenitur uniuersalis ecclesia nisi imperfecta, ita ꝙ imperfectio ista est conditio diminuens,li uniuersalis ecclesia, sicut corpus truncum diminuit a corpore integro.uniuersale.n. uniuersitatem claudit in se membrorum officialium, quorum præcipuum est caput.Vnde tunc ecclesia est acephala,& est absq; eius suprema parte & potestate. Et qui hoc negat,in errorem Ioā. Huss.negantis necessitatem capitis ecclesiæ in terris (damnatum & a S. Tho. & a Martino 5.cum concilio Cōstantien. ut dictum est) incidit. Et si de ecclesia uniuersali sic sumpta intelligatur, quòd habet immediate potestatem a Christo, & quòd ipsa repræsentatur per uniuersale concilium, erratur errore intolerabili, ut patet ex allatis autoritatibus, & inferius magis elucescet.

De secunda autem comparatione in altero extremo.s.īter papam ex una parte,& ecclesiam totam.i. etiā cum papa ex altera parte,dicitur ꝙ papa cum residuo ecclesiæ non est maioris potestatis iurisditionis spiritualis quàm ipse solus, quia potestas sua cōtinet in se omniū reliquorū potestates, ut earū cā uniuersalis:

Nulla enim est potestas iurisdictionis in ecclesia, quæ nō sit in papa, ut patet inductiue. Quinetiam potestas electiua ipsius papæ, in papæ potestate esse. Quod patet tum ex facto petri, qui elegit sibi successorem, ut 18. q. 1. ca. si petrus, dicit Ioannes tertius. Tū ex eo quòd papa ordinat actum electiue potestatis, determinando quando & qualiter debet fieri electio. & quod plus est, determinando subiectum illius potestatis, dum constituit ꝙ ad duas partes cardinalium ad minus spectet electio. Probatur & ex ca. si papa di. 40. ubi dicitur, quòd uniuersitas fidelium suam salutē post dominum ex papæ incolumitate animaduertit propensius pendere. Et di. 19. ca. Ita dominus, Leo Papa dicit. Huius muneris sacramētum ita dominus ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo petro omnium apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet. Vbi manifeste patet, a papa omne reliquum corpus ecclesiæ, uelut a capite potestatem sortiri. Et sic sumendo ecclesiam uniuersalem, constat ꝙ habet immediate autoritatem a IESV CHRISTO, nihil enim mediat inter ipsam & Iesum Christum. Sed ex hoc non habetur, quòd comparando membra aliqua (puta corpus sine capite) ad Christum, quòd habeat immediate potestatem ab ipso, sed sufficit quòd totum habeat immediate a Iesu Christo, partes autem inter se ordine quodam, & ita in caput primo, & per caput in corpus reliquum potestatem diffundit saluator noster, iuxta dicta & dicenda. Vnde patet, quòd tota ecclesia non habet potestatem supra papam solum, nec econuerso, quia papa cum ecclesia reliqua non facit maius in potestate, sed plures potestates.

De tertia autem comparatione (quæ est media, & est inter papam & concilium autorizatum a papa) ex antedictis facile sumitur, quid dicendum est. s. quòd non est maioris autoritatis quam papa, a quo solo autorizari potest, ut patet 17. di. per totū. & extra de elec. c. Significasti, ubi dicitur ꝙ omnia concilia per rom. ecclesiæ autoritatem & facta sunt, & robur acceperunt.

His tribus comparationibus secundum ueritatem præmissis, quarta superadditur secundum opinionem, & est inter ecclesiam uniuersalem ut quandam communitatem, siue papa prima pars eius non, caput totius auctoritatis in ea uelit in eam cōuenire, siue non ex una parte & papam ex altera parte. Et quia comparatio inter diuersa est, & eiusdem ad seipsum subiectio non est, sicut

cut nec iustitia proprie loquendo. cum dicunt hi quòd ecclesia uniuersalis est supra papam, alterum duorum intendũt. aut enim intendunt per ecclesiam uniuersalem congregationem fidelium uelut quãdam communitatem, siue papa pars prima illius uelit interesse siue non. aut intendunt ipsam fidelium congregationẽ auctoritate capitis scilicet summi pontificis factam: ita quòd ipsum congregari solum dependeat a papa in ecclesia uniuersali, in concilio uero, duo dependeant a papa. s. congregari & repræsentare uniuersalem ecclesiam, ita quòd in his intendunt, quòd seclusa auctoritate papæ, ex quo congregata est ecclesia uel concilium fit comparatio potestatis ecclesię uel concilij ex una parte, & papæ ex altera. Totus ergo futurus sermo de ecclesia seu concilio ut distinguitur contra papam erit de ecclesia & concilio seclusa papæ auctoritate, post congregationem legitime factam. Et cõtra hos dicentes ecclesiam hebere auctoritatem supra papam, ratio est. Quia positio ista peruertit ordinem regiminis ecclesiæ: oportet namque secundum istos regimen ecclesiæ esse democraticum seu populare: in quo tota auctoritas apud nullum residet, sed in tota communitate, sicut in cap. accidit, ut s. Thom. in 4. sen. di. 19. q. 1. ar. primo, q. 3. ad tertium dicit. Et hoc ipsi uolunt; dum ecclesiam uelut communitate libera, potestate supra papã quasi regem habere dicunt, ut senatus populusq; Romanus, habebat super imperatorem. Et quia hoc ipsi non reputant inconueniens quantum ad rem, licet uocabula horrere uideantur, ideo circa rem insistendo monstrandum est, quòd non communitati ecclesię, sed uni soli in illa Christus plenitudinem potestatis ecclesiasticæ dedit.

QVOD PAPA SIT SVPER POTESTATEM ECCLESIAE *uniuersalis & concilij generalis, ut distinguitur contra papam.* *Cap. 7.*

PRINCIPIVM huius ueritatis ex domini nostri IESV CHRISTI auctoritate sumitur; ubi Ioan. ulti. soli petro ut distincto ab aliis dicit, pasce oues meas (ut deductum in primo ca. fuit) in hoc istituens regimen ecclesiæ monarchicum. Et si ridiculosa illa responsio detur, quòd Christus dixit Petro. Pasce oues meas, non ecclesiam meam, quasi fecerit eum pastorem singularum ouium, non ipsius ecclesiæ, quæ significat totum

consurgens ex omnibus ouibus.manifeste excluditur hoc ex eo, quòd in oratione dicitur. Deus omnium fidelium pastor & rector,famulum tuum. N. quem pastorem ecclesiæ tuæ præesse uoluisti. Et in concil.Lug.de elec. lib. 6. ubi periculum.papa rector uniuersalis ecclesiæ, & gregis dominici director dicitur, ubi patet, quòd respectu ecclesiæ & gregis (quæ collectiones significant) & non solum respectu particularium pastor,& rector & director est papa.Et quia hoc est ultima fuga harum uulpecularum uineā domini demolientium, idcirco in omnibus afferendis uigilandum est,ut de ipsa collectione seu communitate concludamus non prælatam sed subditam esse papæ. Amplius. Ioan. 10. saluator inquit,alias oues habeo &c. & subdit, & fiet unum ouile & unus pastor. Certum est quòd ouile non significat oues,sed unū continens oues. Et ex glosa interlineari in principio illius capituli (ubi dicitur,qui non intrat per ostium in ouile,exponente in ouile.i.in catholicam ecclesiam) habetur quòd per unum ouile intelligitur ecclesia vna ex iudęis & gentilibus. Ex hac auctoritate arguitur sic. Ecclesia ut una ex iudæis & gentilibus,est ouile, & petrus cui dictum est, pasce oues meas, est pastor unus illius ouile,ergo ecclesia,ut una non est super papam,sed sub eo,ut ouile sub pastore. Et confirmatur hoc. Quia ecclesia seu concilium distinctum contra papam. aut est oues aut ouile, aut pastor. Non oues, quia ex utriusque ouibus ouile unum constituendum dicit dominus. Non pastor, quia cum petrus sit unus pastor ecclesiæ (ut monstratum est) si ecclesia esset alius pastor, essent duo pastores, contra dominum dicentem, fiet unus pastor. Ergo ouile. & cum non sit ouile nullius pastoris, est ouile unum unius pastoris, qui est dominici gregis rector & director, papa scilicet.

Et confirmatur quòd de papa specialiter loquatur, quia uerbo futuri temporis utitur significante futurum fieri, fiet inquit ouile unum utrisque conuenientibus & unus pastor. Et quoniam quod est, non fit nec fiet: ipse dominus, qui de seipso præmisit pluries ibidem,ego sum pastor bonus,non est postmodum factus pastor unus: sed dum soli petro postmodum dictum est, pasce oues meas, non has uel illas. impletum est fiet,unus pastor, loco illius summi pastoris, qui solus est pastor bonus per essentiam.

Amplius. Non minus papa est episcopus ecclesiæ catholicæ

quam

quàm quilibet episcopus suæ ecclesiæ, sed quilibet episcopus est episcopus & singularum personarum & totius collectionis earum iu unam cõmunitatem. ergo & papa est episcopus singulorum & uniuersorum christianorum in unam catholicam ecclesiã collectorum. Et confirmatur hoc. Quia cum ecclesia sit nomẽ collectiuum, & significet collectionem fidelium (ut dicitur de cõse. di. 1. ca. ecclesia) & episcopus dicatur episcopus ecclesiæ talis, oportet ut primo sit episcopus ipsius ecclesiæ,& secundario singularum personarum, ac per hoc papa qui intitulatur episcopus ecclesię catholicæ,& non illorum aut omnium christianorũ. primo est episcopus ipsius ecclesię catholicæ,& secundario membrorum eius. Et uere sic est, quia primo debet superintendere bono proprio ipsius unius ecclesiæ catholicę & deinde bonis proprijs membrorum omnium. Et si studiose quæratur quo pacto papa potest dici episcopus & caput ecclesię catholicę, cũ ecclesia catholica includat ipsum papam. Patet responsio dupliciter, primo quòd hæc est distributio accõmoda, sicut cum dicitur, cœlum continet omnia corpora, non quòd contineat seipsum. sed quia continet omnia poſsibilia contineri. pariformiter enim dicitur, quòd papa est caput & episcopus ecclesiæ catholicæ, non quòd sit caput, episcopus, rector &c. suiipsius, sed quia est caput omnis poſsibilis habere caput, rectorem & episcopum. Secundo dicitur, ꝙ quia secundum Hylarium sermo rei,& nõ res sermoni debet esse substituta, ea ratione papa dicitur caput & & episcopus ecclesiæ catholicæ, quia in ecclesia catholica ipse capitis & episcopi locum tenet. Amplius. Papa habet supremam potestatem in ecclesia dei, ergo papa non subest ecclesiæ. Antecedens patet ex condemnatione iam dicta in concilio cõstantiẽ. per Martinum 5. ubi de papa loquendo, dicitur habens supremã potestatem in ecclesia dei. Consequentia probatur, quia supra supremam auctoritatem in ecclesia dei, non potest maior intelligi in eadẽ ecclesia dei, etiã si fingẽdi detur licentia. Immo ex hoc etiã sequitur, ꝙ tam ecclesia quã cõciliũ papæ subditur, quia non sunt duæ supremæ potestates in ecclesia dei, principatuũ.n. pluralitas mala cũ sit (ut patet. 12. metaphy) a Iesu Christo summe bono, q. uult ecclesiã suã optime disponi esse non põt. Et confirmatur hoc auctoritate Innocẽtij. 3. ĩ cõcilio generali, ex. de pe. & re. ca. cũ ex eo. ubi dicitur, ꝙ Ro. Põtifex plenitudinẽ obtinet potestatis. Et in. c. ꝓposuit, de cõcess. præbẽ. idẽ dicit. Nos secũdum pleni-

plenitudinem poteſtatis, de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare. Et ex de elec.in.c.ſignificaſti. Paſchalis dicit. Aiunt in concilijs ſtatutum non inueniri, quaſi Ro.eccle.legem concilia ulla præfi xerint, cum omnia concilia per Ro.eccleſiæ auctoritatem, & fa cta ſint, & robur acceperint. Quæ omnia pro plenitudine pote ſtatis papæ.s.concilia,& conſequenter uniuerſalem eccleſiam al lata ſunt. Et confirmantur auctoritate.S.Tho. in trac. contra impugnantes religionem, ubi dicit hæc uerba. Sancti patres in concilijs congregati nihil ſtatuere poſſunt niſi auctoritate Ro. pontificis interueniente, ſine qua etiam nec concilium congre-gari poteſt. Hæc illæ. Amplius. Papa eſt proximus & immedia-tus uicarius Chriſti & apoſtolorum, ergo nullam habet in ter-ris poteſtatem priorem ſe. Antecedens patet in ſepe dicta con-demnatione articulorum a Martino.5.in concil. conſtantiē. ubi unus ex reprobatis articulis eſt iſte. Eccleſia Ro. eſt ſynagoga Sathanę, nec papa eſt proximus & immediatus uicarius Chriſti & apoſtolorum. Conſequentia patet, quia proximo & imme-diato nihil eſt propinquius & immediatius. Et ex hoc patet pri mo, quòd erroneum eſt dicere, quòd eccleſia ut diſtinguitur cō tra papam habet immediate auctoritatem a Chriſto ſupra pa-pam, ſic enim non papa, ſed eccleſia eſſet pr. xime & immedia-te Chriſti uicaria. Impoſſibile eſt enim eſſe duo ſub ordinata am bo equæ proxima & immediate Chriſto, ut patet iſtos fingere.

Et confirmatur auctoritate.S.Tho.dicentis in trac. contra er-rores græcorum ca.69. Chriſti uicarius ſuo primatu & prouidē-tia uniuerſalem eccleſiam tanquam fidelis miniſter Chriſto ſu-biectam ſeruat, & oppoſitum ſentire dicit eſſe errorem. Po-ſtremo uideaē queſo diffinitio facta in Cōcilio florentino, quod quia ex orientali & occidentali ſimul eccleſia conflatum eſt, cæte ris occidentalibus tantum, antefertur. Et ibi (ut in primo.c.uer ba adduximus) non ſolum dicitur quòd papa eſt omnium chri-ſtianorum pater & doctor, ſed quòd eſt etiam uniuerſalis eccle-ſiæ paſtor gubernator & rector, cum plena poteſtate a domino Ieſu Chriſto inſtitutus in beato Petro. Dicant ipſi quomodo po tuerit clarius exprimi, quòd non ſolum omnium membrorum, ſed ipſius uniuerſalis eccleſiæ paſtor, rector & gubernator eſt, & quòd non mediante eccleſia, ſed in petro cuius eſt ſucceſſor, plenam poteſtatem paſcendi, regendi, gubernandi uniuerſalem eccleſiam a domino Ieſu Chriſto accepit. Et uideant ſi tantum

lumis

luminis eis concessum fuerit, quòd hereticorum more scripturas, & sanctorum dicta oportet eos extorquere, ut eorum proteruus error defendatur. Forte nulla scriptura tam clara in fide habetur, quam non possit extorta expositio ad suum trahere propositum. sed ueritas tunc inuenitur, cum planus scripturę sensus iuxta sanctorum consensum quęritur.

IN QVO RESPONDETVR OBIECTIONIBVS SVMPTIS EX AVTOritate concilij Constantien. & Basilien. Cap. 8.

VT ORDINATE autē obiectis distinctę satisfiat inchoandum est a decretis Constantien. ad quæ duæ responsiones dantur. Prima negans illa esse autentica auctoritate ueri concilij facta: quoniam facta sunt tempore schismatis, quo erāt tres Papæ in ecclesia Dei, ab una sola obedientia.s.Ioannis 23. absente etiam illo suo papa. Quod constat ex eo, quòd illa promulgata sunt anno domini. M. CCCCXV. die vj. Aprilis in sessione 5. & obedientia Gregorij 12. coniuncta est illi die 4. mensis Iulii eiusdem anni in sessione 14. & obediētia Benedicti. xiij. iungi cepit anno Domini, M. CCCCXVI. die xiij. Octobris in sessione 22. Vnde dicere, quòd illa obedientia constitueret cōcilium generale catholicam ecclesiam representans, nihil aliud est quàm renouare antiquum schisma, & damnare ut schismaticas duas obedientias, & quod semper fuit & est dubium, facere certum. Et si dicatur quòd Martinus v. approbauit illa decreta & illam synodum. Decreta quidem in sessione vltima, ubi legitur quòd dixit quòd omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens concilium, concilialiter tenere, & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquā contrauenire quoquo modo: ipsaq; sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Hęc ille. Constat autem ꝙ concilium esse supra Papam, uel papam supra illud, materia fidei est, ergo decreta illa in sessione 5. facta super superioritate concilij supra papam, sunt approbata. Synodum uero in bulla condemnationis articulorum Ioannis uuicleff, sacro approbante concilio. ubi interrogatoria ponens dicit, utrum credat ꝙ condemnationes Ioannis uuicleff, Ioannis Hufs, & Hieronymi de praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis per sacrum generale Const. conciliū, fint rite, & iuste factæ, & a quo-

libet catholico pro talibus tenendę & asserendæ. Hęc ibi. Et cũ constet, quòd contra Ioannem uuicleff in sessione 8. contra Ioan. Hus in sessione 15. & contra Hiero. de prag. in sessione 21. sententia lata fuerit, consequens est, tunc ante unionem obediẽtiarum omnium, concilium generale fuerit, si Martinus in tali bulla verum dicit. Respondendum est, quòd tractari aliquid in materia fidei contingit dupliciter. s. materialiter, & formaliter. Tunc tractatur formaliter materia fidei, quando tractatur ut credenda, uel damnanda a fide. Tunc autem tractatur materia fidei materialiter, quando tractatur res quidem pertinens ad fidem, sed non ut credenda, uel non credenda: sed quacunq; alia ratione, extra formale. n. infinita contingit esse. Et quia nisi sermo intelligatur formaliter, perit certitudo, ideo uerba Martini v. in illa ultima sessione formaliter sunt intelligenda. In concilio siquidem illo fuerat in materia fidei tractatum, & decisum formaliter (ut patet in sessionibus allegatis contra illos tres supradictos, & etiam in sessione. 19.) & fuerant multa alia tractata, sed non ut materia fidei, inter quæ sunt illa sessionis. 4. & 5. In cuius signum nulli fuerunt deputati ibi ad uidendum de fide, quin potius deputatio in materia fidei cepit post hęc in sessione. 6. ut patet ibi. nulla etiam fit ibi mentio de credendo uel non credendo. Martinus autem v. approbauit decreta in materia fidei formaliter tantum, & non illa alia. Et hoc euidenter ẽt patet: quia illa uerba dixit respondens requisitioni oratorum Regis Polonię exigentium, quòd acta per cõcilium contra illos præ nominatos hæreticos firma essent (ut patet in sessione ultima) & propterea bulla illa condemnationis subsequuta est. Ad instantiam uero de approbatione synodi dicitur, quòd per illud & alia interrogatoria, ibidem de concilio Constantien. posita, totum a nobiliori parte Martinus nominauit: congregatio siquidem Constantien. quę inchoauit in sola obedientia sub Ioanne xxiii. & iterũ post in coniuncta obedientia sub Grego. xij. in coniunctione obedientię Benedicti. xiij. cõsummata est. & post Martinum electum autorizata facto præsidentiæ personalis in concilium uniuersale, ad hoc nobiliori, & certiori statu tota concilium uniuersale uocatur, & nuncupatiue in quolibet statu concilium uniuersale appellatur, nominibus utendo ut plures.

Fundatur autem hęc declaratio, super eo quòd non est rõni consentaneũ, Martinũ uoluisse declarare alias obediẽtias fuisse

extra ecclesiam,sed uerba proferre honoribus,nominibus utẽdo ut plures utuntur,absque ueritatis tamen offensa. Vnde in illa bulla,bis oppositũ declarauit,scilicet in articulo, papa habet supremam potestatem in ecclesia dei,& in illo. petrus fuit caput ecclesiæ catholicæ. Et ut insinuaretur,quod concilium ab ultima parte appellabat,in pręcedenti interrogatorio , præterito adiunxit præsens,dicens quòd concilium approbauit & approbat,condẽnauit & condemnat, quasi præteritum non suffecerit. Et quia iã ex isto priore interrogatorio habitum erat, quòd concilium Cõstatien.in præsenti sub Martino v.condemnat illos tres,nõ oportuit in ultimo interrogatorio pręterito iungere pręsens. iã enim præteritum supponebat pro concilio sub Martino,quia iam damnauerat,& sic etiam uerba saluantur uerbaliter. Hæc est prima responsio ad principale motiuum. Secunda autem est, dato ꝙ decreta illa ualeant,intelligenda sunt cum grano salis,quomodo autem , dicendum est per singula.In primis,cum dicitur quòd cocilium potestatem a CHRISTO immediate habet, potest dupliciter intelligi, primo de concilio ut distinguitur contra papã. Et sic est falsum,ut patet per inductas auctoritates extra de elec. ca. significasti. ubi dicitur quòd robur habent omnia concilia a Ro. sedis auctoritate. Et distinc.19.ita dominus, ubi Leo dicit, quòd a Petro quasi a quodam capite in corpus omne auctoritas manat. Et s.Tho. in tractatu, contra impugnantes religionem dicit,quòd sancti patres in conciliis congregati,nil possunt statuere sine Rom. pontificis auctoritate interueniente,sine qua nec congregari concilium potest. Hęc illę. Et nota quòd dicit sancti patres , quia patribus non sanctis,sed præsumptuosis nulla lex posita est, sed præsumptio eorum sibiipsis est lex. Secundo potest intelligi de concilio incluso papa. Et in hoc sensu est uerum, quòd habet immediate auctoritatẽ a Iesu Christo.Et quòd sic interpretandum sit,ex duobus uerbis illius decreti colligitur. Primum est , legitime congregata. constat enim quòd legitima congregatio concilij generalis ad papam spectat, ut ex nunc nũc allatis testibus patet, & dist.17.per totum. Secundum est, ecclesiam catholicam repræsentans: corpus nãque ecclesiasticum uniuersum (quod ecclesia catholica.i.uniuersalis significat) non est ipsum uniuersum corpus ecclesiasticum, si sine capite sit uel intelligatur. Papam autem ex dictis constat caput esse totius ecclesiæ catholicæ,ac per hoc concilij ipsam repræsentantis. Et si mundi

cordis oculo perſpiciatur, apparebit quòd Conciliū habet quòd repræſentet uniuerſalem eccleſiam a papa, qui habet pleniſsimam curam uniuerſalis eccleſiæ. Quis enim Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus & prælatis paucis (ut communiter accidere uidetur) contulit uota totius populi chriſtiani, niſi papa? oportet enim aut ipſos chriſtianos hoc feciſſe, aut aliquem ſupplere potentem eorum uota. Et cum ipſos non transferre uota ſua in eos, experientia teſtetur, quin potius ſi requirerentur chriſtiani, infiniti inuenirentur qui refutarent transferre uota in alios, & per ſeipſos intereſſe mallent, aut concilium non celebrandum ducerent. Relinquitur ergo, quòd Papa qui ſolus eſt pater, paſtor, doctor, rector & gubernator omnium & ſingulorum chriſtianorum cum plenitudine poteſtatis, uota totius eccleſiæ transfert in concilium congregando & roborando ut ei uidetur. Propter quod, ſine papa patres ſancti congregati nihil poſſunt, & diſſolui poteſt concilium a papa, auferendo ab eis quòd amplius uniuerſalem eccleſiam non repræſentent auctoritatiue. Nec eſt uerum ſi dicatur, quòd eccleſia ratum habet concilium, non reclamando. ideo enim non reclamat, quia in uero concilio papa ſupplet: in falſo autem quia contra præſumptuoſos præualere non ſperant docti, ignorantes autem neſcij ſilent. hoc autem non eſt approbari ab eccleſia, ſed non moleſtari ab illa.

Deinde cum dicitur, quòd ipſi concilio ſeu eius decretis etiā papa obedire tenetur: multis diſtinctionibus iuxta multos termi nos opus eſt. Diſtinguendum eſt enim de papa dubio uel certo, ſicut enim quod neſcitur conſecratum, pro non conſecrato habetur, & reconſecratur ſecundum ſacros canones (ut patet extra de presbytero non baptizato cap. ueniens, & de conſe. di. 1. cap. ſolēnitates) ſic qui neſcitur legitime electus papa, tanquam non papa obedire tenetur, & hoc directe pertinet ad illa decreta ratione ſchiſmatis, quando erāt tres papæ, & nullus indubitatus ex ſua electione.

De papa autem certo, & indubitato diſtinguendum eſt, quia uel eſt ſermo de his quæ a Concilio & decretis eius ſtatuuntur de iure diuino (ut ea quæ ſunt fidei) uel naturalis iuris; ut ea quæ ſunt uirtutum & uitiorum moralium, & ſic papa tenetur obedire, nec poteſt contra ea diſpenſare. Et ſic interpretāda ſunt decreta illa. unde in tribus dicit debitum obedire ſcilicet in his quæ ſunt fidei reformationis & amotionis ſchiſmatis. hoc

enim

enim cum spectantibus ad ea, aut ad ius diuinū aut ad ius naturale spectant. Vel est sermo de his quæ sunt pure iuris positiui. & sic distinguendum est de obedientia, scilicet quo ad iudicium diuinum uel humanum: & dicendum, quòd licet princeps sit solutus legibus, nec concilia legem ullam coactiuam in iudicio humano præfixerint Rom. sedi, in iudicio tamen diuino tenetur papa obedire: ut s. Thom. expresse habet in prima, secundę. q. 96. ar. 5. ad tertium. Et in ca. confidimus, 25. q. 1. Gelasius papa dicit, uniuersalis eccl. constitutum nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere quam primam. Demum cum subditur de punitione contumaciter contemnentium, potest dupliciter intelligi. Primo indifferēter, ut quilibet etiam indubitatus papa in quo cunque peccato contra ius diuinum aut naturale contumax, punitioni humanæ subiiciatur. Et hic sensus est contra sacros canones, ut patet in ca. si papa di. 40. & dist. 79. ca. electionem, & in cap. aliorum. 9. quæstio. 3. Nec est acceptandum quòd id, quod infinito temporis spatio a tot est patribus approbatum unico uerbo destruere uoluerit conditores canonum. Secundo potest intelligi discrete secundum proportionem materiæ & personæ, & sic cum prælati communiter non sint publice puniendi (exemplo dei, qui non puniuit publice Aaron de idolatria: ut s. Tho. dicit in 4. sen. dist. 46. q. secunda, ar. secundo, quæstio. secunda, ad quintum,) & papa non ut puniendus facto, sed uerbis reprehendendus publice (ut ex s. Thom. colligitur in 4. senten distin. 19. quæstio secunda, artic. secundo, quæstio. secunda, ad secundū & in secunda secundæ, q. 33. artic. 4. in casu quo publice in periculum ecclesiæ peccat, ut Petrus repræhēsus fuit a Paulo ad Gal. 2.) & in casu quo potest deponi etiam facto depositionis puniri possit, consequens est quòd sic discrete & proportionaliter intelligantur uerba illius decreti.

Ex quibus omnibus clare patet, quòd nec ex illis decretis habetur superioritas concilij aut ecclesiæ supra papam. Vnde non oportet aliter respondere ad eandem ex Concilio Basilien. in sessione. 2. & 18.

De quo tamen sciendum est, quòd licet ab Eugenio iiij. fuerit approbatum quo ad inchoationem & prosecutionem, & multa pro illo Concilio in bullis suis dixerit, nunquam tamen illius approbauit decreta, quin potius in Concilio florentino statim

tim diffiniuit Ro.Ponti.esse caput,pastorem,doctorem,& recto rē uniuersalis ecclesiæ, ut superius attulimus. Refert quoq; dominus Io.de Turre cremata(qui fuit pręsens utriq; concilio) in lib.3.de ecclesia,ca.100.multos defectus qui in concil. Basilien. in conflatione illorum decretorum interuenerunt.s.quód nō fuerunt unanimiter conclusa, nec cum consensu præsidentium legatorum domini papæ, qui talibus interesse recusarunt.nec expectatis oratoribus Anglie & Castelle,quos in uia nouerant constitutos,nec auditi sunt uiri multi sapientes, uidentes hoc esse cōtra doctrinam sanctorum, sed promulgata sunt ad furorem hostium.apo.sedis cum multitudine populi,nullius auctoritatis. Vnde ex neutro concilio admittuntur ut ualida. Nos tamē ex abūdanti iustitia, illa glosauimus. Et si glosas contra intentionem autorum dixerit aliquis, ex alijs actis eorundem conciliorū hoc conuicens. respondebo primo quòd ego homo sum. & uideo quæ foris sunt quo ad ipsa decretorum uerba, deus autem intuetur cor. Quo ad alia uero acta eorundem conciliorum attestantium aliam fuisse autorum intentionem, dicam de Constantien, quòd sicut errauit usurpās in una sola obedientiam uniuersalem ecclesiam, ita errauit dominus in procedentibus ex ea, quoniā tunc illa decreta fecit. De Basilien.uero notorium est,quòd errauit cum contra unum uerum & indubitatū Pont. Euge.4.processit usq; ad depositionem inclusiue, qui tamen cum successoribus suis uerus Papa est. Dicam secundo quòd si honorem ueritatis recusant, falsa, erronea ac igni obnoxia sunt.

IN QVO SOLVVNTVR RELIQVE OBIECTIONES *contra idem facta.* *cap. IX.*

EXPEDITIS auctoritatibus conciliorum Constan.& Basilié. quæ nullius auctoritatis censentur,soluendæ cōsequēter sunt obiectiōes quę ex uera ac certa auctoritate procedūt, iuxta ordinem quo inductæ sunt. Ad declarationē igitur Martini V.in condemnatione articulorum.s. quòd error est non credere Ro.ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias, si per Ro. ecclesiam intelligitur ecclesia uniuersalis uel concilium uniuersale,aut pro quanto negat primatum summi pontificis super particulares ecclesias. Respondetur, quòd quia comparatio est inter

ter diuersa, & hæc tria.s.ecclesia uniuersalis,concilium uniuersale, & ecclesia Ro.singula sunt quædam corpora mystica integra, constantia ex capite & membris reliquis, & in capite non solum conueniunt, sed identificantur (papa siquidem caput propriũ uniuersalis ecclesiæ & concilij & Ro.ecclesiæ est) in membris autem reliquis distinguuntur.uel sicut repræsentans & repræsentatum, ut membra ecclesiæ & concilij, uel sicut pars & totum,sicut membra reliqua Ro. ecclesiæ partes sunt membrorum reliquorũ concilij & ecclesiæ uniuersalis, ut patet. idcirco cum sit comparatio inter ecclesiam seu conciliũ uniuersale & ecclesiam Ro. non sit comparatio secundum caput, sed secũdum reliqua utriusque membra, secũdum quæ recte dicitur,quòd tam ecclesia,quã synodus uniuersalis,est superior ecclesia Ro.ut ex illo articulo deducitur.unde admisso illius comparatiue nihil concludit contra papæ auctoritatem. Posset nihilominus dici, ꝙ quia esse supremam inter ecclesias, conuenit ecclesiæ ratione capitis, & ecclesia Ro.ratione capitis est de essentia concilij & ecclesię uniuersalis. & nulla comparatio etiam cum dictione exclusiua excludit intrinseca. idcirco non est admittenda comparatio concilij ad ecclesiam Ro. quo ad hoc, quod est esse supremam inter ecclesias, sicut nec quo ad caput, quia sicut idem est caput,ita eadem est superioritas, & negaretur illa illatio, ergo concilium est suprema inter alias ecclesias etiam Romanam. Et ad probationem,quia Ro.ecclesia est una ecclesiarum. respondetur,ꝙ plus requiritur ad comparationem istam, oportet enim quòd sit una, & distincta capite proprio ab ecclesia quæ est concilium, quod hic non est. Ex calce uero illius articuli. s. quòd primatus papæ est super ecclesias particulares,cum sit sermo affirmatiuus de primatu super particulares, & non negatiuus de primatu super uniuersalem ecclesiam, nihil habetur in oppositum, qđ.n.nõ fuit expressum ibi, est expressum alibi, ut adductũ est. Ad obiectionẽ sumptam ex euangelio Matth.18. q̃cunq; solueritis &c. dicitur, quòd ad literam hæc tria tantum ad propositum habentur. Primum est, quòd a Christo ĩmediate apostolis data est potestas ligandi & soluendi, quod superius concessimus conformiter ad ca.in nouo.di.21. Secundum est,quòd potestas data est uniuersalis, iuxta illa uerba. quæcunque solueritis, Sed tamen non est adeo uniuersalis ut uerba sonant,sed li Quęcunq;, distribuit pro subiectis. ita quòd sensus est,Quæcunq; uobis subiecta solueritis

aut

aut ligaueritis &c. alioquin oportet dicere, quòd omnino occulta potuissent soluere uel ligare, contra illud apostoli primæ ad Corin. 4. nolite ante tempus iudicare, donec ueniat dominus, qui illuminabit abscondita &c. Et quia Petrus non erat eis subiectus, sed prælatus cum factus fuit pastor ecclesiæ, ideo sub illa distributiua non concludebatur Papa, utpote non subiectus. Tertium autem est, quòd ex illo contextu insinuatur, quòd ecclesia quælibet habitura esset potestatem ita ligandi & soluendi, ut soluta & ligata ab ea essent soluta & ligata in cœlo. & hoc in sibi subiectis. Vnde sicut ridiculum est ex hoc, quòd ecclesia Bononien. habet hanc autoritatem, inferre ergo potest ligare aut soluere nõ subiecta: ita ex hoc quòd ecclesia uniuersalis habet hanc autoritatem non potest inferri, nisi quòd potest in subiecta. quamuis enim multo plura sint subiecta uniuersali ecclesiæ quàm Bononien. nihilominus in hoc formali conueniunt, quòd nulla ecclesia potest nisi in sibi subiecta. Ex hoc autem non habetur, quòd Papa est ei subiectus. nec etiam habetur (ut superius dictum est) quòd habeat a Christo immediate potestatem, quia modus habẽdi. s. immediate a Christo, ex speciali gratia ad personas suas fuit. Quod autem alicui gratiosè conceditur, non debet ab alijs trahi in exemplum. a Christo. n. habent omnes ecclesiæ hanc potestatem, sed non immediate. Ad auctoritates Aug. dicentes quòd Petrus in persona ecclesiæ & unitatis &c. claues accepit. Dicẽdum est, quòd per hæc omnia intelligendum est hic. s. quòd non soli personæ petri, sed officio suo perpetuo duraturo hæc collata sunt. Et quia officium petri est officium capitis quod habet influere in corpus reliquum, ideo officio capitali data, toti corpori, data dicuntur & sunt. Non potest siquidem expers corpus remanere, si caput officium suum facit. unde & Leo Papa in di. 19. ca. ita dominus, ipsi domino attribuit quòd a Petro in corpus omne potestas deriuaretur. Quia ergo unitas officij cõmunicatiui toti ecclesię claues accepit in persona petri, ideo dicitur quòd Petrus personam ecclesiæ gerebat, & quòd unitas nõ unus claues accepit, & quòd ad omnes dicitur amas me, pasce oues meas, & similia. & non propterea dicitur quasi cõmunitas popularis aut senatoria potestatem acceperit. Hic. n. sensus contra Aug. & Iesum Christum est, ut ostensum est. & ipse Aug. in q. noui & ueteris testamenti aperit dicens. Saluator cum pro se & Petro dari iubet didragma. pro omnibus soluisse uidetur, quia si

eut in saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post saluatorem in Petro omnes continenť: ipsum.n.constituit caput eorũ.ut esset pastor gregis dominici.In quibus uerbis docet, ꝙ in officio capitali Petri,omnes subintelliguntur. Ad primam aũt rationem dicitur,quòd licet nõ minus iuris habeat ecclesia in potestate iurisdõnis quàm in bonis tẽporalibus: tamẽ nõ eodẽ, sed alio mõ habet. Nã ptãte iurisdictionis obtinet ut regimẽ monarchicum: dominium autem temporalium ut cõmunitas. Et ratio diuersitatis est:quia potestas iurisdictionis est a Iesu Christo,qui tale statuit regimen, dominium autem rerum est a donatoribus hominibus, transferentibus dominium quod ipsi habebant in cõmunitatem ecclesiæ, & non in unum aliquem. Et hoc apparet in ecclesijs particularibus: in quibus manifeste eccelsiæ in epo habent potestatem iurisdictionis, non autem dominium rerum.

Ad aliam uero rationem, quòd ecclesia non potest errare, distinguendum est de errore personali in credendo, & in sentẽtialiter auctoritatiue diffiniẽdo,& rursus de ecclesia uniuersali claudendo in se Papam, & ut distinguitur contra eius auctoritatem. & dicendum est, ꝙ errore personali,certum est ꝙ Papa quia est una singularis persona,magis potest in fide errare quàm totum residuum ecclesiæ, sed hoc non spectat ad propositum. Errore autem iudiciali in fide, est econuerso, quia magis potest errare communitas ecclesiæ sine auctoritate Pape quàm Papa. Et ratio est; quia error Papæ in diffinitiua sententia fidei est error totius ecclesię, & ueræ uniuersalis acclesię, capitis, & membrorũ; quia ad ipsum spectat determinare finaliter de fide quid tenendum, & quid repellendum, ut ab omnibus inconcussa fide teneatur: ut S. Tho. in tractatu contra errores grecorum cap.67.auctoritate Cirilli, & Maximi ostendit, & in Secunda secundæ q.j. artic. ult. probat ratione. impossibile est autem uniuersalem ecclesiam errare in fide, ergo impossibile est Papam in iudicio diffinitiuo autoritatiue errare in fide. Secus est in alijs: ut S.Tho. in quoli.8.art.ult. ostendit. Vnde argumentum militat ad oppositum; quia Papa in hmõi iudicio est rectiſ imus propter assistentiam spiritussan. in iudicio fidei propter uniuersale bonum fidei; sicut promisit Ioan. 14. spiritussanctus docebit uos omnẽ ueritatem. & Petro dixit. ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Iuxta quod etiam 24.q.j.dicit Innocentius Papa cap. quoties. Quoties

ties ratio fidei uentilatur non nisi ad Petrum .i. sui nominis honorem, & autoritatem habentem recurrendum est. Et scito, ꝙ cum dicitur de errore iudiciali, quòd sola uniuersalis ecclesia errare in fide non potest; non excluditur summus Pontifex, sed includitur: quia auctoritas determinandi de fide competens uniuersali ecclesiæ principaliter residet in Ro. pontifice: ut S. Tho. ij.ij.q.xj.art.iij. ad tertium dicit. Immo ipsa auctoritas, quæ uniuersalis ecclesiæ dicitur, non nisi illa Papæ est, ut ex inducta auctoritate ex.q.j. secunda secundę (vbi finalis sententia de fide ad Papam spectare probatur) patet. Et propterea in allegato quolibet S. Tho. iudicio ecclesiæ, & Papæ vt synonymis utitur; aperiens expresse quòd sententiæ Papæ per assistentiam diuinæ prouidentiæ standum est. Et propterea oportet esse cautum, ne uocabulis aliter intellectis fallamur. Certi namq; sumus, ꝙ nec Papa, nec ecclesia, aut synodus vniuersalis integra, potest in fide errare, iudicando autoritatiue de fide. De ecclesia autem ac synodo acephala nihil inuenio: quia nihil autoritatis sine capite in ea uideo, quàmuis merita multa. Et non aduertere ad hanc distinctionem de fide personali, uel in iudicio autoritatiue, est cã quare a multis ignoranter in materia fidei ecclesia, immo Doctores, Papæ præferantur. considerant. n. ipsum non officium cum assistentia diuina ad fidem in officio, etsi non in persona. Ad id uero quod additur, quòd claues sunt propter ecclesiam finaliter, concedo ingenue ꝙ Papa ut potestatem iurisdictionis habens est propter bonum fidei, & pacis ecclesiæ, ut ex cap. lxxvij. quarti. contra Gen. & S. Tho. apparet; & est ignobilior ipsa pace Christi, quæ exuperat omnem sensum. Et hoc est, quia Papa non est princeps nisi ut minister, & vicarius naturalis principis qui est summum bonum, ad quod ordinatur bonum commune totius communitatis, ut ex 12. Meta. habetur. Ad rationem ex principio illo, omne totum est maius sua parte. dicitur concesso illo principio formaliter (.s. de toto & parte ut sic) ꝙ licet Papa quo ad personam, & merita, sit pars ecclesiæ uniuersalis, secundum potestatem tamen iurisdictionis (de qua est sermo) non est pars. ita quod potestas ecclesiæ uniuersalis non consurgit ex potestate iurisdictionis Papæ & aliorum vt totum ex partibus: sed potestas Papę est tota potestas ecclesiæ uniuersalis, & alię ptãtes sunt participationes ipsius in partem solicitudinis datæ. iam. n. dictum est ꝙ nõ plus potest Papa, & ecclesia quàm Papa solus:

pa solus, licet plures potestates sint prẽtes papę & ecclesiæ q̃ pa pę solius. Et si ex ratione capitis, quia est membrum & pars corporis, instare uelis, respice ad IESVM CHRISTVM, qui caput uerum totius ecclesię sic est, vt non solum quo ad potestatem, sed nec quo ad nobilitatem & sanctitatẽ sit pars ecclesię. Et uide quòd in his mysticis locutionibus non oportet ea quæ imperfectionis sunt (ut est esse partem) saluare in his quæ sunt superioris ordinis: quales sunt Iesus Christus, & eis uicarius generalis, qui quo ad nobilitatem & sanctitatem & personam pars est ecclesię. Ad illud uero Hiero. quòd orbis maior est urbe, respondetur quòd uerum est quo ad multa, puta merita, uirtutes, scientiam, & in proposito secundum uigorem consuetudinis non potestatis.i.consuetudo orbis pręualet consuetudini urbis, sed potestas urbis est supra potestatem orbis. Et quòd hec sit intentio Hiero. ex contextu patet, quia de consuetudine ecclesiarum qua diaconi sub præsbyteris sedent, loquitur.

Ad rationem formatam super mandato domini. Dic ecclesiæ; quia aduersarij sanctas glosas refugiunt (ut pro ecclesia prælatus ut sic intelligatur cum sacris doctoribus eadem sententia) aliter dicitur, quòd dominus in illo mandato affirmatiuo plura ordinate mandat. Primo actum charitatis. corripe eum inter te & ipsum. Secundo actus iudiciales. adhibe duos, ut in ore duorum uel trium stet omne uerbum; & dic ecclesiæ. Inter hos autẽ actus hęc est differentia: quòd actus charitatis extendit se ad omne peccatum in proximum: & ad omnem fratrem: ut patet, actus uero iudiciales non extendunt se ad omne peccatum in proximum, nec ad omnẽ fratrem. Et quòd non ad omne peccatum in proximum, ex eo lucidissime patet, quòd sunt quedam peccata contra nos, quibus conuincendis non possunt adhiberi testes, ut patet de peccato cõiugis tentantis facto coniugem in lecto ad peccatum contra natu ram, & de secretissimis sermonibus. In his enim quia non possunt testes adhiberi: locum non habet preceptum hoc affirmatiuũ. adhibe tecum duos, ut in ore duorum uel trium stet omne uerbum. Nec illud. dic ecclesie: quia intelligitur in peccatis subiectis adhibitioni testium. Quod etiam non ad omnem fratrem, ex eodem fundamento habetur, quia scilicet si est aliquis frater qui non sit subiectus alicui in terris, de illo non intelligitur preceptum. adhibe tectum, nec dic ecclesie. uanum enim hoc esset. Et quia papa est talis frater, ideo preceptum hoc non habet locum simpliciter con

tra papam. Dico autem simpliciter, ut preseruem me a casu in quo potest deponi. Et quòd hęc sit uera expositio ad literam, probatur ratione & auctoritate. Ratione quidem, quia saluator in hoc præcepto duo exprimit uniformiter, scilicet personam peccantem, frater tuus, & peccatum, peccauerit in te (utrumque enim absque exceptione aliqua indefinite ponit) & tamen oportet quo ad peccatum limitare ad peccatum capax adhibitionis testium. ergo quo ad fratrem, limitare etiam oportet ad fratrem subiectum. communicantem tecum in patre in terris. Et hoc potest accipi ex illo uerbo, frater tuus. i. pure frater, id est qui ita sit tibi frater ut non sit plus quã frater, cæteri namque prælati tui nõ sunt simpliciter plus quam frater, sed quo ad aliquid, papa uero simpliciter. Qua ergo ratione limitatio admittitur peccati, admittenda est & limitatio peccantis fratris. Authoritas est s. Thom. in 4. sen. di. 19. q. 2. art. 2. q. 3. ad secundum dicentis, quòd si prælatus non habet superiorem, recurrendum est ad deum, qui eum emendet uel de medio subtrahat. hoc enim propter solum papam oportet dici, quia cæteri prælati habent superiorem. Nec solus est s. Thom. sed nunc nunc infinitæ fere auctoritates afferẽtur, ostendentes papam omnino non habere superiorem, ac per hoc non claudi sub appellatione fratris peccantis, quo ad actus iudiciales. Ex quo patet quam temere quidam dicant quòd super hoc textu absque omni calumnia plenitudo potestatis gladij spiritualis, & executio eius in ecclesia collocata, ac per hoc in concilio uniuersali sub quemlibet Christianum: qui est frater noster, etiam si papa fuerit, fundatur. Et quòd super hoc fundatur potestas diffiniendi, determinãdi, statuendi, exercendi, constituendi leges, etiam supra personam papæ, & usum potestatis eius. Hæc enim ex dictis & dicendis patet esse errone a. & dicentes hęc, nesciunt discernere, quòd præcepta quæ dantur de actibus iustitię iudicialis, intelliguntur tam in factis quam in personis subiectis & non aliis, & quòd ista præcepta non probant subiectionem talis facti uel talis personę ad ecclesiam, sed de subiectis illi quæcunque & quicunque sint disponit. Ignorantiæ ergo est ex hoc textu subiectionem papæ arguere. Et ut conuincantur isti, prædicetur textus iste sic. Primo, textus non magis loquitur de ecclesia uniuersali quam particulari: puta Mediolanen. Et hoc etiam conuincitur ex hoc, quòd peccante in me fratre meo Mediolani, sufficit dicere ecclesiæ illi, & si illam non audierit, erit sicut ethnicus &c. Indistincte ergo de ecclesia loquitur. Tunc ul-

tra cum dicitur. Dic ecclesiæ, aut sumitur ecclesia communiter pro collectione fidelium quomodolibet, & hoc non, quia si non audiret totam collectionem Mediolanensium absque prælatis, non esset sicut ethnicus & publicanus, ut patet. Aut sumitur ecclesia pro collectione fidelium cum prælato, & si sic sumitur, ergo etiam ecclesia uniuersalis cum sibi dicendum est, non sumitur pro acephala, sed cum capite qui est papa. Ex hoc ipso ergo præcepto domini intellecto proportionaliter de ecclesia uniuersali, papa comprehendi ostenditur, non sub appellatione fratris peccantis, sed ecclesiæ iudicantis: quia ecclesię cum capite, & non acephalæ dicendum mandat peccatum fratris peccantis Rursus papa non est deterioris conditionis respectu ecclesiæ suæ, quam quilibet episcopus respectu ecclesiæ suæ, sed episcopus peccans in fratrem suum non denunciatur ecclesiæ suæ acephalæ, sed ecclesiæ, id est prælato superiori, & sufficienter impletur mandatum domini, ergo papa non denunciatur ecclesiæ catholicæ (cuius est episcopus) acephalæ, sed superiori, qui est IESVS CHRISTVS, clamando ad Deum, qui est paratus cito facere uindictam clamantium ad se, multo magis quam iudex terrestris, ut ipse testatur luce.18.

Negandum est igitur, quòd ecclesia uniuersalis sit iudex ordinarius papæ in puniendo, & consequenter quòd sit simpliciter, & absolute illius iudex, & consequenter quòd quemcunque legis actum possit super eum. An autem in aliquo euentu uel casu sit illius iudex inferius examinabitur.

Repugnare quoque sacris canonibus quòd ecclesia uniuersalis sit iudex papæ in puniendo absolute, manifeste patet, quia sic de quolibet peccato papę in proximum posset denunciari papa, iudicari & puniri si fraternam admonitionem non audisset, contra cap. si papa distinc. 40. & cap. multa, nona quæstio. tertia, scilicet patet, nemo, aliorum, facta, cuncta. & contra omnes canones pontificum, scilicet Bonifacii, Nicolai, Innocentij, Simachi, Antherij & Gelasij. Et licet aliquod horum patiatur forte glosam, quòd loquitur de particulari iudice, & non de uniuersali ecclesia, multa tamen capitula omne iudicium citra diuinum excludunt, ut capitulum, patet. ubi sunt de sede Apostolica hæc uerba, cuius autoritate maius non est iudicium. Similiter capitulum aliorum. ubi sunt hæc uerba. aliorum causas hominum deus uoluit per homines

nes terminare, sed sedis istius præsulem suo sine questione reseruauit arbitrio. ubi etiam Papa excludit prosequendo obiectiones in contrarium. Est & contra extrauagantem Bonifacij.viij. unam sanctam.ubi diffiniẽs inquit. Si deuiat terrena potestas, iudicatur a spirituali, si deuiat spiritualis, iudicatur minor a superiori, si uero suprema, a solo deo & non ab homine potest iudicari. Hæc illę. Et est contra multos doctores in theologia quidem (ut refert dominus Ioannes de turre Cremata in lib.2.de ecclesia.ca.94.) Hugonẽ de sancto Victore, Albertum Magnum. S.Thomam, Alexandrum de Ales. S.Bonauenturam, Petrum de Tarantasio, Vlricum, Ricardum, Petrum de Palude, Herueum, Augustinum de Ancona, Alexandrum de Alpidio. In iure autẽ canonico Hostiensem, Ioannem Andreæ, Guidonem, Archi. Innocen. & Aluar. Ad ultimo allata ex sacris canonibus, ex eo quòd Papa non potest contra statuta patrum, responsionem habeo diui Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem, quòd intelligitur quo ad ea quæ sunt iuris diuini uel naturæ. Et hoc etiam habetur in glosa illius & præcedẽtis capituli. sunt quidam. Ad capitulum. prima salus. eodem modo dicendum est, aduertendo quòd patrum appellatione uenit principaliter Papa, qui est pater patrum. Quod autem Ioannes Ierson affert cõtra summos Pontifices illud Gratiani di.4. Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur autem cum moribus utentium comprobantur, quasi examen supremum legum sit, unde firmantur. risu magis quam responsione dignum est. Relinquitur igitur certum & indubie tenendum, quòd Papa est supra uniuersalem ecclesiam, non solum secundum singulas personas & ecclesias, sed secundum ipsam ecclesiæ cõmunitatem, solum Deum superiorem habens.

DE NOVA QVADAM FICTIONE, QVA IMAGINANTUR *aliqui concilium esse supra Papam.* *Cap.* 10.

HACTENVS simpliciter est disputatum & conclusum, q̃d Papa habet potestatem super uniuersali ecclesia & concilio ut caput, pastor, rector, & director illius. Deinceps noua quædam imaginatio Ioannis Ierson in trac. de potestate ecclesiastica,

ſtica, & in tractatu de auferibilitate ſponſi ſeu papæ, tractanda confutandaq; eſt, quoniam periculoſa eſt ualde, & ſanctæ matri eccleſiæ plurimum nociua. Et ut melius obſeruare ſe ab his omnes poſsint, recitanda eſt ſua imaginatio. Ponit in primis poteſtatem eccleſiaſticam uelut quoddam totum integrale diſtingui in ſuas partes integrales, papatum, cardinalatum, patriarchatum, epiſcopatum, ſacerdotiumq;, eccleſiamq; integrari ex his ita uult, ut ſublato, non Papa, ſed papatu, non ſit eccleſia uniuerſalis. Vultq; proinde in eccleſia & concilio uniuerſali ſiue Papa ſit, ſiue non, claudi auctoritatem papalem, quam ſupremã poteſtatem eccleſiaſticam & plenitudinem poteſtatis eccleſiaſticæ, fontaliter, poteſtatiue, & originaliter, reliquas continentem, & in ſolo ROMANO PONTIFICE formaliter & ſubiectiue eſſe fatetur, a Ieſu Chriſto petro datam. Fatetur quoq; eccleſiæ regimen a Ieſu Chriſto inſtitutum monarchicum, ita quòd hoc non niſi a ſolo deo mutabile eſt, & monarcham eſſe Papam. Cum his quoque diſtinguit & bene poteſtatem eccleſiaſticam tripliciter accipi. primo ſecundũ ſeipſam, ut papatũ ſecundum ſe ſecũdo. ſecundum applicationem ad hanc uel illam perſonam, ut quòd papatus ſit in Ioãne uel Martino, III. ſecũdum executionem, ut quòd Papa faciat uel non faciat hoc uel illud. Et appoſita altera diſtintione de multiplici modo eſſendi in aliquo, uult quòd licet quælibet eccleſiaſtica poteſtas ſit formaliter & ſubiectiuè tantum in ſuppoſitis formaliter denominatis ab illa (puta papalis in Papa, Cardinalitia in cardinali, Epiſcopalis in epiſcopo) nihilominus quælibet eccleſiaſtica poteſtas eſt in eccleſia uniuerſali ſeu concilio uniuerſali illam repreſentante tripliciter. primo ſicut in fine, quia data eſt in edificationem corporis Chriſti. ſecundo ſicut in regulante applicationem ipſius ad perſonam. tertio ſicut in regulante uſum, ſeu executionem poteſtatis in perſona exiſtentis. Et de primo ac ſecundo modo non eſſe dicit difficultatem. De tertio autem ſimiliter dicit, ſi conſideretur quòd poteſtas papalis data eſt in edificationem eccleſiæ. Et probat ſic. Papa eſt peccabilis, & poteſt hac poteſtate in deſtructionem eccleſiæ abuti. ſimiliter ſacrum collegium cardinalium non eſt in gratia uel fide confirmatum, ergo oportet ut aliqua ſit relicta inobliquabilis & indeuiabilis regula ab optimo legiſlatore Chriſto, ſecundũ quã poſsit abuſus huius poteſtatis reprimi, dirigi, atq; moderari. hæc autem eſt eccleſia, ſeu uniuerſale concilium. ergo in eccle

ſia uniuerſali eſt papatus, ut in regulatiuo executionis ipſius. Et confirmatur, quia cum medium uirtutis non habeatur niſi prout ſapiens iudicabit, & Papa habeat poteſtatem in edificationem prout ſapiens iudicabit, finalis reſolutio huius iudicij fiet ad eccleſiam ſeu concilium, ubi eſt ſapientia indeuiabilis. Et hic inquit fundantur multa, ut quòd Papa iudicari poteſt & deponi per concilium, quód concilio ſubijcitur quo ad uſum ſuæ poteſtatis, & ſibi poteſt dici, cur ita facis, & quòd in concilio eſt etiā poteſtas papalis quarto modo. ſ. ſuppletiuæ, quia ſ. ſupplendo facere poteſt quicquid poteſt Papa, ut decreta & acta concilij Conſtantien. teſtātur. Diſtinguit prӕterea poteſtatem papæ in eā, quæ ſibi a Ieſu Chriſto tributa eſt in Petro, tanquam ſuo uicario & monarchæ, tam ordinis quam iuriſditionis in foro uoluntario & inuito (& hanc uult eſſe ſupernaturalem) & in eā quæ conuenit papæ ex iure naturæ & poſitiuo. Naturæ quidem, quia dictamē naturalis iuris uult ut ſupremus in aliqua politia, gaudeat multis priuilegijs & honoribus ſuper alios. Poſitiuo uero multiplici, & in propoſito ipſius eccleſię ſeu generalium conciliorum, ſicut cōmunitas perfecta ſuo capiti dare poteſt. Et hanc uult eſſe autoritatem interpretandi diſpenſandiq; in ſtatutis concilij generalis, prout occurrens neceſsitas, uel euidens utilitas poſtulat, ubi pro tunc recurſus ad generale concilium non patet. Propter cuius diſtintionis ignorantiam multam ortam putat ignorantiam in putantibus omnia poſſe Papam ex autoritate ſibi a Chriſto tradita. Concilium igitur eſſe ſupra papam, habereq; uim coactiuam ſuper illū, poſſeq; illi leges imponere circa uſum poteſtatis, ſuſpendere ab executione, & deponere cum culpa & ſine culpa, infert. Comparare propterea inquit eccleſiam papæ, nihil aliud eſt quam comparare totum parti integrali, & q̄rere quid ſit maius. Conſtat.n.quòd eccleſiæ ſeu concilij uniuerſalis autoritas, maior eſt autoritate papæ in ſex. primo in amplitudine uel extenſione. ſecundo in infallibili directione. tertio in morum reformatione in capite & in membris. quarto in coactiua poteſtate. quinto in cauſarum fidei difficilium ultimata deciſione. ſexto quia copioſior. complectitur enim ſaltem uirtualiter omnem poteſtatem & omne politicum regimē, papale, imperiale, regale, ariſtocraticum, & timocraticum. Confirmat dicta ſua ex apoſtolorum actibus pluribus, quia. ſ. Iacobus non Petrus diffiniuit in concilio Act. 15. & ibidem non Petri nomine,
ſed

ſed communitatis ſcribitur ad antiochiam, apoſtoli, & ſeniores, &c.& miſerunt Petrum & Ioannem tanquam ſubditos eccleſiæ, Act. 8.& Petrus compulſus eſt ratione͂ reddere de ingreſſu ad centurione͂ Act. 11. Fundat au͂t ſuperallatis prius ex Matthę. 18.auctoritatibus. dic eccleſiæ,& quęcunq; ligaueritis ſuper terram.& concilio Conſtan. Et concludit ꝙ luce clarius ex principijs theologiæ co͂cluſa eſt ſubiectio Papæ ad concilium. Et uſq; adeo progreditur, ut peſtiferam pernicioſiſsimamq; doctrinam appellet ponentem Papam ſupra concilium, aut ſaltem non imparem illi.

QVOD SECLVSO PAPA, IN ECCLESIA NON EST PAPATVS, *ſuppletiue, & ſicut in regulante uſum ipſius.* Cap. 11.

PRINCIPIVM ueritatis uidendæ circa recitata à radice ſumendo, declarabimus primo id, ſuper quod tota hęc conſurgit fabrica: falſum eſſe.ſ.quòd ſecluſo Papa quomodolibet in eccleſia Dei ſit papatus, ſicut in regulatiuo ipſius qua͂tum ad uſum, & ſuppletiue. Deinde oſtendetur falſum eſſe quòd Papa habeat aliquam poteſtatem ab eccleſia: ſed omnia poteſt ex papatus auctoritate. Et deinceps ſigillatim omnia examinando determinabuntur, manifeſtata prius ueritate circa poteſtatem applica͂di poteſtates eccleſiaſticas ad perſonas, an ſit in eccleſia ſecluſo Papa. Sic.n.modo de eccleſia ut diſtinguitur contra Papa͂ loquimur: & ſic uolumus intelligi dum de his ſermo eſt. Si Papatus igitur eſt ſic in eccleſia, cum eccleſia non habeat ipſum ex ſeipſa (ut aduerſarius fatetur) oportet quòd datus ſit ei a Deo. Et cum huiuſmodi donata a deo neſciamus, niſi per reuelationem in ſacra ſcriptura, uel traditione Apoſtolorum, uel in ſanctis Doctoribus, aut determinatione apoſtolica contentam, aut per rationem ex principijs Theologicis efficaciter probantem; ſi in nullo horum reuelatio hæc inuenitur, ſed oppoſitum, ſi Theologica ratio non conuincit, ſed potius abducit ab hoc, ſentiendum eſt oppoſitum. Et quidem quòd in ſacra ſcriptura donatio iſta non reperiatur, ex antedictis patet. autoritates.n.ſumptæ ex Matth. 18. nihil dant niſi ſupra ſubiecta eccleſiæ indefinitæ, ut prædeclaratum eſt. Vnde ex eis no͂ poteſt huius, uel illius ſubiectio probari: ſed haberi quam poteſtatem in ſubiecto habeat. Ex geſtis uero ab Apoſtolis nihil ta

le habetur: quia Act.8. licet Petrus & Ioannes sint missi: non tamen ut subiecti: spiritus.n.sanctus missus est a filio (iuxta illud Ioann.16. quem ego mittam nobis) & tamen non est subiectus. Male Theologus est, qui ex missum esse, infert subditum esse. Act. uero xj. disceptatio eorum qui erant ex circuncisione aduersus Petrum, nullam superioritatem, sed ambiguam emulationem legis Moysi præ se fert. Et quòd illa disceptatio non ab Apostolis, sed conuersis iudæis, & præcipue phariseis fuerit, textus ille iunctus cum cap. 15. (ubi illi de hęresi phariseorum, dicebant legalia imponenda etiam gentilibus) insinuat. Et rursus reprehensio non factis, sed uerbis, subditis quandoq; licita est, aduersus pręlatos: vt de Petro, & Paulo apparet ad Gala.2. & superius ex S. Tho. ostendimus. Et item Gregorius (ut habetur 2.q.7. cap.Petrus.) hoc soluit, quòd Petrus noluit vti autoritate sua. Act.uero 15. non fuit concilium uniuersale, nec Iacobus dedit sententiam. & ideo nihil facit ad propositum. Quòd non fuerit concilium uniuersale, patet ex hoc, quòd non fuerunt ibi nisi tres ex 12. Apostolis; ut ad Gal.2.habetur. s.Petrus Iacobus, & Ioannes. Quod.n.narratur Act. 15. tunc fuit, quando Paulus post annos xiiii. ascendisse se Hierosolymā ad Gal. 2. refert: ut glosa ordinaria dicit Act. 15. Quòd Iacobus sententiam nō dederit, sed iudicium suum dixerit post Petrum loquēs, ex eo patet ꝙ subditur. tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni ecclesia eligere & mittere, &c. scribentes per manus ipsorum. Conclusio ergo in qua stat proculdubio sententia diffinitiua, in communi facta est, & non a Petro, nec Iacobo. Et scito, ꝙ quia solutio quæstionis petebatur non a Petro, sed ab Apostolis, & presbyteris præsentibus Hierosolimys (ut patet in eodem 15.c.) ideo Petrus simplici apostolatu non papali actoritate usus exhibuit se sicut unum ex alijs in tali conuentu; & communi nomine apostolorum appellatione contentus fuit. Et bene: quia omnia tempus habent; nec dum autem erat tēpus utendi plenitudine potestatis suę: in statuto pręcipue transitorio: quale fuit propositum a Iacobo cum dixit. ego iudico.i.hoc est iudicium meum, &c. Aduenit postmodum tempus, quo Papa manifestauit sue plenitudinem potestatis, ut patet legenti gesta patrum, & ecclesiæ. Quàmuis & hic Petrus primus inueniatur: & in electione Mathię; & in cōdemnatione Ananie, & Saphire, & Symonis. & ex traditione successiua Apostolorum, Papam po

tius

tius quam concilium primatum obtinere animas uocibusque christianorum imbibitum est usque ad concilium Constantien. ad quod usque tempus, sancti doctores absque dubio hoc docuerunt. Nec concilium Constantien. aut Basiliense oppositum determinare potuit, quia si Hieronymi solius authoritas innixa sacræ scripturæ præualuit concilio (ut patet 36.q.2.ca.tria, iuncto cap. placuit) quanto magis tanta lucida nubes testium inductorum innixa sacræ scripturæ aperte, ut monstratum est & mõstrabitur, præualet congregationi Constantien. ante Martinum, & Basilien. concilio. Omnia enim concilia per Rom. sedis auctoritatem robur acceperunt, & facta sunt, ut ex ca. Significasti, de elec. allegatum est. Quod autem nec ratione ex theologicis principiis hoc habeatur, sed potius oppositum, manifestatur. tota enim ratio huius consistit in hoc, quòd summus prouisor & legislator dominus Iesus Christus, non reliquit ecclesiam dilectissimam sine sufficiẽti regula & inobliquabili in remedium occurrentium defectiuum, sed papa est peccabilis, ecclesia uero errare non potest. ergo. Hæc enim ratio ad hoc propositum nõ solum non procedit ex principiis theologiæ, sed in heresim adducit dãnatam. cum pro fundamento enim sumitur, quòd ecclesia non potest errare, & papa potest errare: aut loquũtur de errore personali in gratia gratum faciente, aut de errore iudiciali diffiniendo in quacunque re ecclesiæ uel in fide. Si loquuntur de errore personali in gratia, in hęresim inciditur damnatam, quòd potestas ecclesiastica fundatur super charitate, & tamen hoc modo contra seipsum oportet quòd intendat iste homo, quia expresse affert pro ratione, quia papa est peccabilis, & sacrum collegium ei assistens non est confirmatum in fide & gratia. Ex hoc ergo, ꝙ apud ipsum ecclesia est firmata in fide & gratia, & propterea inobliquabilis, oportet dicere quòd a deo habeat regulatiuam potestatem usus omnis ecclesiasticę potestatis. Et hoc, quid aliud est dicere, quam sequi heresim illorũ, qui quoniam ubi sunt duo uel tres cõgregati in nomine meo in medio eorum est dominus ecclesiasticam potestatem in bonis christianis ponũt? Amplius. Quis reuelauit huic homini, quòd prelatorum congregatio in cõcilio generali secluso papa, sit confirmata magis in fide & gratia personali quam collegium Cardinalium? quare non possunt omnes illi esse in peccato mortali sicut isti?

P. Quamuis ecclesiæ sit promissa gratia personalis in aliquo

supposito semper (iuxta illud Matth. ulti. ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usque ad consummationẽ seculi) quis hoc promisit prælatis istis sic congregatis, magis quam collegio Cardinalium cum Papa. Quęcunque enim auctoritas afferatur de congregatis, scilicet, ubi duo uel tres &c. & si duo ex uobis consenserint & similia, non magis habet locum in illa acephala congregatione, quam in ista non acephala, quæ ueræ est in nomine domini saltem quo ad auctoritatem. Nec potest dici, quòd hoc cõueniat Concilio dicto ex repræsentata ecclesia uniuersali: quia gratiæ personales repræsentati, non transeunt in repræsentãtem, ut patet inductiue.

Si uero loquuntur de errore in iudicialiter diffiniendo de re qualibet, constat & quòd papa, & quòd concilium simul cum papa errare potest male iudicando de uno regno; quòd iste habet ius eius & non alter: aut quòd ille episcopus sit simoniacus, ut patet in cap. nobis. de senten. excom. & in quol. s. Thom. ubi supra. Si autem de iudicio fidei sit sermo: tunc aut comparatur papa & concilium secundum proprias naturas & uires. Et sic tam papa quam concilium potest errare; quia omnis homo mendax. Aut secundum assistentiam diuinæ prouidentiæ, & sic falsum & erroneum est dicere quòd papa possit errare: quia hoc esset dicere, quòd ecclesia tota potest errare in fide, quia ad ipsum pertinet determinare de fide, ut habetur de baptismo & eius effectu, c. maiores, & 24. q. 1. capitulis a recta, memor sum, & quoties. Et quicquid determinatum est ab ipso de fide, omnes Christi fideles sequi oportet, ut patet ex hoc, quòd hæreticus censetur qui damnate ab apostolica sede conclusioni in fide, adhæret pertinaciter, & ex hoc quòd qui aliter docet & sentit de fide & sacramẽtis ecclesiæ quam Rom. ecclesia, hæreticus est: ut patet ex s. Thom. in 22. q. 1. art. ult. docente, quòd ad summi pontificis auctoritatem pertinet, finaliter determinare ea quæ sunt fidei; ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, & in q. xi. ar. 2. ad tertium, ꝙ contra papæ auctoritatem in materia fidei, nec Hierony. nec Aug. nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit. & ex cap. si papa, dist. 40. ubi dicitur, quòd ex ipso post dominum uniuersorum salus dependet, & per hoc infallibile papæ iudiciũ impletur illud Ioan. 14. quòd spiritus sanctus docturus est nos omnia. Colligendo igitur rationis solutionem, dicitur, quòd semper altera præmissarum est erronea. Si enim est sermo de obliquitate

quitate a gratia, illa uniuersalis est erronea, scilicet quòd obliquum oportet regulari in terra a recto, & est expræsse damnata etiam a concilio Constantien. sub Martino. Si autem est sermo de obliquitate a iudicio fidei, illa propositio est erronea, scilicet quòd papa potest errare, & reliquum ecclesiæ non.

Confirmantur hæc, auctoritatibus supra allegatis. Et hæc responsio est ratio sumpta ex parte causæ materialis, ex hac enim habetur, quòd non magis communitas quam una persona in officio uicariatus CHRISTI posita quantum ad ea quæ sunt fidei, habet quòd sit subiectum seu materia assistentiæ diuinæ, cum non sit differentia apud Deum in multis aut paucis, uno uel pluribus saluare: immo ex quo monarchicum institutum est regimē, in uno solo constituta est potestas, ut s. Thom. in 4. sen. dist. 19. q. 1. dicit.

Ex quo patet, quòd uoluntarie dicitur quòd papa habet potestatem in edificationem prout sapiens, id est concilium determinabit. In his enim quæ sunt fidei secundum diuinam sapientiā in scripturis reuelatam & sibi assistentem, in directione autē morum secundum prudentiam monasticam & politicam, quæ in principe est, edificare ecclesiā debet. Et ad hęc multum adiuuatur ex concilio sanctorum patrum, & propterea cum ueneratione a summis pontificibus suscipiuntur, ostendunt siquidem statuta inter papæ, quod sequi secūdum Deum debet, quamuis cogere ipsum nequeant, ut ex prima secundæ s. Thom. allegatum est. Rationes autem quę concernunt depositionem papę, inferius soluentur.

Ex parte uero causę formalis, quia papatus est ex formali sua ratione suprema in ecclesia Dei potestas, ut ex antedictis habetur, & istemet fatetur, supremæ autem potestati in ecclesia repugnat dari in ecclesia superiorem, quia iam non esset suprema in ecclesia, sed potestas in ecclesia regulatiua papatus quo ad usum, est superior papatu, ergo in ecclesia Dei non est talis potestas, & consequenter non est in illa papatus sicut in regulatiuo usus illius. Prima propositio assumpta (ut dictum est) patet ex determinatione etiam concilij Constantien. sub Martino quinto. Secunda autem est nota ex terminis. Tertia autem, & probatur, & est ab eo confessa. Probatur quidem, quia cum par in parem non habeat imperium; & propterea unus papa non potest ligare manus alterius, oportet si ecclesia potest ligare

re manus Papæ constituendo leges coactiuas circa usum papatus & suspendendo ab executione, quòd potestas ecclesiæ non sit par papatui, sed superior papatu. Confessa est autem ab hoc uiro, quum loquens de dispensatione facta a papa dicit, tenet &c. Hæc dispensatio si non contineat errorem apertum, aut nisi fuerit superiori lege prohibita, quod dicitur propter statuta fieri possibilia circa papalis usum potestatis per generale concilium. Hęc illæ. Et ut magis pateat horum fictio, aduertendum est, quòd quemadmodum in adunatione omnium sensuum exteriorum in unum subiectum, non inueniretur aliquis unus iudex, præter singulas sensuum potestates, nisi sensus superior eis omnibus & cōmunis omnibus præiungeretur (& proptérea oportet ponere sensum cōmunem, ut patet in secundo de anima. unicum & cōmunem omnium sensibilium iudicem altiorem omnibus, quo uno unum subiectum habens plures sensuum potestates iudicat) ita posito, sed non concesso, quòd in ecclesia inuenirentur omnes potestates ecclesiasticæ. s. papatus, cardinalatus &c. si eis non resultaret, aut quomodolibet eis iungerẽ una alia potestas, nihil posset nisi quod secundum singulas potestates, papatus, cardinalatus, episcopatus &c. posset. Perinde enim est (ut dicitur in secundo de anima) duabus potentijs iudicare, ac si duo iudices essent. Ex concursu igitur omnium potestatum in ecclesia uniuersali etiam cum papa, non plus potest apud sapientes tota ecclesia cum papa, quam posint singulę potestates, ac per hoc, cum papatus non posit ligare manus papæ, nec tota ecclesia hoc potest. nisi fingatur superior quædam potestas papatu, qua ecclesiæ cōmunitas utens iudicet de singularũ potestatum actibus. & si hoc fingitur, contradicitur ueritati & sibiipsi, qui ecclesiam ex papatu, cardinalatu &c. componi uult.

Ex causa demum finali probatur intentum quadrupliciter. Primo, quia incidit in scyllam, cupiens uitare charybdim. Si. n. propter hunc finem ut quilibet potens errare habeat superiorẽ in terris, oportet hanc in ecclesia supra Papam potestatem ponere, quis corriget concilium ipsum potens errare? immo qđ de facto errauit in decretis illis Constantien. & Basilien. & in multis alijs errare potest, propter quod, a concilio ad Papam conceditur appellatio, ut S. Tho. in. q. de po. dei. q. 10. ar. 4. ad 13. dicit. Et de concilio Basilien. ꝙ quamuis legitime congregatum, errauerit notorie, conuincitur ex ipsius uerbis in secunda sessione. s.

synodus

synodus Basilien. decernit & declarat, quòd ipsa pro heresum ex tirpatione ac morum generali reformatione ecclesiæ in capite & in membris, necnon pace inter christianos procuranda, in spiritu sancto legitime congregata per nullum quauis autoritate (etiãsi papali dignitate præfulgeat) dissolui, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet autem, potest, debebit, aut poterit in futurum absq; eiusdem synodi Basilien. deliberatione & consensu. Hæc ibi. Vbi manifestißime apparet, ꝙ etiam in his quæ sunt iuris positiui (qualia sunt tempus & locus concilij) determinauerunt non habere potestatem summum Ponti. etiam antequam ipsa synodus congregata ibi tunc esset. quod tam erroneum est, ut argumentatione non egeat. Et hoc unum ideo attuli, ut ostendatur & quòd cõcilium rite etiam congregatum autoritate Ro. Ponti. ipso absente aut non consentiente decretis errare potest & errauit, & ut ex hoc uno manifeste falso in principio concilij illius decreto, omnium decretorum illius autoritas quanta sit cognoscatur. Inquit enim Aug. quòd si uel minimum mendacium in sacra scriptura admittitur, tota perit. Secundo. Quia uerus finis potestatis ecclesiasticæ. s. unitas fidei, charitatis & pacis, qua una est ecclesia, & peruenitur ad patriam cœlestem, melius causatur per unum, quàm per plures conuenientes in unum. Tertio. Quia nimis derogat dignitati supernaturalis ordinis positio ista, quasi sicut deus in naturalibus creauit hominem liberum & reliquit eũ in manu consilij sui, quo fit ut cõmunitas libera regem cõstituat cum certis legibus tacitis uel expresſis, sic disposuerit Christus in supernaturali regimine ecclesiæ, dando cõmunitati potestatẽ supra principem. Longe quippe aliter est, nam supernaturalis regiminis firmitas, non super humano consilio, sed super diuina aßistentia supernaturali fundatur, ac per hoc ad infallibilitatem infallibiliter consequendam, ipsa supernaturalis regiminis resolutio respuit recursum ad potestatem communitatis. Quarto. Quia cum gratia perficiat naturam per modum eius, & diuina sapia disponat omnia suauiter, oportet ut dominus Iesus Christus disponat regimen ecclesiæ suæ. ut uiuus non ut defunctus, propter quod, non ante mortem, sed post resurrectionem in æternum non moriturus Petrum instituit non succeßorem, sed uicarium suum. Cõmune est autem omnibus principibus uiuentibus uicarios instituentibus, ut potestatem Reip. super uicarium non

dent,

tamen potest aliquid statuere habens uim coactiuam non solum circa actus Papæ, sed nec circa quemcunq; Christianum, nisi ratione autoritatis prælatorum illius, nisi illi ad hoc concurrunt: & si fiat de facto, non ualet, nisi autoritate Ro. Pontificis implicite, uel explicite roboretur. Vnde S. Tho. (ut superius adductū est) inquit. sancti Patres in concilijs congregati nihil possunt statuere, nisi interueniente autoritate Ro. Ponti. Et ut prædictum est, rectè dixit, sancti patres; quia multi patres ex sua temeritate possunt statuere etiam ligandas manus Pontifici summo. Et confirmatur hoc ex diffinitione legis posita a Sancto Tho. in prima secundæ q. 90. ubi in ulti. artic. ex prædeterminatis concluditur, ꝙ lex est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata. Ex hoc. n. patet, ꝙ lex ecclesiæ nihil aliud est, quàm rationis ordinatio ad ecclesiæ commune bonum a Papa (qui curam habet communitatis ecclesiasticæ) promulgata, ac per hoc cōitas ecclesiæ, cui suiipsius cura nō est relicta a Iesu Christo, sed commissa Papæ, non potest leges autoritatiue facere. Et hoc cognoscentes sancti Patres, Papa robur decretorum suorum recognouerunt. ut etiam exorto hoc errore post electum Martinum, ipsa requisitio oratorum Regis Poloniæ, quòd approbarentur decisa in materia fidei a Martino testatur: ut patet in sessione vltima. Et Basilienses multum institerunt apud Eugenium IIII. vt decreta Basilien. concilij approbaret: & nunquam obtinuerunt: ut dominus Ioan. de Turre cremata refert: & in gestis Basilien. concilij apparet. Amplius. Autoritas ecclesiæ determinatiua de his quæ sunt fidei, principaliter residet in summo Ponti. & non solum principaliter, sed finaliter, ita quòd ad ipsum spectat finalis de fide determinatio. nec expectat concilium, sed concilij sententia a Papa confirmatur, & a concilio ad Papam appellatur, vt S. Tho. in allegatis locis ex ij. ij. & q. de potētia Dei: & contra errores græcorum docet. ergo a fortiori ad Papā principaliter, & finaliter spectat cætera statuere: & frustra a concilio ad eum appellaretur; nisi iustitiam posset supra concilium ministrare.

Amplius. Consuetudo ecclesiæ habet & habuit, ut Papa in omnibus, quæ non sunt de iure naturæ, aut diuino posit nō solum dispensare, sed mutare iura: non ergo ipse a concilio in interpretando dependet, sed econuerso. Et ex hoc patet quòd capitulum frequens, in concilio Constantien. decretum; nisi apo

ſtolica autoritate firmatum ſit, non habet certam uim obligatiuam: quoniam in ſeſsione 39. ante electum Martinum factum eſt.

QVOD POTESTAS APPLICATIVA ECCLESIASTICAE POTESTAtis ad perſonam, non eſt in eccleſia ſecluſo Papa, niſi in caſu. Cap. 13.

DE AVTORITATE autem applicatiua Papatus, & aliarum eccleſiaſticarum poteſtatum ad hanc perſonam uel illam, ſciendum eſt quòd poteſtas iſta regulariter, & principaliter eſt in Papa: & non niſi in caſu in concilio ſeu eccleſia. & in Papa quidem eſſe poteſtatem hanc quo ad applicationem poteſtatum inferiorum papatu patet, tum ex geſtis apoſtolorũ dum ſingulos epiſcopos per loca inſtituebant. tum eccleſiæ conſuetudine: quæ quotidie hæc a Papa faciente ſuſcipit abſq; conſcientiæ ſcrupulo. tum ex ratione officij ſui, ad eundem nanq; ſpectat plena poteſtas ſupremi regiminis, & aſſumptio aliorum in partem ſolicitudinis: ut patet Exodi 18. ubi Moyſes dux populi ex conſilio Ietrò elegit, & conſtituit principes populi: & millenos, & centuriones, & decanos. Quo ad applicationem uerò papatus: & ex geſtis Beati Petri Apoſtoli cum inſtituit Clementem Papam (ut habetur 8.q.j.ſi Petrus. ex autoritate Ioannis tertij, qui ſedit anno Domini CCCCCC. tempore Iuſtini Imperatoris) & ex continua obſeruatione liquet. Papa namq; inſtituit ad quos ſpectet electio: & mutat & limitat ſic actũ electionis,ut oppoſito modo ſit irritus. In eccleſia autem ſeu concilio non eſſe hanc autoritatem ſecluſo Papa: ex hoc patet, ꝙ tota eccleſia non poteſt autoritatiue mutare legem factam a papa: puta quòd electio non ſpectet ad Cardinales ueros,& indubitatos, quòd electus a minus quàm duabus partibus Cardinalium ſit Papa; ſed bene ecõuerſo,Papa poſſet ſtatuere, quòd electus a minus quam duabus partibus Cardinalium ſit Papa: & ꝙ electio ſpectare ad tales & tot prælatos, & non ad hos qui uocantur Cardinales, quia eiuſdem eſt deſtituere, cuius autoritatiue eſt conſtituere in his,quæ ſunt iuris poſitiui:quale eſt quòd electio ſpectet magis ad presbyteros & diaconos talium eccleſiarũ Romæ: qui uocantur Cardinales, quàm ad canonicos Lateranen.& S.Petri: magis ad epiſcopos Hoſtien. Sabinẽ. Præneſtin.

Tuſcu-

Tusculanen. Albanen.& Portunē. quam ad alios episcopos.hoc .n.nec a diuino nec a naturali iure esse constat. Si enim potestas ista applicatiua esset in ecclesia secluso papa, posset ecclesia mutare statuta papę circa applicationem huiusmodi.Vnde secundū ueritatem,cōcilium secluso papa, quia nihil potest nisi quod per singulas potestates in eo contentas potest.nec unum quidem & illum minimum potest constituere episcopum, si illi prælati ad quos spectat illū constituere defuerint. papa autem potest & eligere & cōstituere episcopos ubique terrarum sua sola auctoritate, quæ non sua,sed illius est,qui graditur in multitudine fortitudinis suæ. In casu autem permissionis (puta quia papa nihil statuit in oppositum)& ambiguitatis, quia nescitur si aliquis est uerus Cardinalis, & similium euentuum, mortuo uel incerto papa (ut tempore magni schismatis inchoati sub Vrbano sexto contigisse uidetur) in ecclesia Dei esse potestatē applicatiuā papatus ad personam seruatis debitis requisitionibus, ne perplexa sit asserendum est.Et tunc per uiam deuolutionis ad uniuersalē ecclesiam potestas hæc deuenire uidetur, tanquā non existentibus electoribus determinati, a papa, ad repræsentandum illam in hoc actu pro bono ipsius ecclesiæ.Iam.n. ostensum est,quòd ecclesiæ cura non sibiipsi, sed Petro a Christo commissa est: & propterea determinatio Petri ad exercendum electionis actum nomine ecclesiæ præualet tam determinationi quā actui ipsius ecclesiæ,cuius nomine sed non auctoritate fit. Quid autem de potestate de positiua sentiendum sit,inferius tractabitur,domino concedēte. Hæc autem dicta sunt, ut pateat concilium secluso papa,nec regulatiuam usus papalis potestatis, nec legum conditiuā & interpretatiuam,nec applicatiuam omnis potestatis ecclesiasticæ ad personam potestatē auctoritatiue habere, sed omnia a papa mēdicare ipsum oportet. Et per hęc etiam satis clarū restat, quòd concilium non habet papalem potestatē suppletiuē. Et si cōtra hæc afferantur gesta in concilio Constantien. iam dictum est,ꝙ propter incertitudinem papæ & electorum in his quæ electionis actus exigebat,admitti potest congregatio illa post unionē triū obedientiarum. Verum tamen perfectum ac indubitatum concilium absque uero & indubitato papa,& uno eorum contradicēte,esse non potuit. propter quod illius acta non nisi sub Martino quinto auctentica sunt; sub quo nihil gestum est a concilio sicut prius.

IN QVO SOLVVNTVR RATIONES CONTRA PAPAM, *quòd ecclesia sit totum & auctoritas eius maior in sex.* Cap. 14.

QVOD uero dicitur quòd comparare ecclesiam papæ est comparare totum parti integrali, de potestatibus ecclesiasticis loquendo (quia de his est sermo) facillimum est soluere, immo sophisticum mõstrare, nam sophisma est. Nam sicut unitas est pars numeri, & senarius numerus est maior tam unitate quam dualitate, ita papatus, qui est unica potestas ecclesiastica, est pars totius numeri potestatis ecclesiasticę. Et hoc modo potestas ecclesiæ est maior potestate papæ, sicut totum parte, & hoc est dicere, quia sunt plures potestates quam potestas papæ, quod gratis cõceditur. Sed ex hoc non sequitur, quòd potestas ecclesię sit maior, id est plus possit quã papa, in quo sensu disputatur. Vnde puerile est, quòd ex distinctione potestatis ecclesiasticę in papatum, cardinalatum, episcopatum &c. inferatur quòd quęrere an ecclesia sit maior papa, est quærere an totum sit maius parte integrali. Quod etiam dicitur quòd ecclesiæ auctoritas est maior autoritate papæ in sex, falsum & erroneum est: quoniam si sumatur ecclesia ut distincta contra papam, nullo modo est maior papa, nisi amplitudine seu extensione numeri, quia papa est una potestas, illa multæ. Ex quo enim ostensum est, quòd papatus secluso papa, non est in ecclesia nisi in potẽtia ministerialiter electiua (quia scilicet potest sede uacante papã eligere per Cardinales, uel per seipsam in casu) & papatus est potestas suprema, ad quã spectat causas fidei determinare, & qui certus est, non eget amplius certificari: erroneum est dicere, quòd ultima decisio fidei non ad papã, sed ad concilium spectat, & tanto magis erroneum, quanto de concilio dicitur distincto contra papam. Et quoniam sola diuina assistentia causa est inobliquabilis directionis & iudicij in ecclesia, & hic adest papæ, & similiter papatus est potestas omnium aliarum potestatum coactiuam uim habẽs, & omnẽ potestatem uirtualiter continens, consequens est quòd auctoritatiue ecclesia non sit maior papa: sed econtra in cęteris quinque enumeratis c. 10. Et sic patet quanta cecitate percussus fuerit iste Ierson, dicens quòd luce clarius ex principiis theologiæ, deducta erat conclusio ista, quam monstrauimus erroneam. Et rursus quam presumptuosus fuerit appellando doctrinam san

ctorum,

ctorum, annis. 140. approbatam, pestiferam & perniciosissimã. Nec excusatur nisi affectata forte ignorantia ex declaratione cõcilij Constan. in una tantum obedientia sub Ioanne 23. papa dubio, profugo etiam & reclamante, ut dicitur.

OPINIO ALIORVM, QVOD IN ECCLESIA SECLVSO PAPA, *est auctoritas congregandi generale concilium.* *Cap.* 15.

ET quoniam inter singulares auctoritates Ro. pontificis potestas congregandi generale cõcilium computatur, & hanc aliqui putant alijs cõuenire posse, idcirco in hac quoque concilium papæ comparandum specialiter est. Est igitur nonnullorum opinio, quod quamuis regulariter congregatio concilij spectet ad papam (ut in c significasti. de elec. & di. 17. per totum in decretis patet) in casu tamen aliquo congregari generale concilium potest, papa non consentiente ac etiã inuito. Fundant hoc super illo principio. s. Regulæ generales patiuntur exceptiones, præsertim ubi casus particulares incidunt uariabiles modis infinitis, quod probatur ex Epiikia in quinto Eth. & Gnome. in 6. Ethic. uirtutibus positis ab Aristo. ad has exceptiones. Ex his namque oportet dicere, quòd quandocunque obseruatio legis dissiparet unitatem quæ est finis legis: & obesset reipub. non esset in illo casu seruanda. Et propterea si papa requisitus nollet necessarium congregare concilium, non est seruanda pro tunc lex, quòd ad ipsum spectat congregare, sed ipso inuito congregari potest. Explanat autem dictus Ioan. Ierson tres in specie casus, in quibus congregatio generalis concilij sit legitime sine papa. Primus est dum desiit esse, quod tripliciter accidere potest scilicet uel per mortem naturalem, uel per mortem ciuilem, ut si cadat in perpetuam maniam. aut si ad eum captiuatum non pateat accessus. uel per mortem canonicam, puta depositionem. Secundus est dum sufficienter requisitus papa de conuocando concilium, renuit contumaciter in perniciem ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertius est, si concilium postquam a papa est legitimè congregatum, statuat certum tempus & locum pro celebrando generali concilio, puta infra quinquennium, uel de decennio in decennium, etiam ubi papa renueret. De auctoritate autem Concilij sine papa, dicit

cit quòd fulcitur & utitur autoritate primo Iesu Christi indefectibilis capitis ecclesiæ. Secundo legum suarum tam diuinæ quàm naturalis, quæ hanc licentiam uel necessitati, uel manifestę charitati, uel religiose pietati concedunt. pro quo facit autoritas domini Marci. X I. excusantis discipulos a uiolatione sabbati exemplo Dauid propter necessitatem.

Sunt & alij duo casus positi a Felino in ca. super literis. col. 10. in ti. de rescrip. & ab Alex. in. 17. di. ca. synodum. Primus est in casu, quo Papa pôt legitime deponi, quia ex quo concilio Contra Papam distincto, inest potestas deponendi Papam, oportet quòd possit seipsum dispersum congregare ut deponat, alioquin cum Papa deponendus nollet congregare concilium, non posset deponi. Secundus est, cum dubia, est electio facta de Papa, alioquin perplexa esset ecclesia, dum nesciret se habere Papam, & nô posset obuiare. Et hoc modo consummata est congregatio concilij Constantien. Benedicto. 13. nolente concilium autenticare quantum sua intererat.

QVOMODO VERIFICETVR QVOD CONCILIVM POTEST *aut non potest sine Papa congregari.* Cap. 16.

AD EVIDENTIAM propositæ ambiguitatis scire oportet, quòd aliud est loqui de conuocatione & congregatione personarum, ex quibus constitui potest concilium, & aliud est loqui de conuocatione seu congregatione concilij. Primum.n. significat solûmodo congregationem ad simul esse quo ad locum, tempus, collationem mutuam & huiusmodi, secundû autem significat congregationem ad auctoritatiuè deponendû de uniuersali ecclesia. Et si de primo fiat quæstio, dicendum est, ꝙ regulariter spectat ad Papam, sicut ad quemlibet principem spectat conuocatio procerum regni sui. & si ipso inscio huiusmodi conuocatio sit, suspicio generatur coniurationis. Hoc tamê non sic spectat ad Papam, quin in multis casibus possit & sine ipso & contra ipsum fieri. Et secundum hunc sensum uerificari potest dictum aliquorum, quòd concilium potest congregari sine Papa, & quòd papę potestas congregandi concilium introducta est de iure positiuo, ut in ca. ult. di. 17. Alex. dixit, pro quanto ad modum iuris positiui exceptiones patitur. & uana est quæstio de potestate sic congregandi, quando sunt undecunq; congregati

patres,

patres. Sed ſi de ſecundo modo congregandi fiat quæſtio, diſtinguendum eſt quòd duplex eſt cōcilium autoritatiuum. quoddam perfectum ſimpliciter, quoddam perfectum ſecundum præſentem ſtatum eccleſiæ. Vocatur concilium perfectum ſimpliciter, quod conſtat ex capite & membris, quod poteſt ſimpliciter ſtatuere & ordinare uniuerſalem ſtatum eccleſiæ. Vocatur concilium perfectum ſecundum præſentem ſtatum, quod conſtat ex membris poſsibilibus inueniri, eccleſia in tali ſtatu exiſtente, & poteſt quo ad aliquid tantum de uniuerſali eccleſia ſe impedire. Et utrunq; horum licet habeat latitudinem, quia conciliū perfectum ſimpliciter fit capite præſente per legatos, & capite præſente perſonaliter. & hoc eſt perfectum in ſummo, de quo non eſt dubium, quòd errare in his quæ ſunt fidei non poteſt. Quādo autem fit per legatos, cum adhuc ſuperſit Papa, ad quem finalis determinatio eorum quæ ſunt fidei, & conſequenter reliquarū cauſarum ſpectat, & a quo ſententia concilij confirmatur (ut patet ex dictis) ſi erraret in aliquo (ut de concilio Baſilien. patet) habet correctorem papam, ſicut & illud habuit & habet. Concilium quoq; perfectum ſecundum præſentem ſtatum eccleſię pluribus modis contingit, quia & exiſtente uno papa heretico deponendo, & exiſtentibus pluribus pontificibus ſummis dubijs, quale fuit concilium Conſtan. Licet in qua latitudo ſit in utroq; quo ad congregationem, tamen ſic ſe habent, quòd concilium perfectum ſimpliciter, ſolus papa poteſt congregare. Ita quòd nec mortuo, nec heretico, nec quomodolibet aliter ſe habente papa, poteſt concilium perfectum ſimpliciter abſq; papę conſenſu fieri. & ſi fiat, de facto nullius auctoritatis eſt. Probatur hoc primo ex dictis, quia. ſ. cōmunitas eccleſiæ ſine papa non habet poteſtatem papalem, niſi in potētia electiua, ut oſtenſum eſt. Cōcilium autem perfectum ſimpliciter includit poteſtatem papalem in actu, ergo concilium hoc non eſt perfectum ſimpliciter.

Secundo. Quia ſi cōmunitas eccleſię abſq; papa conſtitueret concilium perfectum ſimpliciter, cum ad tale concilium ſpectet ordinare ſimpliciter uniuerſalem eccleſiam, & hoc ſit proprium uicariatus Ieſu Chriſti (ut patet) ſequitur quòd cōmunitas eccleſiæ eſſet uicaria Chriſti. & ſic Ieſus Chriſtus haberet in terris duos uicarios ſuos, & papa non eſſet uicarius Ieſu Chriſti īmediate, ſed eſſet uicarius uicarij, puta concilij acephali in terris, quod non ſolum eſt erroneum, ſed fatuum. Tertio. Quia cum

ſolus

ſolus papa ex cura uniuerſalis eccleſię habeat poteſtatem deter minandi de fide, ordinandi ſymbolum, & congregandi conciliū ut in.q.prædicta S.Tho.probat ex ratione unitatis fidei) ſicut cu ra uniuerſalis eccleſiæ ex iure diuino conuenit ſoli papæ, ita hæc ſpectantia īmediate ad ipſam curam uniuerſalis eccleſiæ. Et cō firmatur hæc ratio ex doctrina eiuſdem. S.Tho.in prima ſecundæ q.100.arti.8. Quia.ſ. ea quę ſunt de iure diuino, determinata ab ipſo deo, non ſolum in cōmuni ratione iuſtitiæ, ſed etiam quantū determinationem ad ſingulos actus, non ſunt diſpenſabilia a præ latis eccleſiæ, ſed a ſolo deo. Verbi gratia, quia a deo prohibita eſt ſimplex fornicatio, quod eſt coniungi non ſuæ, non poteſt fie ri ab eccleſia quòd coniunctio cum hac non ſua ſit quandoq; li- cita, ſed ſolus Deus hoc poteſt. ſed deus in ſolo Petro & ſucceſ ſoribus poſuit curam uniuerſalis eccleſiæ, & non reliquit ipſi ec- cleſiæ curam ſuiipſius, & ad curam uniuerſalis eccleſiæ ſpe- ctat concilij congregatio & celebratio, ut patet ex eius offitio principali. ergo ſolus deus poteſt in hoc diſpenſare. Nec habet locum in hæc epijkia aut gnome, quoniam expreſſe in quinto ethi. dicitur, quòd eſt directio iuſtitiæ legalis, quā nos ius poſiti- uum uocamus. quod quia ab homine eſt, non petente præuidere & prouidere ſingulis euentibus, defectibile eſt in caſu, & tunc gnome in intellectu pratico, & epijkia in uoluntate ſupplent, nō interpretando ambigua, ſed manifeſta ſpectando & eligendo, ut S.Tho. in ſecunda ſecundę.q.120. ar.1. ad tertium aperit. Non eſt ergo regula hæc ut morales, grāmaticales, ciuiles aut cano- nicæ, ſed diuini iuris, a quo excipi nequit. Et ſic intelligēda ſunt quæ dicuntur in di.17.& propterea dixit. S.Tho. quòd ſancti pa tres nihil poſſunt in conciliis congregati ſtatuere, niſi auctorita- te Ro.Pontificis interueniente. Concilium perfectum ſecun- dum præſentem eccleſiæ ſtatum poteſt congregari ſine Papa, & eo inuito, ſi requiſitus non uult ipſæ illud congregare, ſed nō ha- bet poteſtatem ad ordinandum uniuerſalem eccleſiam, ſed ad prouidendum illi caſui tunc occurrenti. Et licet caſus humani uariabiles ſint infinitis modis (puta ſi contingeret mori omnes electores papæ, ſi contingeret tale quid, quòd electores non poſ ſent eligere ſine conuocatione concilij, ad reprimendum, diſcer nendum uel pacificandum &c.) omiſſis his & ſimilibus duos tan- tum certos caſus, & qui fuerunt quandoq; & poſſunt eſſe, affe- ro, in quibus concilium tale congregandum eſt. Primus eſt ſi

Papa

Papa propter hæresim est deponendus: tunc.n.ex quo requisitus renuit, possunt Cardinales, potest Imperator, possunt prælati congregationem vniuersalem facere. in qua erit non uniuersalis cura ecclesię, sed tantum depositiua potestas Papę, & electio ad solos Cardinales (ad quos de iure spectat) pertinebit. Probatur hoc, cũ de depositione Papæ inferius agetur. Secũdus est, quando Papa unus, uel plures incerta electione laborant; ut contigisse dicitur in magno schismate Vrbani VI. & aliorum. Tunc n. ne perplexa sit ecclesia, illa membra ecclesiæ, quæ inueniũtur, potestatem habent iudicandi uerum si potest sciri, & si sciri nequit, prouidendũ ꝙ electores in unum eorum, uel alium conueniant. & si certi electores nescirentur, cũ electio ad ecclesiam deuoluta sit, ex ipso electorum defectu concilium sic imperfectum eliget, ut in concilio Constan. factum uidetur in electione Martini V. In alijs aũt recitatis casibus, nulla necessitas apparet talis concilij. nam si non sane est perpetuo, & hoc constat, alius eligi a Cardinalibus potest, quoniam mortuus est Papa uita rationali non solum in actu (ut dormiens, aut ebrius, aut phreneticus) sed in potentia naturali. Constat autem, quòd Papa eligitur in pastorem ecclesiæ secundum uitam rationalem, & proptetea non est trepidandum timore, ubi non est timor. Et si dubium esset de sanitate recuperanda, expectandum est, sicut in diuturnis egritudinibus. Posset quoque propter dubios euentus statuto pontificis obuiari huic casui, si statueretur, quòd Papa insanus factus tanto tempore expectetur; & si post nullum uestigium sanitatis recuperandæ appareat, & a collegio medicorum iudicatus incurabilis fuerit, censeatur mortuus, & apostolicam sedem vacare. Ex quo namque quilibet sub ista lege pontificatum acceptaret, & eam non reuocaret, tacito consensu renunciare, aut depositionem acceptare se profiteretur, adueniente tali casu. & sic si post electum alium pontificem sanus fieret, papatum repetere non posset, a quo semel rite cecidisset. Ex eo autem quòd Papa captus esset, & nõ pateret accessus ad eum, alter non esset creandus. Petrus namq; seruabatur in carcere nullo patente accessu (ut patet ex actibus apostolorum) & tamen non est electus alter, sed oratio facta sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo, ipsum liberauit. Nunquid abbreuiata est manus Domini, aut statuendus est terminus domino, infra quem debeat liberare Papam, ut fecit Ozias cum illis de

bethulia. & reprehensi a Iudith sunt dicente. posuistis uos tempus miserationis domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei: ut patet Iudith. 7. & . 8. Posset tamen in hoc & in præcedenti casu, pontificio statuto prouideri, quòd a Cardinalibus eligeretur vnus; qui vices pontificis in omnibus & per omnia illo fatuo aut isto incarcerato durante, obtineret. Et tūc ille electus posset omnia facere in vtroque foro, sicut modo potest summus penitentiarius in foro conscientiæ absoluere autoritate iuris, mortuo Pontifice, uel fatuo, uel detento. In casu autē quo Papa non hęreticus certus, & indubitatus renuit requisitus congregare concilium, & statutum esset concilij generalis cum omnibus clausulis derogatorijs (ut Constantien. ceperunt & Basilien. apposuerunt) nescio ad quid congregatio ista fieret; cum nihil posset facere, quod renitens Papa non posset irritare. Pro erronea ergo habenda est omnis opinio, dicens concilium perfectum .i. habens autoritatem disponendi, & statuendi simpliciter de uniuersali ecclesia posse absq; Ro. Ponti. autoritate celebrari seu congregari: quia derogat singulari priuilegio potestatis Papalis, cōcesso sibi a Christo immediate: ut patet ex dictis.

Dicentibus autem quòd quia concilium Constan. in sessione 39. & post Basilien. in sessione 11. constituit cap. frequens. ideo etiam inuito Pontifice de decennio in decennium potest celebrari concilium etiam perfectum, propter autoritatem statuti. Respondendum est, quòd sunt in magno errore: & ꝙ in ueritate schismati operam dant tales. & tanquàm schismatici puniri possunt, si sic exequerētur: quoniam rebelles sunt Roma. Pont. qui est supra totum ius positiuum, & constat quòd determinatio temporis, & loci concilij de iure est positiuo. Et si Doctores aliqui inueniuntur sentientes, quòd quia tempus interpellat, & autoritas deuoluitur ad alios, & huiusmodi, aut sunt sectatores illius erroris, quòd concilium est supra Papam, aut loquuntur stante statuto in robore, ita ꝙ papa non tollat, aut interpretetur, aut dispenset, aut prohibeat. Quo ad negationem uero consensus requisiti Papæ ad congregādum concilium; quia tantum ponderatur, sciendum est, quòd oportet hic discretione uti. nam si requiritur a uiris probis. præterita & perseuerans uitę ac morum integritas commendat: & subest causa cōcilij (puta heresis uel schisma) debet papa annuere, & nunquàm credo ꝙ fuerit papa qui negauerit sic rebus se habētibus. Si aūt requiritur

ritur a uiris, qui uolunt alligare onera aliis,& digito suo nolunt mouere ea,qui priscorum conciliorum statuta non seruant , am bitiosis, insatiabilibus suarũ passionum sectatoribus & huiusmo di pro reformatione ecclesiæ,nonne responsio Christi cõuenit? Hypocrita,eiice primum trabem de oculo tuo,& tũc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui , præsertim quòd melius potest papa solus reformare ecclesiam inchoando sponte a seip so & suis,quam per concilium.oportet enim primo seruare quæ scripta sunt,& deinde alia scribere statuta. Sufficiens quoq; est causa negandi consensum concilio, probabilis timor usurpandæ auctoritatis a concilio supra papam,ut Basilien.mox ostenderũt bis scilicet cum primum inchoatum est concilium sessione.xi. & cum iterum redintegratum fuit ab Eug.sessione. 18. Finis enim concilij est pax,quæ per istam usurpationem perturbatur,ut ex-perientia magistra rerum testatur. Ex his igitur patet, ꝙ inter extraneas opiniones de congregatione & celebratione concilij absque papæ consensu:media uia sola uera est,quã declarauimus scilicet quòd concilium perfectum simpliciter,nunquã,perfectũ uero concilium secundum presentem ecclesiæ statum quandoq; sine papa & contra ipsum congregari & celebrari potest.Et secũ dũ hanc distinctionẽ potes diuersa,si uis dicta doctorum saluare.

IN QVO INCIPIT COMPARATIO POTESTATIS *ecclesiæ & papæ in casu hæresis. Et primo de modo quo papa propter crimen hæresis subijcitur concilio secundum unam opinionem.*

Cap. 17.

POST collatam potestatem papę cum auctoritatę ecclesiæ & cõcilij generalis simpliciter & absolute,& manifestationẽ superioritatis papę supra ecclesiam uniuersalem & conciliũ uniuersale, consequenter comparanda est auctoritas concilij ad papam in casibus. Et primo in casu heresis,deinde in casu incor rigibilitatis & aliis casibus,& demum in euentibus. Et quoniam innata est nobis uia ex certioribus nobis in minus certa, suppo namus cum doctoribus,& communi animi conceptione ex ca.si papa, di.40. quòd papa propter crimen heresis potest deponi a concilio generali,& inuestigemus modum depositionis, &p ote statem depositiuam, ut sic nosse possimus,an papa in aliquo casu sit subditus concilio seu ecclesiæ uniuersali.

De modo quo papa propter crimen hæresis deponitur, uaria est opinio. Quidam dicunt ꝙ hoc fit propter defectum subiecti. Subiectum nãq; papatus dicunt esse hominem fidelem, ac per hoc sicut deficiẽte uita corporali per mortem desinit subiectum papatus: ita deficiente fide in illo homine qui est papa per hæresim, desinit subiectum papatus. Fundatur hæc opinio super hoc, ꝙ fides constituit uiatorẽ in hoc, ꝙ est esse membrũ ecclesię Christi. Huic.n.adiuncta alia propositione.s.ꝙ negatio prioris inducit negationẽ posterioris in essentialiter ordinatis ordine causæ formalis (quæ patet inductiue. si.n.non est animal, non est homo, & si non est color, non est albedo, & sic de aliis) subiungunt, sed esse mẽbrũ & esse caput sunt sic essentialiter ordinata, ꝙ esse mẽbrum est prius quam esse caput, ut patet, quia caput oportet esse membrũ, sed non econtra, quod igitur non est membrum nõ est caput. Et sic homo carens fide (qualis est hæreticus) non est membrum ecclesiæ, igitur non est caput eiusdem, ac per hoc, cũ papa nihil aliud sit quã caput ecclesiæ, eo ipso quo sit sine fide, sit non papa. Et hoc est quod sub aliis uerbis ab aliis dicitur, ꝙ cũ papa sit hæreticus, ipso facto iure diuino quo sit distĩctõ fideliũ ab infidelibus, est priuatus papatu. Et quãdo per ecclesiam propterea deponitur, non iudicatur neq; deponitur papa, sed qui iã iudicatus est (quia non credit, secundum uerbum domini Ioan. 3.) & qui iã depositus est, dum propria uoluntate translatus est extra corpus ecclesiæ factus infidelis. declaratur iudicatus & depositus. Primã autẽ propositionem radicẽ huius opinionis (quæ sola negari in hac ratione potest) fundant super auctoritatibus plurimis, quibusdã directè ex ratione fidei & ecclesiæ, quibusdã ex consequẽtibus ad esse extra fidẽ & ecclesiam id testantibus. Ex ratione fidei quatuor afferuntur auctoritates. Prima saluatoris Matt. 16. super hanc petram edificabo ecclesiam. siue.n.per petram intelligatur Christus, siue Petrus, siue cõfessio fidei, in idem redit quo ad fidei rationem. ipsa.n. semper inuenitur fundare ecclesiam. Secunda est Abac. 2. & apostoli ad Ro. 1. & Hebr. 10. iustus ex fide uiuit. Sicut autem uiuere uiuentibus est esse in naturalibus, ita in ecclesia uiuere est esse in ea: bene uiuere autem est per charitatẽ. Tertia est apostoli ad Hæbr. xi. Fides est sperandarũ substantia rerum. Substãtia.n.primum locum tenet. Quarta est sancti Tho. in 3. sen. di. 13. q. 2. ar. 2. q 2. expræsse dicentis, quòd homines infideles non pertinent ad unionem corporis ecclesiæ, secundũ ꝙ

est

est unũ simpliciter, & ideo respectu horũ, Christus non est caput nisi in potẽtia, secundum ꝙ sunt unibiles corpori. Ex rõne ecclesiæ affertur diffinitio ecclesiæ. s. quòd est collectio fideliũ, de consec. di. 1. ca. ecclesia. Ex consequentibus uero ad esse extra fidẽ & ecclesiam, multę afferri possunt auctoritates, dicentes ad statũ extra fidẽ & ecclesiã cõsequi extra communionem fidelium, sine clauibus, sine ptãte, sine honore, sine officio pascendi oues. Fieri & esse procul a cõione fidelium hæreticos, faciũt in primis domi nus numeri. 16. recedite inquit a tabernaculis impiorum, Dathã. s. & Abiron, schismaticorum. constat enim omnes hæreticos esse schismaticos. Deinde Paulus apostolus ad Gal. 1. si Angel. de cœlo euangelizet uobis præter id, quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Et. 2. ad Thessalo. 3. rogamus uos fratres in nomine domini nostri IESV CHRISTI, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum doctrinã, quam acceperunt. Et. 2. ad Cor. 6. nolite iugum ducere cum infidelibus. quę. n. participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Demum Ioan. euangelista. 2. Ioan. 2. si quis uenit ad uos, & hanc doctrinã non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Amisionem clauiũ Ambrosius in pasto. (& habetur de pœ. di. 1. ca. uerbum) explicat. Dominus par ius & soluendi esse uoluit & ligãdi, & subdit. Certum est quòd ecclesiæ utrũque licet, hæresis utrũq; non habet. Honoris uero & ptãtis perditionem Cyprianus promulgat, ut habetur 7. q. 1. ca. Nouatianus. Qui nec unitatẽ spũs, nec cõionem pacis obseruat, & se ab ecclesię uinculo atq; sacerdotũ collegio separat, nec epi ptãtem põt habere nec honorẽ. Et. 24. q. 1. c. didicimus, dicit oẽs omnino hęreticos & schismaticos nihil habere ptãtis & iuris. ad idẽ est Gelasius ibidẽ in c. Agathius. Ad idẽ est expræsse. s. Tho. in 2. secundæ. q. 39. ar. 3. uolens quòd ptãs spãlis iurisditionis nõ manet in hæreticis, nec quo ad usum, nec quo ad substãtiam, ita quòd si quid fecerint, nihil est actũ. Officiũ pascendi oues adimit Aug. ĩ sermone de pasto. tractãs illud Canti. 1. pasce hędos tuos. & dicens. Manenti Petro dicitur, pasce oues meas, exeunti hæretico, pasce hædos tuos. Et hanc sententiam repetit in epistola ad Vincentium. Ex his omnibus clare patet radicalis illa propositio, quòd fides facit membrum ecclesiæ. Si enim secluso iure positiuo (ut loquimur) cum perditione fidei remane-

rent

rent membra in locis suis, non esset eis subtracta cõmunio, non honor, non potestas, non officium, ut de se patet. Immo subtractio sola potestatis sufficit ad propositum, quia papa sola potestate iurisditionis constituitur.

Confirmaturq; hæc positio, ex eo quòd papa hereticus & excõmunicatus, ut patet ex glosa in ca. Agathius. 24. q. 1. dicente. Hic est casus, in quo papa papam ligare potest, in quo papa in canonem late sententiæ incidit. Nec huic obuiat illa regula, quòd par parem soluere uel ligare non potest, quia si papa est hereticus, est minor quolibet catholico, ut habetur. 12, q. 1. c. audiuimus. Hoc idem Hug. dicit in. c. inferior. di. 21. Est etiam accusandus, adeo (ut glo. in. c. si papa di. 40. dicit) quòd papa non potest statuere, quòd non possit papa accusari de heresi. Est etiã iudicandus, ut in dicto ca. si papa habetur. Quæ omnia arguunt hereticum non esse papam, sed minorem. Et ad hoc est S. Tho. in 4. di. 19. q. 2. art. 2. q. 3. ad primum, tractans illud ad Gal. 2. quomodo paulus restitit in faciem petro, dicit quòd non debet prælatis a subditis coram multitudine corripi, nisi ĩmineret periculum fidei, tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur, & subditus fidelis maior. Constat enim quòd non de maioritate & minoritate charitatis loquitur, quia hoc est cõmune omni peccato mortali, sed potestatis, qua prælatus præest subdito. ergo ut prius. Ex his autem infertur, quòd in utroq; modo quo certus papa uiuens definit esse papa, eadem est causa desitionis. s. propria uoluntas illius qui est papa. nam renunciando propria uoluntate, abdicat a se esse caput ecclesiæ, heresim autẽ amplectendo, propria uoluntate aufert a se esse membrum ecclesie, & consequenter esse caput. Et sic ex nullo certo modo desitionis papæ uiuẽtis, habetur quòd papa inuitus deponitur, propter quod remanere dicunt inconcussum, quòd papa manens papa, non habet superiorem in terris potestatem.

DE MODO QVO PAPA HAERETICVS, SVBIICITVR concilio secundum aliam opinionem. cap. 18.

QVAMVIS autem dicta positio illustrium sit uirorum, & cõmunis uideatur esse, non placet tamen omnibus, contradicunt nãq; duobus, ponentes duas propositiones. Prima est, quòd papa hereticus non est ipso facto depositus, sed deponendus

ponendus. Secunda est, quòd papa hereticus manens papa, habet superiorem iudicem in terris concilium uniuersale.

Primã propositionem licet multipliciter probent, quatuor tamen solum afferentur, quia in his consistit uis. Primo ex facto Marcellini, & glo. di. 21. cap. nunc autem, qui idolatra non fuit depositus, & fuit sanctus. Et glo. affert Hug. dicentem, quia paratus erat corrigi, non deponitur, ut. 24. q. 3. dicit apostolus. Secũdo ex ca. audiuimus. 24. q. 1. ubi dicitur de episcopo heretico. Si autem in corde suo nouam heresim confinxit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit. Ante igitur quàm prædicaret heresim, damnare potuit, & sic non erat depositus ipso facto. Tertio, quia alij prælati non sunt ipso facto priuati, sed perseuerant in prelationibus suis redeuntes ad pœnitentiam. ergo nec Papa, cum non sit deterioris conditionis. Assumptum patet. 1. q. 7. maximum. Quarto (quia ut patet extra de here. cum ex iniuncto) ad eundem pertinet institutio & destitutio. sed institutio papæ pertinet ad electores, ergo & destitutio. absq; ergo iudicio electorum non destituitur Papa. Secundam autem propositionem, quòd papa hereticus manens papa habet iudicẽ in terris uniuersalem ecclesiam, probant quo ad primam partẽ sic. Papa hereticus est accusandus & iudicandus secundum omnes, ut habetur di. 40. si papa. & non est ipso facto depositus, ut probatum est. ergo habet iudicem, coram quo accusetur, & a quo iudicetur. Quo ad secundam, ex eo quòd ecclesia uniuersalis seu uniuersale concilium est supra papam in hoc casu, ut communiter tenetur.

EXAMEN ILLIUS PROPOSITIONIS, PAPA *hereticus est ipso facto priuatus papatu.* Cap. 19.

PRAEMISSIS duobus modis dicendis contrarijs quomodo papa hereticus desinit esse papa, examinanda primo occurrit illa propositio, quæ est fundamentum primi modi, an sit uera. Et breuiter facile ostenditur, quòd est falsa simpliciter, quamuis forte tracta ad aliquem sensum, sit uera. Monstratur igitur, quòd nec iure diuino nec humano papa hereticus est ipso facto priuatus, tali ratione. Alij episcopi si fiunt heretici, non sunt ipso facto priuati iure diuino aut humano. ergo nec papa. Sequela patet, quia papa non est deterioris conditionis, quã alij episcopi.

episcopi. Assumptum probatur sic. episcopus discredens contra fidem, solo actu interiori est uerè propriè & perfectè hereticus, & non est priuatus potestate iurisditionis ipso facto. ergo perfectè hereticus episcopus non est priuatus ipso facto.

In hoc processu sunt duę propositiones. Prima quòd solo actu interiori constituatur perfectè hereticus. Et hæc est manifesta per se, quia heresis est peccatum mortale oppositum fidei, quæ perfectè consistit in solo actu interiori, cuius effectus est confessio exterior, iuxta illud ad Ro.10. corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Secunda autem probatur, quia potestas iurisditionis inest huic homini, qui est episcopus ex simplici cōmissione hominis, ut S.Tho. expresse dicitur in secunda secundæ.q.39.ar.5. Ex hoc enim deducitur intentum sic. Episcopus hereticus solo actu interiori, nullo hominis iudicio subditus ex hoc est, quia solius dei est iudicare de interioribus puris, iuxta illud primi Reg.16.homo uidet quę foris sunt, deus autem intùetur Cor. Et.1.ad Cor.4.apostolus dicit. nolite ante tempus iudicare, donec ueniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū. Propter quod talis hereticus non est excōmunicatus.non.n.potest ecclesia excōmunicare, quod non potest iudicare. Ergo multo minus est priuatus iurisditionis potestate, quæ est ab hominis cōmissione, utrunq; enim est humani iudicij, cōmittere.s.& auferre illam & dixi multo minus, quia plus exigitur ad incurrendam priuationem ipso facto, quàm ad incurrendam excōmunicationem, quoniam incursus censurarum non requirit declarationem, sicut incursus priuationis apud iuristas. Ad hanc rationem non uideo responsionem, nisi dicatur quòd potestas iurisditionis non est ab homine. quod est primo contra.S.Tho. Est secundo contra sententiam omnium doctorum catholicorum, sentientium quòd a petro omnis iurisditio in totum residuum ecclesiæ corpus manauit & manat, iuxta illud Leonis papæ.c.ita dominus.di.19. Ita dominus huius muneris sacramentum ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodā capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet. Ad hoc idem sunt tot autoritates & rationes, quot sunt ad ostendendum unitatem capitis & principis in ecclesia militante, propterea nolo immorari, sed pro constanti supponere.

Etsi

Et si dicatur, quòd nō est par ratio de Papa & alijs episcopis in hoc casu, quia potestas iurisdictionis in alijs episcopis est ab homine, in Papa uero est a Deo immediate. & propterea merito accidit ut episcopi, quorum potestas est ab homine, nō sint ipso facto priuati (quia homo uidet quæ foris sunt) & Papa cuius potestas est a solo Deo, sit ipso facto priuatus; quia Deus intuetur cor. Hæc obiectio facile excluditur, discernendo inter opus dei & opus hominis. Quòd.n.in papatu sit potestas iurisdictionis, a deo est immediate, iuxta illud Matt. 16. quodcunque ligaueris super terram, &c. Quòd autem papatus ipse habens hanc ptātem sit in hoc hoīe, ab hoīe est (sola Petri persona excepta; quem Deus ipse papā fecit Ioan. ult. pasce oues meas) nam ab homine eligitur hic homo, ut in eo sit papatus. Et quoniam cum deponitur papa, non aufertur potestas iurisdictionis a papatu, quod esset auferre opus dei (quoniam ut dicitur ad Roma. xj. sine penitentia sunt dona Dei) sed aufertur potestas iurisdictionis ab hoc homine, in quo non fuit posita a Deo immediate, sed mediante iudicio humano: ideo eadem ratio est de papa, & alijs episcopis, quo ad perditionem potestatis iurisditionis a Deo seu iure diuino. In utrisq;.n.a Deo cum sit mediante iudicio humano, consequens est, quòd non auferatur a Deo immediate, sed mediante humano iudicio, ac per hoc, nō aufertur per id quod humano iudicio secundum se non subiacet s. occultam in solo corde hæresim.

SI QVIS autem hæsitaret de illa altera propositione. s. ꝙ de hæresi interiori, ecclesia nō se potest impedire: propterea quia Docto. dicunt, quòd hæretici etiam occulti sunt excommunicati: & quia in clemen. de hære. c. multorum, excōicantur inquisitores, qui odio uel amore omiserint procedere: ubi de interiori amore & odio ecclesia iudicat. Facillime certior fieri potest, ꝙ hęretici ut sic, foro ecclesiastico subditi quantuncunque occulti sunt excommunicati; & non hæretici solo actu interiori. Vnde siquis incidit in hæresim interius, & solus secum loquēdo uerbo exteriori profert submisissime illam hæresim, est excōmunicatus, quàmuis sit omnino occultus: quia actus exterioris locutionis subiacet humano iudicio secundum se, quàmuis careat testibus. In clemen. autem illa & similibus, non iudicantur actus interiores secundum se in sua puritate manētes, sed ut sunt causæ exteriorum commissionum, aut omissionum: ad idem

nãque genus pertinet commissio & omissio, sicut affirmatio & negatio, sermo auté noster est de hæretico interiori puro. Et ex inaduertentia huius distinctionis scilicet de occulto per se & occulto per accidens, multi re hac errauerunt. Nec mirum, quia contigit in his quæ sunt per accidens, etiam sapiétes falli, ut Aristo. dixit. Actus enim interiores puri sunt in genere occultorum per se: quia ex propria natura habent quòd sint iudicio humano ignoti. Actus autem exteriores sunt de genere occultorum per accidens, quia ex propria natura subsunt cognitioni humanæ. Possunt namque sensibus percipi, sed ex hoc quòd fiunt sine teste, occulta sunt, propter quod nunquam (ut dictum est) ab ecclesia actus interior purus, sed exteriori iunctus iudicatur. Vnde quia præsens ratio conuincit intellectum meum, ideo concludo quòd illa propositio, papa cum sit hæreticus, ipso facto est iure diuino seu humano depositus, est falsa. Confirmatur autem sic esse ut dicimus, etiam ex ipsius contrarium sentientibus, quoniam dicunt, quòd papa quamuis hæreticus, si est paratus corrigi non deponitur, ut glo. in di. 21. cap. nunc autem adducit Hug. Si enim hæreticus est ipso facto depositus iure diuino a papatu, quomodo iterum fit papa? immo quô ex sola non depositione perseuerat papa? immo quomodo non deponitur? Hæc enim contradicunt positioni anteriori scilicet, quòd sit ipso facto iure diuino depositus, ut patet, nec sufficienter dicitur, quòd dum ecclesia non deponit, reeligit, tum quia falsum est quòd non depositio sit reelectio, ut patet, tum quia electores ad quos spectat, si peterentur an uelint ipsum reeligere, dicerent quòd non, aut quòd uellent meditari super hoc, sed non deponunt, quia ius uidetur habere, quòd si est paratus corrigi, non deponatur. Vnde nihil ei tribuunt non deponendo, sed sustinent quod habet; & si nihil habet (ut positio illa dixit) nihil sustinent decepti. Et siquis hoc eorum dictum suscipiat ut uerum, quòd papa factus hæreticus paratus postmodû corrigi non deponitur, sequitur manifeste, quòd papa manifestus hæreticus, non est ipso facto depositus. quia enim paratus corrigi non deponitur, sequitur non erat prius depositus.

Ratio-

RATIONABILIS SENTENTIA, QVOD PAPA FACTVS HAERETICVS *subest potestati ministeriali ecclesiæ, & non auctoritatiue super papam.* Cap. 20.

PRAEMISSA certitudine trium (scilicet quòd papa ex hoc quòd factus est hæreticus, non est ipso facto diuino, aut humano iure depositus, & quòd papa manens papa non habet superiorem in terris, & quòd papa si a fide deuiat, deponendus est, ut in cap. si papa. 40. di.) Magna restat ambiguitas, quomodo & a quo iudicabitur papa deponendus quòd sit depositus, cum iudex inquantum iudex sit superior eo qui iudicatur. Vnde apostolus ad Rom. 14. tu inquit quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat aut cadit, & s. Thom. in secunda secundæ, q. 67. determinat, quòd iudex non potest nisi subditum iudicare. & in decre. di. 21. c. inferior, idem dicitur. Si nãque a concilio uniuersali iudicandus deponendúsque est, statim sequitur quòd papa manens papa, habet concilium uniuersale supra se, saltem in casu hæresis. Si autem nec concilium nec ecclesia est supra ipsum, statim sequitur quòd papa deuius a fide sit iudicandus & deponendus, & tamen a nullo est iudicandus & deponendus, quod est ridiculum. Quid ergo dicemus, ut euitemus utrumq; extremum? non est quo diuertendum sit, nisi ad medium, quod difficile attingitur, in cuius attinctione cõsistit uirtus, quod multas consueuit soluere quęstiones.

Dicamus igitur, ꝙ hic sunt duæ uiæ extremæ, & ambæ falsæ. Altera est, quòd papa factus hæreticus est ipso facto diuino iure absque humano iudice depositus. Altera est, quòd papa manens papa habet supra se in terris superiorem potestatem, a qua potest deponi. Media autem uia est adhuc duplex. Altera dicẽs, quòd papa licet absolute non habeat superiorem in terris, ipsæ tamen in casu hæresis habet superiorem in terris ecclesiã uniuersalem. Altera dicẽs, quòd papa nec simpliciter nec in casu habet superiorem in terris, sed subest potestati ministeriali uniuersalis ecclesiæ quo ad solam depositionem. Prima uia fundatur in uirtute coactiua & iudicatiua ecclesiæ super Petrum papam in casu hęresis. oportet enim subditum esse qui iudicatur & cogi posse, & hæc est uia communis quantum uidi hactenus.

Contra tamen hanc uiam est, quia cum papa diuino iure sit su pra concilium & ecclesiam (ut ostensum est) oportet si in aliquo casu est illi subditus, quòd ex diuino iure sit facta exceptio ista. nullum enim aliud inferius ius potest exceptionem hanc facere, ut patet. In diuino autem iure nõ exprimitur subiectio, sed sepa ratio, cum casus hæresis excipitur: ut patet in singulis textibus sa cræ scripturæ inductis. Numeri.n.16. dicitur recedite. Ad Gal.1. anathema.i. separatum sit. Secundæ ad Thess.3. subtrahatis uos. Secundę ad cor.6. nolite iugum ducere. Secundæ Ioan.2. nolite recipere, nec ei auæ dixeritis. Ad Titum.3. deuita. Et breuiter nullibi inuenio superioritatem & inferioritatem in casu hæresis ex diuino iure, sed separationem. cõstat aut quòd separare se po test ecclesia a papa sola ministeriali potestate, qua potest ipsum eligere. Non igitur ex hoc quòd diuino iure sancitum est, ut ha betur hæreticus uitetur & procul sit ab ecclesia, maiori potesta te opus est quam ministeriali; ex quo ipsa sufficit, & eam constat esse in ecclesia. Et confirmatur hoc. Quia non est iuri diuino tri buendum, quod nec expræssum est in eo, nec ex expręssis necessa rio sequitur. Potestas autem supra papã in casu hæresis, propriæ loquendo, non habetur in diuino iure, nec ex ipso necessario se quitur, ergo. Probatur minor, quòd enim non habeatur puto pa tere legenti. Dico autem puto, quoniam iminens schisma, opu sculum hoc infra duos menses fieri impulit ex improuiso. Quod uero non sequatur, patet ex eo quòd, quia non oportet multipli care entia sine necessitate, melius est unum principium quã plu ra facere, ex quo igitur potestas ministerialis sufficit, alia opus non est.

¶ ERIT ergo media & uera uia, quòd papa factus hæreticus & perseuerans habet in terris potestatem non superiorem se, sed ministerialem ad sui depositionem. Ad cuius euidentiam altius ordiendo, tria præmittenda sunt. Primo quòd in papa inueniũ tur tria, scilicet, papatus, persona quæ est papa, puta Petrus, & cõ iunctio utriusque. s. papatus in Petro, ex qua coniunctione resul tat Petrus papa. Secundo, quod discernendo & applicando proprias causas suis propriis effectibus, inuenimus, quòd papa tus est a Deo immediate, Petrus est a patre suo, &c. coniunctio autem papatus in Petro post Petrum primũ a Christo immedia te institutum, non est a deo, sed ab homine, ut patet, quia hoc fit

per

per electionem hominum. Concurrit autem duplex consensus humanus ad causandum hunc effectum, scilicet, eligentium & electi. oportet enim electores uolontariè eligere, & personam electam acceptare electionem, alioquin nihil fit. Est ergo coniunctio papatus in Petro non a Deo immediate, sed mediante ministerio humano, tam ex parte electorum, quàm ex parte electi. Nec se habet huiusmodi ministerium humanum in causando hanc coniunctionem ut applicans actiuum passiuo (ut applicans ignem stipulæ) uel applicans uirtutem passionis Christi subiecto, ut facit baptizans, & sacramenta ministrans, quoniam nullum est hoc applicatum actiuum, sed sola uoluntas humana electorum & electi. non facile enim esset fingere aliquod aliud actiuum. Ex hoc autem quòd coniunctio papatus cum Petro est effectus uoluntatis humanæ, cum ipsa constituat Petrum papam, sequitur quòd licet papa a solo Deo dependeat in esse & fieri, Petrus tamen papa depēdet etiam ab homine in fieri. fit. n. Petrus papa ab homine, dū ab hominibus electus, ipse homo acceptat, & sic iungitur petro papatus.

Tertio, quòd quia iam nihil tam naturale est, ut unaquæque res per quascunque causas fit, per easdem contrario modo dissoluatur (ut dicitur in cap. omnis, de regulis iuris) idcirco Petrus papa, qui ex consensu suo & electorum causatus est, ex consensibus eisdem scilicet suo & electorum ad contrarium, dissolui potest. Et hoc iam determinatum est facto Cœlestini & decretalis Bonifacij octaui, in sexto, de renuntiatio. capit. primo.

Ex his tribus præmissis habetur, primo, absque omni hæsitatione certum quòd Petrus Papa & in fieri & in corrumpi dependet a potestate humana, non superiori nec equali potestati papæ sed minore, quia nec ad faciendum de Petro non papa Petrum papam, nec ad faciendum de Petro papa Petrum non papam exigitur alia facultas quam uoluntatis humanæ, scilicet, electi & electorum. Nec sit curæ in proposito, utrum bona uel mala conscientia, ex bona, uel mala intētione uel causa moueātur, sat est in proposito quòd facta tenent, ita quòd in ueritate Petrus sit aut non sit papa.

Quod etiam ista potestas sit minor potestate papæ, absq; alia probatione ex eo liquet, quòd mortuo papa, nullo ēt supposito statuto iuris positiui, ista potestas est in ecclesia, & nō se extēdit

ad ea

ad ea, ad quę se extendit summi Pôti: auctoritas, alioquin essent duę supremæ potestates in ecclesia, & Christus non instituisset ecclesiasticum regimen monarchicum. Et cum par in parem nô habeat imperium, non potuissent pontifices huic potestati executionis modum imponere, per quos, quot. s. & quomodo debeat electio celebrari, cum iteratione actus, si secus factum fuerit. Hæc. n. ostendunt potestatem hanc, nec maiorem nec parem, sed inferiorem potestate papæ, superioris nãq; uirtutis est disponere de actu inferioris autoritatiue, ita quòd si secus fiat, nihil ualeat, ut in proposito inuenitur.

Habetur secundo certo certius, quòd aliud est posse supra côiunctionem Petri & papatus construendam, seu destruendam, & aliud est posse supra papam, ex eo nãq; quòd potestas minor papatu s. simplex uoluntas electi & electorum potest construere & destruere hanc coniunctionem, & huiusmodi potestas cum sit minor papatu, non potest supra papam, manifestę conuincitur, quòd aliud est posse supra illam coniunctionem, & aliud est posse supra papam. nde potestas supra papam, non inuenitur nisi in domino Iesu Christo, potesta s autem supra coniunctionem papatus & petri, inuenitur in terris. Et merito, quia papatus opus dei imediate est, côiunctio autê papatus & petri opus nostrũ est.

Nec mireris tu qui philosophiam profiteris, quòd inueniatur potestas sup coniunctionem formæ cum materia, quæ non est super formam, quia coniunctio formæ cum materia, formam cô sequitur. Cessabit admiratio tua, si contemplatus fueris, quòd coniunctio formæ & materiæ utrinq; attingi potest. s. ex parte materiæ & ex parte formæ. & quòd potens super coniunctionê formæ & materiæ ex parte utriusq; seu ex parte formæ, potest etiam supra formam. sed potens super coniunctionem illam ex parte materiæ, non oportet quòd posfit super formam, ut patet in generatione hominis. Sol. n. & homo generant hominem, qui consistit in coniunctione corporis & animæ intellectiuæ, aut resultat ex illa coniunctione, & constat solem & hominem non posse supra animam intellectiuam, quę uenit de foris, sed supra coniunctionem illam ex parte corporis, quæ est materia. Sic. n. accidit in proposito, nam papatus & petrus se habent ut materia & forma, & solus dominus Iesus Christus potest super coniunctione eorum ex parte papatus, & consequenter utriusq;, & propterea solus potest limitare & ordinare potestatem papæ. ecclesia

autem poteſt ſuper coniunctione eorum ex parte petri ſolum, & propterea nihil poteſt ſuper papam, ſed ſuper coniunctionem tantum. Et quoniam amotio papæ ſiue per renunciationem, ſiue per depoſitionem, ſiue per eiectionem non eſt corruptio papatus nec petri, ſed coniunctionis papatus & petri, idcirco diligẽtiſſime & cautiſſime oportet pro regula habere ante mẽtis oculos, cum de amotione papæ tractatur, quòd non quæritur poteſtas ſuperior papa, ſed ſuperior coniunctione inter Petrum & papatum. Quod ut clarius pateat ſcito, quòd certum eſt, quòd tribus modis poteſt petrus Papa uiuens amoueri a papatu. primo per eiectionem a domino Ieſu Chriſto. ſecundo per renunciationem ſpontaneam a ſeipſo. tertio per depoſitionem inuitã propter incorrigibilem hereſim ab eccleſia. In omnibus autem his modis, non deſinit papatus nec Petrus, ſed ſola coniunctio utriuſq;. Differenter tamen, quia in primo modo. ſ. per eiectionem a domino Ieſu Chriſto, coniunctio illa corrumpitur a poteſtate ſuperiori, non ſolum reſpectu coniunctionis, ſed reſpectu papatus, eſt. n. auctoritas domini ſupra coniunctionem illam ẽt ex parte formæ. Et quia (ut dictum eſt) nulla alia poteſtas eſt ſupra papam, ac per hoc nulla alia poteſtas poteſt coniunctionem illam attingere ex parte formæ, conſequens eſt, ut nulla alia poteſtas poſſit amouere papam ut poteſtas ſuperior papa, ſed hoc ẽſt proprium Saluatoris noſtri. Et hoc modo intelligendum eſt dictum Anacleti papæ di. 79. ca. eiectionem, dicentis. eiectionem ſummorum Ponti. ſibi dominus reſeruauit. Differentia nãq; inter papam & alios Pontifices in hoc conſiſtit, quòd alij pontifices poſſunt eijci tanquã a poteſtate ſuperiori ipſis poteſtatibus pontificum, papa autem non, quia in eccleſia terreſtri inuenitur poteſtas ſupra poteſtatem iuriſditionalem epiſcopi, non autem ſupra poteſtatem papæ. Ex hoc. n. habetur, quòd illorũ eiectionem dominus conceſſit papæ, concedendo poteſtatem ſuperiorem, papę uero eiectionem ſibi reſeruauit, nulli concedendo poteſtatem ſuperiorem papatu. Vnde ſi Papa Ioã. epiſcopum de plenitudine poteſtatis eijceret, eiectus eſſet, nec haberet amplius poteſtatem iuriſditionis. Nulla autem poteſtas in eccleſia relicta eſt a domino, quæ poſſit hoc facere in Petrum Papam.

In ſecundo autem modo (ſcilicet per renunciationem) & tertio, ſcilicet per depoſitionem, coniunctio illa corrumpitur, non a poteſtate ſupra papatum, ſed a poteſtate ſupra coniunctionem

ſolam,

solam, quia nec uoluntas petri, nec uoluntas ecclesiæ est supra papatum, & ex ipsis causatur coniunctio illa, & corrumpitur, ut patet. Quia ergo certum est papam hereticum incorrigibilē factum non esse ipso facto depositum, & esse deponēdum ab ecclesia, & ecclesiam non habere potestatem supra papatum, & ecclesiam habere potestatem supra coniunctionem inter Petrum & papatum, utpote opus suum, oportet dicere, quòd cum Petrus papa factus hereticus incorrigibilis deponitur ab ecclesia, iudicatur & deponitur a potestate superiori, non papatu, sed cōiunctione inter papatum & Petrum.

DISCVSSIO PRAEDICTAE POTESTATIS MINISTERIALIS *depositiuè papæ hæretici.* *Cap.* 21.

QVAMVIS autem ex certificatis habeantur in ecclesia respectu coniunctionis inter Petrum & papatum duo posse (scilicet posse coniunctionem talem cōstruere & destruere pari consensu, & posse coniunctionem eādem ipso heretico incorrigibili, inuito destruere) non tamen liquet quòd hæc duo posse sint unius & eiusdem potestatis. Quod tamen conclusum est in prҫcedenti ca. per uiam diuisionis, propter identitatē obiecti quia utrunq; est circa ipsam coniunctionem papatus & Petri.

Nec solum obscurum est, sed falsum multipliciter apparet. Primo ex ipsius potestatis natura, nam quando una causa totalis ex duabus partialibus constans exigitur ad aliquem effectum, neutra illarum partialium sine altera sufficit ad talem effectum, ut patet in uinculo matrimonij. Quia.n. ad uinculum matrimonij cōcurrunt duo consensus (.s. uiri & mulieris) & causa totalis eius constat ex utroq; consensu, neuter sine altero sufficit ad causandum uinculum matrimonij in altero. In proposito autem ad coniunctionem petri & papatus construendam uel destruendam cō currūt duo, consensus (.s. electorum ex una, & petri electi ex alia parte) tanquā causæ partiales, & uterq; simul tanquam causa totalis. ergo consensus alter tātū nō potest in talē effectū .s. dictā cōiūctionē construendā uel dissoluēdā. Et quia potestas depositiua papæ inuiti propter heresim incorrigibiliter, includit alterum consensum tantum, sequitur quòd & ipsa non est idem, quod illa potentia totalis, & quòd si est pars eius non potest deponere, qđ repugnat potētiæ depositiuè. Male ergo dictū est, ꝙ potētia

depositi-

depositiua papæ est illa potentia, quæ euidenter est in ecclesia su per coniunctione dicta. Et confirmatur hæc rō. Quia de quo magis videtur inesse & non inest, ergo nec de quo minus; magis aût videtur ꝙ solus consensus Petri papę posit se facere non Papam, quàm solus consensus aliorū, quia pôt renunciare. sed hoc non potest Petrus solus, quia quantûcûq; Petrus ipse renunciet, semper est Papa, donec renûciatio sua acceptetur: sicut econtra quantuncûq; Petrus sit electus, nûquàm est Papa, quousq; electio ni de se consentiat. Hæc.n.ostendût, ꝙ cā totalis tā constructiua quàm destructiua coniunctionis Petri & Papatus, quæ in ecclesia minor papatu, non est ecclesiæ solius, aut Petri solius, sed utriusq; simul consensus. ac per hoc, per hanc nō pôt inuitus papa depo- tii quacunq; ex causa: quia implicat contradictionē. Secundo apparet falsum ex mô exeûdi in actû talis ptâtis: quoniam Papa hæreticus iudicâdus est. iuxta c.si papa.di. 40. & Doctores. Potestas aût ista minor papatu, nō pôt citare, cōpellere, & breuiter non habet uim coactiuā supra Petrum papā. repugnat ergo ꝙ sit ptās minor, & ꝙ sit iudex, ex ipso mô: quia.s. ui coactiua procedere posse debet. Tertio apparet falsū ex subiecto ēt istius partialis consensus, quia cū consensus istę partialis ex parte ecclesię sit in electoribus papæ, qui mô sunt soli Cardinales (ad quos spectat eligere, & renunciationē acceptare, ut patet in facto Celestini) sequeretur quòd apud eosdem solos resideret potestas depositiua Petri papæ facti hæretici, cuius oppositum cōiter tenetur.

Sed horum solutio magis propositum confirmabit. Si nāq; consensus electi, & electorum in hac causanda coniunctione concurrerent, ut consensus uiri & mulieris ad causandum uinculum matrimonij, ratio procederet. quoniam uterq; consensus habet se ut partialis cā quasi efficiens uinculum matrimonij. In proposito autem isti duo consensus diuersimode concurrunt: nam consensus electorum se habet ut cā faciens illā coniunctionē. consensus aût electi se habet ut reddens subiectū capax illius coniunctionis, non.n.est capax nisi christianus uolûtarius. Sicut n. esse fidelē non est cā illius coniûctionis factiua, ita nec esse uoluntarium ad illā. Et hoc patet in acquisitione aliarū iurisdictionum. cū.n.alicui imponitur aliqua prælatio. certū est ꝙ quousq; ipse illā acceptet, nō est prælatus: acceptatio tamē sua non facit in se prælationē, sed subiectū reddit capax prælatiōis, & sic actio imponētis sortitur effectū in subiecto capaci faciens iurisdōnē,

quæ propter in dispositionē subiecti non poterat intentū facere in eo. Actus.n.actiuorum fiunt in patiente disposito; ut dicitur in secundo de Anima. Consensu igitur electi concurrente ut reddente subiectum capax coniunctionis cum papatu, restat vt cōsensus eligentium sit faciens coniunctionem illam. ostensum est enim, quòd non est a deo immediate, sed mediante humano opere: quod est electio in subiecto sufficienter disposito. Et sic ex hoc relinquitur, quod potestas faciens, uel quasi faciens hāc coniunctionem est in electoribus, & non in electo ut sic. nemo enim sibi assumit honorem, sed qui vocatur a Deo ut Aaron: ut dicitur ad Hebr. 5. Ad confirmationem dicitur, ꝙ si papa sola sua renunciatione absq; acceptatione ecclesiæ non potest a se abdicare papatum, hoc magis cōfirmat propositum, quòd eius consensus non fuit inter causas facientes. Ratio autem quare acceptatio requiritur est, quia nemo potest renunciare iuri alterius, quod habet in se; nullus.n. qui ex pacto tenetur alicui soluere.c.potest renunciare huic uinculo absq; uoluntate eius cui tenetur, quàmuis ab initio uoluntarie se obligauerit. Papa autem acceptando papatum, obligat se ecclesiæ ad regimē ipsius. unde iuri ecclesiæ quod habet in Petrum Papam, non potest ipse renunciare inuita ecclesia cui tenetur. Et confirmatur. Quia papatus non coniungitur sibi ratione sui, sed ratione ecclesiæ: dicente domino in creatione Petri primi Papæ, non aliud quàm pasce oues meas. Vnde non est uerum quòd magis uideatur de consensu solo electi quòd possit dissoluere: quoniam ipse nō est causa efficiens etiam partialis illius coniunctionis, sed dispositio tantum subiecti.

Ad secundum (in quo pendet tota uis huius rei) dicitur ꝙ potestas ista minor papatu habet uim coactiuam, non super Petrum Papam, sed super coniunctionem papatus, & Petri, non simpliciter, sed in casu hæresis. ita quòd potestas ista relata ad Papam est ministerialis, relata ad coniunctionem Petri, & Papatus in fieri, uel dissolui, subiecto existente disposito, est autoritatiua, ita ꝙ sententia diffinitiua ex hac autoritate procedens super coniunctione talis materiæ Petri hæretici cum papatu, dissoluit autoritatiue cōiunctionem illam. Sicut.n. electio ecclesię autoritatiue super coniunctionem non super Papam, cōiungit Petrum dispositum.i. fidelem, & uoluntarium cum papatu, ita talis sententia dissoluit: agit.n. in materiam dispositam per hæresim.

Exemplum

Exemplum horum habemus in naturalibus, cum homo generatur & corrumpitur ab agente non potente super animam hominis, sed super coniunctionem animæ & corporis ex parte materię. Et si quæratur quomodo præcedentia sententiam depositiuam fient, cum usque ad illam Petrus duret superior, posset dici quòd quia nec Deus nec natura deficit in necessariis, quòd eadem auctoritas extendit se ad omnia præambula. Quorum nullũ uideo oportere esse coactiuum Petri papę: sed sufficit quòd sint intimatiua, reprehensiua & huiusmodi. iudicium enim hoc non ex confessione sua extorta præceptis, cẽsuris, aut tormento, sed ex euidenti facto uel uerbo habetur sis incorrigibiliter, expectatur, quòd sine eius coactione fit. Siquis autem diceret, ꝙ non est inconueniens hanc minorem potestatẽ indirectè posse cogere Petrum ad pręambula necessaria ad sententiã, non uideo quare erraret, cùm Petrus papa hęreticus incorrigibilis, iã sit in corruptionis uiã, & Deus (cuius perfecta sunt opera) potestatẽ depositiuam in casu hæresis absque necessariis præambulis non dederit ecclesiæ, qui nunquam deficit in necessariis. Et hoc dico si aliqua pręambula coactiua ex necessitate iudicij essent necessaria, quod iuristis discutiendum relinquo. Bene tamẽ aduertant, quòd non loquor nisi de necessariis ex necessitate huius iudicij: & non loquor de necessariis ex occasionibus euentuum & aliorum extraneorum a ratione iudicij.

Ad tertium dicitur, quòd potestas ista depositiua nõ est in cardinalibus, quia in eis nõ est potestas super cõniunctione Petri & papatus, nisi limitate scilicet tempore, quo papatus uacat. In ecclesia autem uniuersali est potestas super cõiunctione ista absq; limitatione, si secluso iure positiuo loquimur. & ideo Cardi. non possunt deponere papam hæreticum, sed hoc spectat ad uniuersalem ecclesiam. Posset tamen hic potestas cõmitti dominis cardinalibus a iure statuto pontificis, sicut cõmissa est eis potestas eligendi scilicet per uiam determinationis, ꝙ ipsi repræsentarẽt uniuersalem ecclesiam sicut in eligendo, ita & in depõnendo, quã do deponendus est. Manifestum autẽ exemplo fieri potest, quod dictum est. Siquis nãque episcopus iturus in regionem longinquam, instituat suum generalem uicarium cum plenissima auctoritate: ordinans quòd si institutus Vicarius moriatur, aut publicus blasphemus fiat, canonici posint illum amouere, & aliũ nominare in uicariũ absque alia confirmatione &c. Constat quòd

canonici nullam auctoritatem super uicarium haberent, neque simpliciter neque in hoc casu, sed super amotione eius in illo casu, quod est habere potestatem super coniunctione uicariatus cũ persona in casu &c. Eodem enim modo est in proposito. nam pastor & episcopus animarum nostrarum dominus Iesus Christus abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti, & instituit Petrum apostolum in suum generalem uicarium cum plenissima autoritate, ante ascensionẽ dicẽs ei, pasce oues meas, & cum effectu exhibens promissam sibi prius potestatẽ amplissimam. tibi dabo claues, & quodcunque ligaueris &c. Et ordinauit ut si unquam aliquis Petri successor hæreticus fiat, ecclesia eũ possit amouere, & loco eius alium nominare. 40. di. cap. si papa. Ex hac igitur cõcessa potestate patet, quòd ecclesia nihil potest super papam absolute, nec in casu hæresis propriè loquendo, potest supra papam, sed super coniunctione papatus cũ Petro, quã dissoluit amotio. Et sic clare liquet, quòd potestas ecclesiæ est super cõiunctione papatus & Petri in fieri & in corrumpi, subiecto existente disposito ad fieri per fidem & uoluntatem, ad corrumpi uero per hæresim uel uoluntatem, & cum hoc potestas ista est minor papatu, & ideo nõ potest limitare eius potestatem. Et sic patet, quòd papa nullam etiam in casu hæresis habet supra se potestatem, quod erat intentum.

RESPONDETVR RATIONIBVS ET AVCTORITATIBVS *allatis in cap. 17. ad probandum quòd papa hæreticus, est ipso facto depositus iure diuino.*

Cap. 22.

QVAMVIS autem ex determinatis manifesta sit rationabilis sentẽtia, quòd scilicet certus & indubitatus papa nec simpliciter, nec in casu hæresis est subditus, proprie loquẽdo concilio aut ecclesię uniuersali, quia inest adhuc papa, sed in casu hæresis connexio papatus cum persona infra subdita est determinationi ecclesiæ & concilij uniuersalis, ita quòd potest deponi, oportet tamen satisfacere rõnibus & auctoritatibus tot illustrium uirorum, tenentium papam ipso facto depositũ, & propterea subditum concilio. Et quoniam uis principalis consistit in hoc, ꝙ fides saltem informis exigitur ad membrum Iesu Christi, ideo sciendum est, quòd baptismus (quo primũ regeneramur, & pertinemus ad Iesu Christi corpus mysticũ quod est ecclesia)

tres

tres quantum ad propositum spectat: facit in anima nostra effe-
ctus, primo imprimit characterem indelebilem, secundo fidem,
tertio charitatem. Et de tertio quidem effectu. s. charitate mani
festum est quòd licet constituat mēbrum uiuum Christi, non ta-
men exigitur ad habendam iurisdictionis uel ordinis potestatē,
oppositum enim spectat ad hæresim pauperum de lugduno. De
secundo autem (de quo tota est quæstio) quòd non exigatur ad
potestatem ordinis, etiam clarum est, quoniam hæretici conse-
crant uerum corpus Christi, & faciunt ueros sacerdotes. si serua
ta forma & intentione ecclesiæ hoc faciant, & ex hoc ipso incho
at splendor ueritatis, quòd s. licet fides informis constituat mē-
brum Christi secūdum quid (ut dixit in tertia par. s. Thom. q. 8.
ar. 1. ad secundum) quia tamen latitudo datur in membris Chri
sti secundum quid, etiam sine fide informi, ex solo charactere sa-
cramenti fidei constituitur membrum Christi secundum quid re
motius a Christo. hæreticus enim nisi membrum secundū quid
Christi esset, nec corpus Christi, nec ministros consecraret, nec
sacramentū confirmationis daret. Hæc. n. a solis Christi mēbris
non quibuscūque, sed in magno sacerdotii. s. uel episcopatus gra
du constitutis facta tenent &c. Altius quoque contemplando ui
debimus, & quòd tāta est uis characteris baptismalis, ut ēt fides
formata eius uices non suppleat, ut patet ex hoc quòd presby-
ter nō baptizatus reordinatur, ut patet extra de presbytero nō
baptizato, ca. siquis præsbyter. Et quòd ipse character cōstituit
membrū Christi, dicēte Inno. eo. tit. in c. ueniens. non solum per
sacramentū fidei, sed per fidem sacramenti efficitur quis procul
dubio membrū Christi. Constat. n. quòd proprius & inseparabi-
lis effectus sacramēti fidei, quod constat esse baptisma, est solus
character, ut patet cū aliquis hæreticus baptizatur secundū for-
mam ex intētione ecclesiæ. nihil. n. aliud recipit quā characterē.
Et si altius adhuc mentis oculos eleuauerimus, intuebimur quòd
habens solū fidei characterē, est simul & fidelis & infidelis, mem-
brū Christi & ecclesiæ & extra membra Christi & ecclesiæ, diuer
sis respectibus, & ppea a doctoribus diuersa & contraria de eo di
cuntur. Habens nāq; solū characterem fidei, q̄tum est ex pte sua
infidelis est & extra mēbra Christi & ecclesiæ, quoniā uolūtarie
discredit, ex parte aūt Iesu Christi, qui characterē fidei semel da-
tū indebilitatem conseruat, est fidelis inuitus, & est membrum
Christi & ecclesiæ uelit nolit ipsæ, utpote non ualens abdicare,
aut

aut abijcere a se susceptum semel fidei characterem. Propter qđ a diuo Tho. in secunda secundæ q. 10. ar. 3. ad tertium computatur talis inter fideles, cum dicitur quod pro adulterio grauius punitur fidelis quàm infidelis propter sacramenta fidei quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit. & in eiusdem q. ar. 5. numeratur inter infideles, dum ponit heresim speciem infidelitatis. Differt autem habens solum characterem ab habẽte etiam fidem informẽ quo ad officium membri Christi, quia habens characterem & fidem, suscipit influxum interiorem a Iesu Christo capite quo ad hunc actum uitalẽ qui est credere, ut S. Tho. dicit in tertia parte q. 8. ar. 3. ad secundum. Habens autem characterem solum, non suscipit influxum alicuius actus uitalis interius, sed tãtum quo ad exteriorem operationem, sicut brachio arido potest quis uti ad alios percutiendo uel mouendo aliquid extra. Quia ergo character fidei est primum in compositione mẽbri Christi (quod patet ex hoc, quod ipse a solo baptismo cum sit solus est inseparabile ab eo, ac per hoc proprius effectus baptismi, quo efficimur primo membra Christi & ecclesię) oportet quod sit ultimum in resolutione membri Christi & ecclesiæ, & cõsequenter quãdiu character manet, non desinit esse totaliter mẽbrum Christi. Et quia nũquã desinet character, ideo semper erit intra latitudinem membrorum Christi, etiam cum abscissum totaliter est per damnationem in inferno. & per hoc differet a pure infidelibus damnatis. & magis cruciabitur, iuxta sententiam apostoli ad Heb. 10. Et hæc rõ ultra tot allegata testimonia, ex propria efficacia sufficit, quia secundum ueram theologiam diuinam & humanam, attributum alicui causæ ut proprius effectus, intelligitur attribui ei secundum id quod illi causæ propriũ est, ut patet in causis naturalibus, moralibus, & ecclesiasticis inductiuẽ periret. n. aliter omnis certitudo moralis. Ex quo ergo attribuitur baptismo ut proprius effectus, quod faciat membrũ Christi, oportet ꝙ intelligatur, attributum ei secundum id quod huic sacramẽtali causæ quæ est baptismus, est proprium, quo differt a ceteris. hoc autem est pro quanto est causatiuus characteris fidei, hoc. n. solus habet, hoc solum primo & infallibiliter causat solis essentialibus requisitis ad sacramẽtum concurrentibus. Quia ergo papa factus hæreticus licet amiserit fidem etiã informẽ, quia tamen retinet sacramentum fidei etiam inuitus, quo cõstituitur primo quis in hoc, quod est esse membrum Christi, ideo

rationes & auctoritates quæ fundantur super hoc quòd fides saltem informis requiritur ad esse membrum Christi, non sunt efficaces ad inferendum ipsum non esse membrum Christi, ac per hoc ipso facto iure diuino depositum. quamuis ex defectu fidei informis optime inferatur, quòd ipse quantum est ex se, est extra latitudinem membrorum Christi, ac per hoc a membris Christi segregandus per depositionem ab officio capitis, & post per alias pœnas ab ecclesia puniendus, & denium curiæ sæculari tradendus.

Sigillatim ergo respondendo, auctoritas in primis domini, Ioan. 3. non est ad propositum, quia loquitur de iudicio æternę damnationis. quo qui non credit, iam iudicatus est. & ex parte dei, quia nouit dominus qui sunt eius, ut glo. ex Aug. sumpta exponit. & ex parte meritorũ, quia habet in se causam ęternæ damnationis, ut Chryso. dicit. & ex parte clare condemnationis in ultimo iudicio absq; examine, ut Greg. explicat.

Ad illud uero, super hanc petram. i. fidem. dicitur ꝙ sacramẽtum fidei quod remanet in hæretico, non est extra fidem, sed primus Lapis fidei ædificandę in quolibet. & propterea illo solo remanente lapide, super petram fidei remanet ecclesiastica potestas in uia ad ruinam quo ad illud suppositum. Ad id autem, ꝙ iustus ex fide uiuit. si de fide informi admittatur, dicitur quòd sumitur uiuere pro operatione uitali, & non pro esse, sicut sumitur cum dicitur, uiuere uiuentibus est esse. Ad diffinitionem fidei, fides est substantia, ac per hoc primum. dicitur quòd fides habet rationem primi sustentantis inter uirtutes pertinentes ad fideles, & ideo dicitur substantia. Cum quo stat, quòd ipsius fidei sacramentum prius sit ipso ordine generationis. Ad auctoritatẽ allatam ęst tertio sen. S. Tho. dicit, quòd doctrina. S. Tho. ibidẽ est male intellecta. & est contra istos in proposito, nam ibidem appellatione infidelium non ueniunt, nisi hi qui nunquã actu fuęrunt de ecclesia. ut patet ex hoc quòd dicit. s. respectu horũ Christus non est caput nisi in potentia, secundum. s. quòd sunt unibiles corpori. Constat nãq; quòd respectu baptizatorum hæreticorum Christus est caput, aliter quã in potentia, quia est actu caput eorum secundum sacramenta fidei. non ergo appellatione infidelium ibi ueniunt hæretici. Appellatione quàm fidelium peccatorum ibi ueniunt hæretici, qui per fidei sacramentum in uno numero obiecto fidei unionem illam quã unionẽ simpliciter autor

tor nominat, retinent, utcunq; uelint nolint. Et hoc insinuatur ex hoc quòd dicit, quòd uelut membra arida possunt nō in se, sed alijs sacramenta ministrando & docendo, hoc.n.omnia per hereticos non inquantum tales, sed inquantum aliquid ipsius capitis participant, Christus facit. Ad diffinitionem ecclesiæ dicitur, quod quia hereticus ex seipso est infidelis, ideo simpliciter est infidelis & extra ecclesiam. Cum hoc tamen stat, quòd secundum quid sit in ecclesia ad tempus ut abijcendus. sic.n.manet papa hereticus. Auctoritates omnes testamenti noui & ueteris prohibentes cōionem cum hereticis, non probant quòd sit depositus ipso facto, sed deponendus, ut non cōicemus cum eo. sic.n.sufficienter satisfit præcepto huiusmodi. Si.n.ipso facto uitādus præciperetur a deo hereticus, non dixisset apostolus ad Titum.3.ca. hereticum hominem post primam & secundam correctionē deuita. Amissio clauium apud hereticos, intelligitur quatenus heretici sunt, & quo ad licitum usum. Honoris & potestatis iurisditionalis perditio ipso facto, intelligitur quantum est ex eorum parte, & iuris dispositione, in his qui subsunt iuri humano, & sunt in ecclesiæ foro heretici. sic.n.interpretanda sunt.S.Tho. & aliorum in cōmuni loquentium dicta. Tales.n.soli sunt excōicati, & consequenter priuati ipso facto saltem per suspensionem potestatis iurisditionis, si est crimen occultum, & declarandi priuati. Papa autem ex diuini & humani iuris dispositione, & heresis propriæ exactione, est priuandus humano iudicio, a quo coniunctus est papatus huic personæ, ut dictum est. Officium quoque pastorale ab hereticis inquantum heretici sunt, Aug. adimit ipso facto, quia impossibile est ut hereticus inquantum heretici officium exercet, pascat oues Christi. Possibile tamen est, ut ille qui est hereticus, in seipso sit hereticus, & oues Christi pascat, officium petri non heretici exercens. Sed quia periculosum hoc est ualde, ideo abijciendus est ab officio pascendi oues Christi.

Illud demum quod ex glo.decreti affertur, quòd Papa cadens in heresim damnatam, incidit in excōmunicationem, falsum est, nam cum omnis excōmunicatio, quæ est ecclesiastica censura (de hac enim loquimur) sit a iure positiuo, & ius positiuum non habeat uim coactiuam in foro ecclesiastico supra papam, & excōmunicatio coactionem importet in foro ecclesiastico, oportet dicere quòd papa in nullam incidere censuram potest. Et usque adeo docent hoc doctores, ut dicat S.Tho. (in.4.sen. di.

q.1.

q.j.art.iij. ad tertium)quòd Papa non poteſt committere alicui, ꝙ excõmunicet ipſum. Et in eadem ſententia ſunt Albertus Magnus, & S. Bonauen.& D. Io.de Turre cre.de iſtis refert. Vnde audiendi non ſunt illi, qui omnia hæreticorum iura ad papã hæreticum extendunt, dum papa.n.eſt, ſoli depoſitioni ſubijcitur, depoſitus autem ſubijcitur iuri ſicut alij. Ad probationem autẽ (.ſ.quòd ſi papa fiat hæreticus, eſt minor quolibet catholico, ſũptam ex c.audiuimus xxiiij.q.j.& S.Tho.)dicendum eſt, quòd cũ hoc non poſsit intelligi de maioritate, & minoritate meritorum ſeu charitatis (quia extra propoſitum eſſet, & prælatus non ſolum per infidelitatem, ſed quodcunq; mortale crimen fit minor ſic omni exiſtente in charitate, (nec de minore, & maiore ſecundum iuriſdictionem de facto perditam) quia ſecundum illud prælatus cadens in hereſim fit minor, ſecũdum quod quilibet catholicus eſt maior, cum iſta ſint correlatiua. ſed quilibet catholicus non eſt maior ſecundum iuriſdõnẽ, nõ.n.ex hoc quòd papa, uel prælatus meus ſit hereticus, ego vnus catholicus qui nihil habeã iuriſdõnis iuriſdõnem acquiro ſuper eum, aut alios) oportet ſane uerba hæc intelligere & exponere tanto, diligentius, quanto ſuper his uerbis S. Tho. magna fabrica erigitur, & dicitur ꝙ papa eſt depoſitus ipſo facto. dicendum eſt igitur aliter.

Ad cuius euidentiam ſcito primo, quòd cum maior & minor ſint correlatiua, conſequens eſt quòd oportet proportionaliter minorem maiori referre: ut & in quo prȩlatus fit minor, ſubditus quilibet catholicus fiat maior. Scito ſecundo, quòd cum ſermo ſit intelligendus ſecundum ſubiectam materiam, & ibidem ſit ſermo de correctione prælatorum a ſubditis, manifeſte fit cõparatio inter prȩlatum & ſubditum, nõ quo ad perſonas puras, ſed conſiderato prælationis officio. Poteſt igitur tripliciter dictum hoc uerificari. Primo ut intelligatur de maiore & minore ſimpliciter. & eſt ſenſus, quòd prælatus ſi labitur in infidelitatẽ, fit minor ſimpliciter & abſolute, & quilibet ſubditus fidelis maior ſimpliciter, & abſolute. Et hoc eſt uerũ, quia quilibet catholicus abſolute, & ſine limitatione aliqua loquendo eſt in eccleſia Dei maior in fideli. Cum quo tamen ſtat, quòd prælatus donec deponatur, aut declaretur, ſit maior ſecundum quid.ſ.ſecundum poteſtatem iuriſdictionis iam prope mortem. Secundo (& ſequitur ex hoc iam dicto) poteſt intelligi, quòd etiam quo ad poteſtatem iuriſdictionis prȩlatus infidelis eſt minor, & ſub-

ditus fidelis maior quantum est ex se, quia infidelis quantū est ex se extra membra Christi est, ac per hoc quantum ex ipso pendet, inhabilis est ad potestatem iurisdictionis spiritualis. fidelis autem quilibet ex ipsa spontanea fide dispositus, est habilis ad potestatem spiritualis iurisdictionis in ecclesia Christi. Et sic prælatus ob infidelitatem fit minor secundum potestatem iurisdictionis quantum est ex se, & catholicus subditus maior. Tertio (& sequitur ex dicta expositione) potest intelligi de maiore & minore in officio defendendi fidem, ex eo nāq; quòd prælatus a fide deuiat, & subditus permanet in fide, minor fit ille in officio executiue defendendi fidem, & subditus fidelis econtra maior fit officio fidei defendendę. Et hoc totum simul iunctum satisfacit literæ decreti & intentioni sancti Tho. & concordat cum dictis suis alibi. Accusandum deniq; esse & iudicandum Petrum papam hæreticum, nihil aliud concludit, nisi quòd iudicem habet superiorem, non papa (ut isti putant) sed coniunctione papatus, & Petri in casu heresis, & conceditur concilium esse iudicem in tali casu. Et per hoc patet solutio allatorum etiam in cap. 18. pro quanto contra determinationem præsentem militat. Vnum tantum superest declarandum, an. s. sola hæresis sufficiat, an exigatur ēt incorrigibilitas seu perseuerantia obstituta in hæresi ad hoc ut deponatur papa. quod sequens c. declarabit.

QVOMODO CVM PAPA IN HAERESIM LAPSO *parato corrigi, agendum est.* *Cap.* 23.

AD ABSOLVENDVM demum motam hanc difficultatē de potestate concilij ad depositionē Papę in casu hęresis, scire conuenit quòd duæ sunt hæ extremæ opiniones. Altera ꝙ Papa propter crimen heresis etiam confessum, non potest deponi. Et fundatur hæc opinio primo super facto Marcellini, & responsione episcoporum, ut patet in xxj. dist. c. nunc autem. & sunt uerba Nicolai papæ. Cum. n. idolatrię crimen incurrisset Papa; congregatum concilium uidens eum compunctum corde, dixit: Tu teipsum, iudica, prima sedes non iudicabitur a quoq;. & sic non depositus Martyr effectus est post modum. Secundo super glo. in d. c. & in c. si papa. di. xl. & multis Doctoribus.

Tertiò super ratione: quia cum hæreticus nomen sit uitij, & papa hæreticus sit deponendus, tādiu deponendus uenit quandiu

diu hæreticus seu a fide deuius est, ac per hoc, si penitet eũ, sui delicti, non est amplius hæreticus aut a fide deuius, & consequẽter non subiacet amplius pœne depositionis. Et firmatur hæc ratio super dictis Gratiani in decretis. 36. q. 1. de matrimonio inter raptorem & raptã, ut patet ibi in ca. nullus. Quarto super auctoritate Apostoli ad Titum. 3. hæreticum hominem post unã & secũdam correctionem deuita. Si enim deuitatio non sequitur crimẽ hæresis, sed secundam correctionem, a fortiori nec depositio. Altera opinio est, quòd papa propter crimen hæresis potest deponi. Et hæc fundatur super hoc, quòd reus est & obnoxius pœnæ criminis quicunque crimen illud admisit, etiam si nõ perseueret in illo, ut patet inductiuè. Qui. n. semel homicidium commisit, reus est pœnæ homicidij & simile est de adulterio, simonia, furto, blasphemia, periurio, & sic de aliis, sed papa propter hæresis crimen pœnę depositionis reus est, ut communiter doctores ex ca. si papa 40. di. moti, dicunt. Non ergo exigitur perseuerantia in hæresi, sed sicut si pro adulterio deponendus foret, sufficeret ipsum adulterium commisisse, ita quia pro deuiatione a fide deponendus dicitur, sufficit quòd hæresim incurrerit. Et confirmatur. Quia alij prælati (puta episcopi) ex hoc solo quòd damnatam incurrũt hæresim, in foro ecclesię sunt ipso facto excommunicati, & possunt declarari priuati constito de crimine. Et confirmatur iterũ. Quia si papa paratus corrigi non potest deponi, cũ centies in ueritate posit relabi & resurgere, sequeretur quòd cẽties relapsus, paratus tamen corrigi, non posset deponi, quod est fatuum.

LICET autem hæ duæ opiniones contrariæ uideantur, ad mentionem tamen expositæ discordes non inueniuntur. Vnde media rationabilisque sententia est, quòd papa hæreticus post duas monitiones deponendus est, ipso Paulo apostolo hoc diffiniente ad Titum. 3. hæreticum hominem post unam & secũdam correctionem deuita. Et rationem quare non amplius sustinendus est asignans, subdit, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est. Vbi glo. interlinearis in uerbo subuersus, exponit perditus, & in uerbo eiusmodi, exponit incorrigibilis. Et est intentio literæ, quòd quia iudicium humanum datur secundum id quod ut in pluribus inuenitur & secundum communem cursum, qui ab ea quam ut ueram sponte professus est fide declinat primo, & post unam correctionem secundo, & post secundam correctionem

tertio, abiiciendus tanquam incorrigibiliter censetur: idcirco papa hæreticus post primam & secūdam monitionem delinquēs in fide, deuitandus est depositione. Non enim possunt fideles euitare papam manentem, cum ex eo post dominum Iesum omniū salus dependeat, ut dicitur 40. dist. si papa. Quia ergo Apostolus hæreticum hominem post duas correctiones delinquentem in fide, non sustinendum sed deuitandum præcepit, consequens est primo quòd quantuncunq; papa hæreticus post duas correctiones relapsus paratus sit corrigi, non solum potest sed debet deponi. Et merito, ne in infinitum protrahatur humanum iudicium, sed limite aliquo terminetur. Rationabilis autem terminus est statutus trinus error cum trina monitione, prima in professione fidei, & duabus post deuiationem subiunctis, ita quòd tertius error tres monitiones contempsit. sicut hæretici relapsi post professionem, excommunicationem & adiurationem, non amplius admittuntur ab ecclesia. Consequens secūdo est, quòd ante correctiones non est deponendus papa hæreticus, qui propter hæresim non est excommunicatus, sed excommunicandus depositione. Et propterea in eo ad literam seruādum est præceptum Apostoli de duplici correctione, quod in aliis inferioribus propter adiunctam excommunicationem latæ sententię quam tulit ecclesia contra hæreticos, non seruatur. Alij enim quia excommunicati sunt post ab ecclesia statim euitantur, papa autem quia excommunicatus non est, sicut nec excommunicati erant homines hæretici tempore Pauli apostoli, sed excōmunicandi, post duas correctiones deuitandus est. Duplex enim correctio a Paulo concessa non abstulit potestatem humano iuri rigorosius procedendi contra hæreticos subiectos humano iuri, sicut concedendo ius diuinū matrimonium cum sorore consobrina, non ademit potestatem ecclesiæ inhibendi tale coniugium, sed ostendit quid secluso humano iure seruādum est. Propter quod quia papa (ut patebit) solo diuino iure iudicandus deponendusquè uenit, quia illi soli subiectus est, ideo in eo solo apostolica regula seruanda remansit, cæteris propter hæresim ab ecclesia excommunicatis.

Nec obstat dictis, si dicatur quòd hæretici etiam tēpore Pauli erant excommunicati ab ipso ad Gal. 1. Cum enim sententia illa se extendat ad superiores scilicet Angelos de cœlo, & constet quòd nullus superiorem sub quacunque conditione excom

municare potest: consequens est quòd non fuit excommunica tio, sed denunciatio, quòd a deo anathema fieret quicunq; etiā angelus de cœlo, si contra Euangelium Christi prædicaret. Et hoc est denunciare separatum esse a deo, & dignum excommunicatione ecclesiæ quo ad homines. Et confirmatur ex. S. Th. ibidem dicente, quòd sententia illa ab apostolo data est auctoritate Euangelicæ doctrinæ promulgata Ioan. 10. c. sermo quem sum locutus, ille iudicabit eum in nouissimo die. Constat nāq; quòd excommunicandos ab ecclesia non excommunicatos ab eadem constituit sermo diuinus contradicens sibi.

AD rationes igitur primæ opinionis, vnico uerbo dicitur q papa post secundam correctionem deuius a fide, non admittitur ut paratus corrigi apud humanum iudicium, sed tanquam incorrigibilis hereticus censetur. Quamquā apud deum semper possit corrigi, & forte in ueritate sit correctus. Ad rationes autem alterius opinionis dicitur, quòd ubi est speciale ius, non oportet ex communi procedere iure. In hac autē causa est speciale ius apostoli, & satis rationi consonum, & stilo ecclesiæ in excommunicandis personis præsertim in persona tam excellentis dignitatis. De alijs autem episcopis iam reddita est ratio dissimilitudinis, quia. s. non sunt in illo statu in quo erant tempore apostoli, propter superuenientem ecclesiæ excommunicationem, qua redditi sunt statim uitandi, & propterea possunt declarari priuati. propter tamen dignitate eorum & fragilitatem humanam unica correctio declarationem si præcederet, misericordis equitatis esset. Faciunt ad prædicta quæ scripsit diuus Th. in ij. ij. q. xj. art. iij. & iiij. de receptione hereticorum ab ecclesia.

OPINIO, QVOD PAPA PROPTER INCORRIGIBILITETEM IN *quocunque notoiro crimine scandalizante ecclesiam, subijcitur concilij potestati, ita quòd potest ab eo deponi.* C. 24.

EXPEDITA resolutione Papæ in casu heresis ad concilium, oportet in alijs extra heresim casibus decernere, si Papa subest potestati depositiue concilii in aliquo casu quàm in casu heresis. Et nunc quidem uere casus qui peccata sunt, tractādi sunt, postmodum de euentuum casibus sermo erit. Est igitur nonnullorum opinio, quòd papa extra casum heresis deponi a generali cōcilio potest. Probaturq; hoc ex septē capitibus.

Primo ex ratione criminis papa poteſt deponi pro hereſis crimine,ergo & pro aliquo alio.Probatur ſequela.tum primo,quia aut hoc eſt ſingulare in hereſi ratione grauitatis.& hoc non,quia odium dei eſt grauius peccatū hereſi, ut patet in ſecunda ſecūdæ S. Tho.q.34.ar.2. Aut ratione damni eccleſiæ. & hoc non, quia plus nocet eccleſiæ papa omnia beneficia uendens,prauos extollens,bonos deprimens, tyrannidem exercens,uitiorum lux, blaſphemiæ, auaritiæ &c. notoriȩ plenus, quàm ſi pertinaciter ſentiens, ꝙ ſpiritusſanctus non procedat a filio, rectè alias uiuat, & hanc hereſim ſolus teneat. Tum ſecundo, quia in ſacra ſcriptura non inuenitur ſpecifice expreſſum, quòd papa poſsit deponi magis pro hereſi quā alio crimine, relictum eſt ergo interpretationi doctorum & canonum. Et ſicut Bonifacius Papa & martyr expreſſit caſum hereſis di.40.ſi papa,ita poteſt caſus incorrigibilis notorij & ſcandalizantis eccleſiam criminis,excipi,ut glo.ibidem ſentit. Tum tertio,quia qui poteſt in maius, poteſt in minus,ut dicitur in ca.ex parte,extra de decimis. ſed concilium poteſt iudicare papam de maiori crimine, puta hereſis.ergo de minore.ſ.ſymonia notoria &c. Secundo ex parte abuſus poteſtatis.conſtat nāq; quòd gladius de manu furioſi poteſt & debet auferri,inuaſor & occiſor corporum detineri,& pertinax in propoſito in cuſtodiam poni, quanto magis ſeuiens in perditionē animarum papa gladio papalis poteſtatis abutens, illo priuandus eſt, tanquā phreneticus & ebrius ſuarum paſsionum cōmotione actus. Cogit.n.alios male facere ſuo exemplo,ut apoſtolus teſtatur ád Gal.2. dicens ad Petrum,cogis gentes iudaizare, glo.conuerſationis exemplo. Et confirmatur.quia ſi papa uellet mulierem opprimere uel occidere, poſſet & repelli & percuti & occidi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, a fortiori ſi opprimit eccleſiam,ſi occidit animas, reſiſtendum primo, & ſi opus eſt occidendus depoſitione eſt. Et confirmatur hoc ex ratione finis poteſtatis acceptæ, quia.ſ.ad ædificationem eſt,& non eſt in deſtructionem. Tertio ex parte obligationis ipſius papȩ.tenetur enim papa ad purgationem ſui cum infamis eſt de crimine ſcandaloſo, ut patet de Damaſo accuſato de adulterio, teſte Hiero. de uiris illu.& de Sixto,Leone,& Symacho.2.q.7. Et probatur ratione,quia tenetur paſcere oues ſuas.& conſtat quòd ſcandalū depaſcit oues. Purgationi autem ſubſtitutus ſi deficit, iudicādus eſt.igitur papa poteſt ab eccleſia de alio crimine quā de hereſi iudicari.

dicari. Et confirmatur auctoritate Grego. in ca. si quis. 2. q. 7. dicentis. Siquis super hoc nos redarguere uoluerit, uel extra au ctoritatem facere nos contenderit, ueniat ad sedem apostolicā, ut ibi ante confessionem beati Petri, mecum iustè disceptet, qua tenus unus ibi ex nobis suscipiat sententiam suam. Nec hoc in quit Ierson ex humilitate, sed ex debito Gregorius fecit.

Quarto ex parte ecclesiæ. Quia sicut papa sponsus potest da re libellum repudij ecclesiæ suæ sponsę renunciando papatui, ita econtra (cum non debeant quo ad hoc impari iure censeri) & potior adducitur ratio pro ipsa contra sponsum, uel quia prosti tuere eam quærit quantum in se est, uel tyrannide seua laniando eam, uel placitando bona sua dissipando, uel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Et confirmatur hoc. Quia ad cōmu nitatem totam spectant principis correctio uel destitutio apud Aristo. in. 5. politicę, si inemendabilis perseueret. Et hęc potestas inauferibilis uel inabdicabilis est a cōmunitate libera, quanto magis hoc habebit ecclesia? Quinto ex parte diuinæ prouidē tię. Cum enim dei perfecta sint opera, & ecclesia opus ipsius im mediate sit (multo magis quā synagoga, cui tamen dixit. quid ultra tibi debui facere, & non feci? Esaiæ. 5.) oportet ecclesiæ re gimini & corpori perfectæ prouisum esse. Constat autem quòd perfectum non est corpus, quod nō potest putrida a se membra abijcere uel sanare. sed cum totius damno euidenter emergente oportet sustinere. Et similiter non est perfectè dispositum regi men, quod non potest cōmune bonum & necessarium conserua re, abijciendo manifeste & notorie cōmune bonum usurpātes, diripientes &c. Hæc enim omnia papa notorie scandalizans, si monia, luxuria, blasphemijs, tyrannide, promotione indigno rum &c. manifestè facit contra bonum charitatis cōmune ecclę siæ militantis & triumphantis bonum. Sexto ex parte decreto rum & gestorum concilij Constantien. & Basilien. In concilio nāq; Constantien. depositus fuit Ioan. 23. quem ipsi tenebant ut uerum Papam, & Benedictus. xiij. de consensu suæ obedientiæ. In concilio quoq; Basilien. depositus fuit Eug. iiij. & creatus Fœlix. multiq; olim depositi sunt pontifices nō propter heresim, ut Fœ lix, Stephanus, Christophorus, Benedictus, Greg. 6. Ioā. 12. Et confirmatur locus istę auctoritatæ multorum doctorum sentien tium idem quod cōcilia ista, ut patet de glo. in ca. si papa. di. 40. & sequacibus. Septimo ex parte naturæ iudicij humani. s. secū

dum

dum allegata & probata uel præsumpta iudicantis. Quo fit, ut ratione præsumptę heresis papa non hereticus deponi possit in multis casibus. s. dum præsumitur hereticus propter contumaciam, iuxta ca. cum contumacia, de here. li. 6. Vel per mansionem in excōmunicatione per annum deficiente purgatione, iuxta ca. excōmunicamus, extra de here. Vel dum timore mortis actus hereticales exterius tantum fecit, ut de Marcellino dicitur. Vel simili timore uerba hereticalia absq; intentione protulit, uel si per falsos testes conuincitur hereticus relapsus, uel dum suam excusationem in causa fidei probare non potuit. Ex his & similibus creditur papam in casibus pluribus incorrigibilibus subesse iudicio concilij generalis sic ut possit ab ipso deponi.

DISCVSSIO ET DETERMINATIO, AD QVAM LEGEM *spectet determinare casus in quibus iudicio concilij subest Papa.* Cap. 25.

DICTAE AVTEM opinioni cōmunis sententia doctorū theologorum & canonistarum antiquorum obuiat, tenēs quòd si sit catholicus papa, non iudicatur a quocunq; iudice in terris, iuxta c. si papa. 40. di. & ca. oues. 2. q. 7. Et quoniā hinc inde multum disputatur, oportet primo uidere in quo consistit hæc difficultas, unde. s. questionis ueritas pendet, quo ignorato ueritas huius latet, & quo cognito ueritas liquet. Nisi enim hoc sciatur, continget quidem aliquem uerum assequi, sed nescire se uerum assecutum. Sciendum est igitur, quòd tota difficultas pendet ex hoc, an iure diuino uel humano papa in casu criminis (quodcunq; sit illud) deponendus sit potestate ecclesiæ seu concilij. Si .n. lex diuina exigitur ad faciendam exceptionem hanc .s. quòd in casu criminis heresis possit ab ecclesia deponi, lex quoque diuina exigitur, statuens quòd propter tale crimen, puta notorium scandalizans & pertinax deponi possit. Et si solum ius humanum sufficit ad statuendum quòd papa in casu heresis est deponendus, solum quoque ius humanum sat est ad statuendum quòd papa propter notorium crimen deponatur. Dicentes quòd ius diuinum exigitur, fundant se super hoc, quòd licet Petrus potestate ministeriali ecclesiæ sit iunctus papatui, factus iam papa diuina lege est supra ecclesiam & concilium, ac per hæc nulla inferiori lege potest subijci (nec simpliciter,

nec

nec in casu) concilio, aut ecclesiæ, sed sola diuina lege. Et quia lex diuina in solo casu heresis subdit illum potestati ecclesię ministeriali, uel ut alijs placet auctoritatiue; ideo in solo hoc casu iudicari deponiq; potest. Quod.n.casus heresis inueniatur exceptus in lege diuina, patet ex multis inductis testibus sacræ scripturæ, expressè separationem ab heretico quocunq; indicātibus. Quòd autem solus sit exceptus, patet ex sententia Saluatoris Matth. 23. super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisei, omnia ergo quæcunque dixerint facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Vbi dominus aperte statuit subditos debere audire prælatos malę uitæ, & bonæ doctrinæ. Constat autem quòd doctrina ad fidem spectat, uita autem & opera ad malos mores aliorum criminum: secundum igitur sententiā domini audiendi sunt fideles prælati, quàmuis mali. Confirmatur quoque eadem sententia a Petro apostolo in prima epistola ij. cap. Obedite præpositis uestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Dicentes autem, quòd ius diuinum nō exigitur, sed Deus relinquit hoc in manu consilij humani; sicut & multa alia; fundant se super hoc, q̄ opus pure humanum, secūdum se, nec bonum, nec malum moraliter, subiacet plenariæ legi humanæ. coniunctio autem inter Petrum, & papatū est opus pure humanum, quandoq; bonum, quandoq; malum. ergo subiacet plenariæ legi humanæ: ac per hoc lex humana disponere potest de illa coniunctione, q̄ quando est bona perseueret, quā do mala dissoluatur. Dixi opus pure humanum, ad differentiā operationum sacramentalium, quæ non sunt pure humanæ. In coniunctione autem Petri cum papatu sola humana actio interuenit coniungens electionis actu vtrunq;, supponendo materiā formæ: ut patet ex hoc, q̄ si cessat a papatu (ut Celestinus fecit) nihil diuini operis in se restat, sicut restat in episcopo renuncian te, & in sacerdote degradato potestas ordinis a deo data. sine pęnitentia nāque sunt dona dei: ut dicitur ad Ro. xj. Dixi secun dum se, nec bonum, nec malum moraliter, ad differentiam actuū secundum se bonorum, ut credere, amareq̀ue Deum, &c. & secū dum se malorum, ut blasphemia Dei, mendacium, & similium: hæc.n. naturali diuinoq; iure regulantur. Coniunctio autem Petri cum papatu quandoq; bona est: ut patet in tot sanctis Rom. Pontificibus & quandoq; mala, ut patet in multis eisdem scelera tis, quos vtinam nescire licuisset. Et confirmatur. Quia potestas

ministerialis existens in ecclesia ad cõiunctionẽ Petri & papatus regulatur humana lege, ut patet de actu electionis papæ, qui irritus, & nullus ab humana lege si non seruatur, redditur. Vnde sicut Bonifacius Papa & Martyr promulgauit, ꝙ in casu heresis potest papa iudicari & deponi, potest alia lege humana promulgari ꝙ pro simonia in beneficio poßit deponi, & sic de aliis maximis excesßibus, obseruata consonantia legis humanæ ad naturalem, & diuinam. Et etiam sine noua lege (quia in defectu manifesto humanæ legis, locum habent gnome, & epijkia) posset papa ex notorio excessu scandaloso & incorrigibili deponi, sicut pro heresi.

SIQVIS autem diligentius perspiciat, uidebit quòd diuina lege opus est statuente casus depositionis Papæ, nec ulla lege humana potest, aut potuit hoc fieri. Quod probatur ex ratione humanæ legis breuißimæ, & clarißimæ sic. Omnis lex ecclesiastica potest tolli & mutari a papa: ergo nulla lege humana potest contra papam inuitum procedi. Antecedens cõstat ex eo, quòd est dominus iuris positiui. Consequentia est euidens: quia ex quo potest tollere legem, & non uult subire ipsam, tollet eam: & sic nihil contra eum fiet.

Et licet hęc ratio sufficiat, quia Papa diuina auctoritate hoc potest, & nulla deuolutione, interceptione, inchoatione, appellatione, suspensione, aut quouis alio termino potestas sua minuitur, aut impeditur in his, quæ sunt positiui iuris, attamen ex propriis rationibus potestatis ecclesiasticæ concurrentis ad propositum idem ostenditur. Quadruplex nanque potestas hic nominatur. Primo potestas papalis. de qua cum par in parem non habeat imperium, non oportet solicitari.

Secundo potestas ecclesiæ seu concilii vniuersalis supra Papã simpliciter, & absolutæ, Et hæc nihil est, sed chimera. unde nullum effectum in mille quingentis annis in ecclesia Dei habuit. omnia enim iura positiua subiecta sunt, & fuerunt semper papę, uelit nolit concilium; instante hoc vniuersalis ecclesię per orbem diffusæ obseruantia.

Tertio potestas auctoritatiua concilii supra Papam in casu criminis, puta heresis. Et hæc potestas licet minus rationabiliter poni uideatur, uerum tamen attestatur proposito, quia ponentes eam, in solo casu a diuina lege statuto dicunt eã posse exire in actum.

Quarto est potestas ministerialis ecclesiæ, q̃ habet pro obiecto coniunctionem personæ cum papatu. Et hic etiam attestatur proposito, quia cum ipsa non se directè extendat supra coniunctionem Petri & papatus in facto esse, sed in fieri (quia nihil potest supra coniunctum. s. Petrum papam, vtpote superiorem iam nominatum, ac per hoc ministerialiter constitutum) consequẽs est, quòd ad ipsam non spectat determinare dispositiones coniũcti scilicet Petri papæ disponentes ad dissolutionem coniunctionis. nam dispositiones tales adueniunt coniuncto iam facto: ad quod non se extendit potestas ista. Et propterea nisi diuino aut naturali iure dispositio Petri papæ ad dissolutionem determinata sit, potestas ista non potest exire in actum dissoluendi, utpote non habens patiens dispositum, nec potens per seipsam illud disponere, determinando quæ est dispositio subiciens subiectum scilicet Petrum papam tali potestati. Et ex hac constitutione scilicet quòd lex diuina exigitur statuens casum depositionis papæ, patet quam ignoranter procedant quotquot ex ui canonici iuris procedunt ad ostendendum, quòd papa ex crimine notorio scandaloso & incorrigibili deponi potest, ut glo. super cap. si papa. di. 40. & super cap. Agatius. 24. q. 1. nesciens quid dicat, errauit cum tota multitudine sequacium. Oportet namq; ex iure diuino casus inuenire subiectionis papæ ad concilium, ex quo iure diuino ipso absente est supra concilium, & uniuersam ecclesiæ communitatem. Et hic iacet lepus, nõ est hac illacque amplius uagandum. Vnde ipsamet glo. a ueritate inducta, dicit quòd papa non potest statuere, quòd non possit iudicari de hæresi. hoc enim ideo uerum est, quia diuino non humano iure iudiciũ hoc in casu hęresis statutum est: nam iuris humani papa est dominus.

RATIO autem in oppositum allata non concludit oppositum, quoniam opus humanum indifferens subiici humanæ legi, potest intelligi dupliciter. primo quo ad modum fiendi, & sic est uerum. Secundo quo ad ipsum fieri secundum suam substãtiam. Et sic est falsa, ut patet de abscisione ligni uel ferri, præcidi siquidem potest bene & male moraliter, & lege humana determinari potest, quando bene & quando male, sed non spectat ad humanam legem, si potest uel non potest præcidi, sed ad naturalem potentiam præcisoris, & dispositionem subiecti cedendi. Vnde in proposito humanę legi subijcitur modus actionis, quo coniunctio Petri & papatus fit aut dissoluitur, sed si potestas ista potest

exire in actum, ex altiori pendet principio. Nam non potest exire in actum coniunctionis nisi uacante sede, & tunc in subiectum dispositum scilicet Christianum uoluntarium. Depositionis uero nisi disposito subiecto, aut per recessum a Christianitate, aut per recessum a uolontario, ut patet de papa hæretico uel renunciante. Propter quod, non potest lex humana statuere, quòd coniunctio papatus & Petri quando est mala propter alia crimina ab hæresi, dissoluatur. nō potest dico efficaciter statuere coactiue, quia papa criminosus posset illam legem tollere, cum par in parem non habeat imperium.

QVOT CASVS CRIMINVM SINT DIVINA LEGE STATVTI, *ut possit concilium papam deponere.* Cap. 26.

QVIA igitur ad solam diuinam legem spectat determinare casus depositionis papę, in ipsa & ex ipsa scrutari oportet, quot sint casus depositionis papę. Et ut probabitur, solus casus heresis est a lege diuina, in quo papa potest deponi ab ecclesia, siue auctoritatiua, siue ministeriali potestate, non curando in proposito.

Probatur hoc tripliciter, scilicet, ratione ex principiis theologicis certis, & auctoritate sacrorum doctorum, & diffinitione sacræ scripturę.

Ratio est ista. Constat quòd secluso papa, in ecclesia est potestas electiua papę, seu applicatiua papatus ad Petrum, quæ quomodocunque uocetur, habet pro obiecto coniunctionem personæ & papatus in fieri & in dissolui, ut patet de actu electionis quo Petrus fit papa, & de actu depositionis, quo Petrus papa hæreticus incorrigibilis deponitur. Constat etiam quòd ad hoc quòd Petrus fiat papa efficaciter ita quòd sit papa, & consequenter ad hoc quòd potestas illa ecclesiæ exerceat actum constructiuū coniunctionis efficaciter inter Petrum & papatum, aliquæ dispositiones requiruntur in Petro de necessitate simpliciter, aliqua ad bene esse. Requisitæ de necessitate simpliciter sunt duæ, scilicet esse uoluntarium, & esse Christianum. nunquam enim aliquis quantuncunque electus est papa, nisi consentiat, & similiter non est papa, nisi sit membrum Christi. Secunda dispositio exigitur de

iure

iure diuino, & quia ordo gratiæ præsupponit ordinem naturę, prima dispositio exigitur de iure naturæ. Requisitæ autem dispositiones ad bene esse, sunt boni mores, scientia ecclesiastica, charitas, experientia regiminis, & huiusmodi, sine his enim Petrus si est electus & acceptat est papa, quamuis ineptus & malus. Constat etiam, quòd quia facilius est destruere quam construere, duabus simul requisitis necessario conditionibus ad constructioné, quæcunque earum deficiat, dissolui potest coniunctio ista. Namque si Petrus non uult amplius esse papa, potest renunciatione dissolui coniunctio ista, & dissoluitur dum acceptatur renunciatio, ut patet de Cœlestino. Et rursus si Petrus papa labatur in hæresim incorrigibiliter, potest deponi inuitus, ex quo desiit quantum est ex se esse membrum Christi, sicut in primo casu desijt esse uoluntarius. Hæc omnia certa sunt, ex quibus necessario sequitur, ut deficientibus in Petro conditionibus, quæ non sunt necessariæ simpliciter, sed ad bene esse, non propterea fit dispositus, ut posit dissolui coniunctio ista, ut posit attingi Petrus a potestate depositiua. Nam dispositiones illæ quæ non requiruntur in subiecto ad hoc quòd uniatur efficaciter formæ, sed tam cum eis, quàm cum suis contrariis uniri potest formæ & constituere compositum, non sunt tales, ut earum contrariæ pertineant ad dissolutionem compositi. Quod est dicere, quòd si Petrus sceleratissimus & criminosissimus, & scandalosus, & incorrigibilis, Christianus tamen & consentiens, fit & est papa si eligatur, oportet quòd huiusmodi crimina superuenientia Petro iam papę, aut perseuerantia, etsi reddant ipsum malum papam & non solum malum hominem ut prius, non tamen reddunt ipsum deponibilem. Ex quo enim ad bene esse papæ requiritur bonitas, & non ad esse papam, consequens est, quòd malitia ad male esse papę, & non ad non esse papę spectet. ac per hoc sicut non spectat bonitas ad esse, quod est effectus electionis, ita malitia non spectat ad non esse, quod est effectus depositionis.

Ex his patet ratio, & potest formari breuiter sic. Sola contraria côditionibus necessario requisitis ad esse papæ, reddũt papã deponibilẽ, sed inter crimina sola infidelitas contrariatur côditionibus necessario requisitis ad esse papæ, ergo sola infidelitas ĩter crimina reddit papã deponibilẽ. prima propõ patet ex hoc, ꝙ depositio est non esse papę, & unumquodque in suo esse pseuerat,

rat, si contrarium non superuenit. Nunquã.n. homo desineret esse, si non superueniret aliquod contrarium illi esse, & simile est in alis. secundã autem propositio probata est, quia cætera uitia cõtrariantur conditionibus requisitis ad bene esse papæ. Hanc rationem uellẽ in statera poni, & non friuolas & apparentes, per accidentia uagantes. Hæc de primo.

AVTORITATES sanctorum sunt in primis Anacleti Papæ & martyris, & habetur. 79. dist. ca. electionem. Si nãq; papa posset propter crimina deponi, sicut alij episcopi, frustra dixisset, quòd electionem summorum pontificum sibi dominus reseruauit. Deinde Bonifacij papæ & martyris, & habetur. 40. di. ca. si papa. Nisi inquit a fide deuiauerit papa, redarguere eius culpas mortalium nullus præsumit. Vbi solum infidelitatis crimen subijcit iudici, a quo papa potest iudicari, quem cõstat esse uniuersalem ecclesiam, seu concilium generale. ab eodem.n. excipit a quo negat redarguendum fore. Sanctus quoq; Euseb. papa (& habetur. 2. q. 7. in. c. oues) dicit. Oues quæ suo pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere nisi a fide exorbitauerit, nec ullatenus accusare possunt. Secundus Anterius papa & martyr (& habetur. 9. q. 3. in ca. facta) inquit. Facta subditorum iudicantur a nobis, nostra uero iudicantur a domino. Et quòd loquatur de factis peccatorum, patet ex eo quod subdit. deteriores sunt, qui uitam moresq; bonorum corrumpunt, his qui substantiam aliorum prædiaq; diripiunt. Secundus Beda (& habetur 9. q. 3. ca. episcopo) tractans de iudicio peccatorum ait. Sola enim Ro. ecclesia sua auctoritate ualet iudicare de omnibus, de ea uero nulli iudicare permittitur. Sanctus Bernar. Inno. 2. scribens inquit. Quis faciet mihi iustitiam de uobis? si haberem iudicem ad quem uos trahere possem, iam nunc ostenderem uobis ut parturiens loquor quid mihi iminet. extat quidem tribunal Christi, sed absit ut ad illud appellem uos. Sanctus Tho. in 4. sen. di. 19. q. 2. ar. 2. q. 3. ad secundũ dicit. Quamuis prælati sint corripiendi a subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est ad superiorem denunciando, uel si non habet superiorem, ad deum, ut eum emendet, aut de medio tollat. Et ibidem ad primum exceperat crimen infidelitatis, cum dicit. prelatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur, & subditus fidelis maior. Et licet hæ auctoritates deberent sufficere ad promulgationem diuini iuris (quia tot sanctorum sunt, & spiritusancto

inspirati

inspirati locuti sunt sancti Dei homines, ut dicitur secundæ Petri. 1. ca.) ad maiorem tamen firmitatem debilium adsunt Simachus Papa in ca. aliorum. 93. q. dicēs. Aliorum hominum causas deus uoluit per homines terminare, sed sedis istius præsulem suo sine questione reseruauit arbitrio. Et quòd loquatur de causis peccatorum, patet ex eo quod subdit dicens. uoluit beati Petri apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiam. Et excludens obiectionem subdit. nolite æstimare eas animas inquisitionis non habere formidinem, quas Deus præ ceteris suo reseruauit examini &c. Innocen. iij. in sermone cōsecrationis papæ dicit. Intantum mihi fides est necessaria, ut cum de cæteris peccatis deum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide cōmittitur, possem ab ecclesia iudicari. Bonifa. quoq; 8. in extrauaganti. unam sanctam, dicit. Si deuiat suprema potestas, a solo deo iudicatur, ut superius allegatum est. Albertus Mag. Pet. de Pal. Herueus, Vlricus, Aug. de Anch. & alij quos refert dominus Ioan. de Tur. Crema. in lib. de ecclesia. hanc uiā secuti sunt. quibus magis credendum est quàm canonistis multis, ad quos non spectat, nisi secundario de iuris diuini rebus tractare, sicut de usura, sacramentis ecclesię, heresibus & huiusmodi. Hæc de secundo.

Divina scriptura solum casum heresis aperte excipit, dum (ut supra allatum est) hereticos separandos ab ecclesia instituit, & sanę doctrinæ prælatos, malorum autem morum tolerandos constituit. Hoc enim nihil aliud est, quàm differentię pro solo heresis criminæ deponendum instituimus quantum est ex diuina lege prælatum, ac per hoc iuri humano reliquas depositionis causas dimittimus quo ad subditos iuri humano, de non subditis. n. nullus statuit. Et de heretici quidem separatione extāt textus Pauli Apostoli & Ioan. Euangelistæ iam dicti. De toleratione uero, imo obedientia & audientia malorum prælatorum fideliū, extat sententia domini Matth. xxiij. super cathedram Moysi &c. & Petri Apostoli. obedite prepositis discolis. qui iam inducti sunt. Et nunc adiungitur sententia domini Luc. 12. manifestans iudicium papæ mali in seipsum & in proximum, agendum per ipsum dominum, dum respondens Petro ait, quisputas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiā suam &c. Et subdit de eodem, quòd si dixerit seruus ille in corde suo.

de suo. moram facit dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora quam nescit, & diuidet eum, partemq; illius cum infidelibus ponet. Vbi notanda est primo, quòd ad literam loquitur de seruo constituto super familiam.i.ecclesiam, ut glo. interlinearis exponit. Quod patet ex officio.s.ut det illi in tempore tritici mẽsuram, & ex pręmio. beatus ille seruus, quoniam super omnia bona sua constituet eum. In quo apparet differentia (ut glo. dicit) inter subditum & prælatum benefacientem, quia subdito promittitur quòd præcinget se dominus, & transiens ministrabit illi, prælato uero quòd super omnia bona sua est constituendus. Notandum est secundo, quod distinguit manifeste crimina tria, in seipsum, in proximum, & in deum, ac per hoc comprehendit omnia. In seipsum per gulam & ebrietatem, scriptum est enim propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet uitam, Ecclesiastici.37. In proximum, per percussionem suæ curæ cõmissorum utriusq; sexus, In deum, per infidelitatem. Et non describit dispensatorem criminosum in deum per infidelitatem, sed in seipsum & in proximum. & dicit seruum talem confidentem in mora domini, iudicandum a domino per mortem, qua diuiditur à familia, & per damnationem æternam cum infidelibus. Hæc manifesta sunt in litera, & clarè ostenditur quòd diximus.s. quòd quantum est ex lege diuina, prælati de criminibus ceteris a domino iudicandi statuuntur, de infidelitate autem, ecclesiæ iudicio dimissi intelliguntur, ac per hoc, si alij prælati non subessent iuri humano, quod superapposuit sui subditis alias causas criminum iudicandas, ab ecclesia non essent iudicandi & deponendi, nisi pro infidelitate sicut papa, qui quia soli diuino iuri subest, in casibus a diuino iure toleratis, nulli subijcitur. Quia enim sola negatio statuti casus a iure diuino quo ad papam soli diuino iuri subiectum, sufficit ad constituendam legem, quòd non potest iudicari aut deponi, multo magis expressa toleratio casuum in iure diuino constituit ipsum tolerandum, alios autem tolerabiles, si a superueniẽte iure positiuo, cui substituti ex diuina lege sunt, permittantur.

Vnde inter papam & alios quo ad casum criminis iudicandi & puniendi ab ecclesia, tantum interest, quòd in papa locus ab auctoritate diuini iuris negatiuæ efficacissimus est, quia soli illi iuri subiectus est. In aliis aũt, nec toleratio, nec negatio diui-

ne legis efficax eſt: quia quod ſuperius ius nõ ſtatuit, aut tolerat, inferius ius põt, & ſtatuere, & punire. ut manifeſte patet in contrahendis matrimonijs, & adminiſtratione ſacramentorum: in quibus multa permiſſa ex diuino iure, prohibita ſunt ab eccleſia in ſibi ſubſiditis. Et ſi abſq; uelamine aliquo obumbrante, ſententia domini perſpiciatur, apparebit quòd propter prælatum qui nullum habet ſupra ſe niſi dominum (utpote conſtitutũ ſuper reliqua familia domini abſentis) promulgata eſt hæc ſententia. Quod etiam ex eo habetur, quòd conſtitutus ſuper familiam abſentis domini, neminem timere deſcribitur, niſi domini aduentum; in cuius mora confiſus tanquàm neminem habens ſupra ſe peccare cæpit. De prælatis nanq; habentibus ſuperiorẽ præſentem in hac uita, non conſonat, ꝙ in ſola mora domini cõfidant, quia habent ſtatim ſuperiorem iudicem, quem timeant ultorem. Non nihil quoq; ad hoc confert, quòd Petro futuro Papę hoc dominus dicit. Ex his auctoritatibus perſpicaciter intellectis, habetur quòd pro reliquis criminibus manifeſtis nõ eſt Papa deponendus. Docens.n.dominus ſecundum opera malorum prælatorum nolite facere, proculdubio de notis operibus loquebatur: de quibus dixit, a fructibus eorum cognoſcetis eos. Ne autem propter adiunctam ſcandali rationem deponendum putares, docuit Matth. 18. ꝙ pes, manus, uel oculus, non tamen caput ſcandalizans amputaretur. inſtruens ad literam, ꝙ ſi aliquod nobis opportunum (ut manus, pes uel oculus) ſcandalizans occurreret, præcidendum eſſet. ſecus autem de organo habente officium capitis ſentiebat, nunquàm dicẽs. ſi caput tuum ſcandalizat te, abſcinde illud, & proiice abs te. Hanc auctoritatem qui credit, Ieſum Chriſtum Dei uirtutem, & ſapientiam omnia pręuidentem, & cunctis prouidentem, non ſpernet, ſed reuerenter conſiderabit, non caſu nominaſſe dominum manum, pedem & oculum membra ſummæ neceſſaria, & tacuiſſe caput. ſed ideo non eſſe mandatam præciſionẽ capitis ſcandalizantis, quia nec propter ſcandalum caput ſimpliciter pręcidendum eſt. Dico autem ſimpliciter, ad differentiam capitis in hac uel illa eccleſia: quia quantũcunq; caput huius uel illius eccleſiæ præcidatur, ſẽper reſtat caput eccleſiæ in terris, papa. ¶ Patet igitur quòd nullũ extra infidelitatẽ crimẽ notoriũ ac ſcandalizans, depoſitionem papæ inducit. Hæc de tertio.

RESPONDETVR RATIONIBVS FACTIS IN CAP. 24. *ad probandum quòd papa ex alio crimine quam hæresis potest deponi ab ecclesia.* Cap. 27.

MANIFESTATA sufficienter ueritate, quòd scilicet si papa est fidelis, nec iudicari nec deponi potest ab ecclesia pro quocunque alio crimine quãtuncunque notorio & scandaloso, superest allatis in oppositum satisfacere. Ad primum ergo motiuum ex parte criminis neganda est sequela, quia nec maior, nec par ratio est de hæresi & alijs criminibus. Et ratio iam tacta est, quia scilicet infidelitas spectat ad non esse, alia autem crimina ad malæ esse papæ. Cum ergo dicitur, aut hoc est ratione grauitatis aut nocumenti. dico quòd diuisio non est sufficiens, quia datur tertium. s. quòd est ratione status. Infidelitas. n. mutat statum hominis, quia facit quantum est ex parte hominis de christiano non christianum. Odium autem Dei licet sit grauius peccatum, ac per hoc faciat hominem peiorem quam infidelitas faciat, non tamen facit de christiano non christianum.

Nec obstat quòd hæreticus restat christianus inuitus ex charactere, quia quod non uoluntarie habetur, non est ab homine inquantum homo, ut in principio primæ secundę. s. Tho. dicit. Propter quod fides informis saltem & character, non sunt duo cõstituentia distinctos status humanos ecclesiasticos, sed unum & eundem statum christianitatis constituunt complere concurrente utroque, altero ut humano scilicet fide, quæ non est, si non est uoluntaria, & altero ut hominis scilicet charactere, qui & sine uoluntate acquiritur (ut patet in pueris) & inuite conseruatur, ut patet in hæreticis. Propter quòd sublata fide mutatur status christianitatis inquantum erat humanus, quod est mutari ipsum eo modo quo per hominem mutari potest. Mutatio autem status christianitatis, extra christianos hominem ponit ex propria natura, & propterea crimen hæresis non ratione maioris grauitatis, sed mutationis status deponendum constituit papam, alia autem crimina non.

Et licet hæc responsio sufficiat etiam ad alterum membrũ de nocumento, sciendum tamen est, ꝙ aliud est loqui de nocumẽto per se annexo peccato, & aliud de nocumento annexo per accidens, quia scilicet est in isto homine sic disposito. Si enim loquimur

mur de nocumento per ſe, maius nocumentum eſt annexum hæreſi ipſius papæ quàm cuicunque alteri criminі, quia hæreſi quãtum ex ſe adhæret doctrina hæretica, quæ in capite quantum ex ſe eſt, induceret hæreſim in eccleſiam uniuerſalem, quo maius nocumentum inferri nequit. Si uero loquimur in iſto qui nõ docet hæreſim & bene gubernat & diſpenſat, hoc eſt per accidens, & ideo deſpiciendum. Ad aliam probationem ſcilicet, quòd non inuenitur in ſcriptura ſacra expræſſum, quòd magis ſit pro hæreſi papa deponendus quàm pro alio crimine. iam patet reſpõſio, quòd non inuenitur quòd magis pro hoc quam pro alio, ſed inuenitur in ſacra ſcriptura, quòd pro ſola hæreſi eſt deuitandus & declinandus, ut patet ex textibus inductis. Vnde non eſt uerum quòd ſit hoc relictum interpretationi doctorum & canonũ, niſi ſicut explanantibus, quo modo etiã articuli fidei ſunt relicti doctoribus & canonibus ſacris. Sed ſicut articulos fidei declarare non mutare poſſunt doctores & canones, ita legem hanc diuinã declarare non mutare addendo aut ſubtrahendo poſſunt. Ad tertiam probationem dicitur, quòd illa maxima, qui poteſt in maius, poteſt in minus, ſi philoſophice diſcutienda eſt, inuenitur falſa, tam de actu, quam de obiecto, quam de effectu. Intellectus enim qui poteſt in actum maiorem. ſ. intelligere, non poteſt in actum minorem, puta odorare. Similiter uiſus qui poteſt in obiectum maius, puta lucidum, non poteſt in obiectum minus, puta ſonum. Virtus quoque generatiua hominis poteſt in effectũ maiorem ſcilicet hominem (homo enim generat hominem) & tamẽ non poteſt in effectum minorem, puta leonem. Si autem politice diſcutienda eſt (ut Innocen. 3. in dicto cap. ex parte, el tertio ĩducit ſub aliis uerbis. ſ. cui cõceſſum eſt maius, minus quoq; conceſſum eſſe uidetur) dicitur quòd intelligenda eſt cęteris paribus. modo autem cætera non ſunt paria, quia in crimine hæreſis (quod eſt maius crimen) ſubiectum mutauit chriſtianitatis ſtatum, in aliis uero criminibus minoribus ſubiectum permanet in eodem chriſtianitatis ſtatu. Et hæc eſt uera reſpõſio ex parte criminis maioris & minoris. Ex parte autem maioris uel minoris effectus iudicij, negatur minor, quia maius eſſet iudicare papam in ſtatu chriſtianitatis de adulterio, quam iudicare ipſum a Chriſtianitate ruentem de hereſi, quia in primo attigitur ſuperior ſtatus gradus quam in ſecundo, ut patet.

Ad ſecundam rationem, (ex parte. ſ. actus) dicitur, quòd fal-

lacia consistit in hoc, quòd aliud est auferre gladiũ, resistere, impedire, & huiusmodi, & aliud est facere istamet autoritatiue. Auferre nãq; gladium de manu furiosi, resistere tyranno, impedire oppressorem, & hmõi, cuilibet licet & debitum est ut actus uirtutis, sed facere ista autoritatiue soli superiori licitum est. Vnde licet cuilibet uim in se & in proximum ui repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tamen cuilibet licet punire eum qui uim infert. Et similiter quàmuis quilibet licite posset papam in uasorem, se defendendo occidere, nulli tamen licet papam propter homicidium punire pœna mortis. Vnde hmõi argumenta, & similia, non concludunt autoritatem iudicis ad puniẽdum, sed cuiuslibet priuati debitum ad resistendum, impediendum, defendendumq;. nisi quis adeo desipiat, ut dicat quẽlibet esse iudicẽ cuiuslibet. Resistendum est ergo ẽt in faciem papę publice dilanianti ecclesiam. v. g. quia non uult dare beneficia ecclesiastica nisi pro pecunia, aut commutatione officii, & cum omni reuerẽtia, & obiecta neganda est possessio talium beneficiorum his qui emerunt, & allegãda est cã simoniæ ẽt cum Papa commissę. & sine dubio principes seculi & clerus gladium de manu furiosi sic cum modestia tollerent. Multæ quoq; sunt uiæ, quibus absq; rebellione principes mundi & prçlati ecclesiæ si uellent uti, resistentiam impedimentumq; abusus potestatis afferrent. Sed quãdo principes, & prælati non curant, nisi quasi somniando, cur cõqueruntur quòd non potest deponi? cur opponunt quòd potestas data est in edificationem, & non in destructionem? Abusui nãq; potestatis qui destruit, obuiam eant congruis remedijs nõ obediendo in malis, non adulando, non tacendo, arguendo, aduocando illustres ad increpandum exemplo Pauli, & præcepto eiusdem (dicite Archippo. uide ministerium quod accepisti in domino, ut illud impleas, ad Col. ult. &c.) & parum, aut nihil abuteretur potestate. In responsione tantum ad quintum habebis ultimam satisfactionem huius argumenti.

Ad tertiam rationem ex parte ipsius Papæ, dicitur quòd ẽt est fallacia. nam aliud est purgatio ad remouẽdũ scãdalum, & aliud est purgatio ipsa coram iudice. Ad primam tenetur Papa de iure diuino, ad secundam non. unde Damasus nõ coram generali concilio, sed coram 42. episcopis se purgauit, ut patet. ij. q. vij. nos si competenter. Et si Greg. ipse testatur, quòd ex humilitate exhibuit se ad iudicium, patet ij. q. vij. cap. Petrus. ubi ipse

Greg.

Greg. dicit. Petrus potestatem regendi acceperat,& tamē idem apostolornm primus quærimonie contra eum a fidelibus factæ, cur ad gentes intrasset,non ex potestate officij (qua posset dicere,oues pastorem suum non accusent,nec repræhendant) sed ex auctoritate diuinæ uirtutis qua gentiles acceperat spiritumsanctum,respondit. ubi apparet quòd ipsæ imitatus est Petrum apostolum,non utendo potestate sua,& quòd potuisset illa uti.

Ad quartā ex parte ecclesiæ ut sponsæ,breuiter dicitur primò quòd papa non potest inuitam ecclesiā deserere, quia nō potest iuri ecclesiæ renunciare.prælatus.n.est propter ecclesiam,& non ecōtra,ut super epistolā ad col. in fine diuus Tho. dicit. Secūdo quòd nō est par rō ex utraq; parte,quia ecclesia est subdita papę, & nō econtra.Nec ēt in lege Moysi uxor poterat dare libellū repudij uiro. Nec est periculum de ipsius dilanatione, quia scriptū est, portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ex parte uero ecclesiæ ut cōitatis libere,breuiter dicitur, quòd licet sit libera libertate gratiæ,est subdita tamen scdm iurisdictionē papæ. Vnde ipsa ecclesia non abdicauit a se ptātem supra principē, sed Iesus Christus dominus ecclesie non subiecit eā ipsius cōitati ecclesie, sed suo uicario,& propterea nihil pōt supra suum principem. Nō sic est de alijs communitatibus de quibus affertur Arist.

Ad quintam (ex parte diuinæ prouidentiæ, & operationis immediate, & perfecti operis) dicitur quòd deus perfecte ecclesie corpus fecit, disposuit ac ordinauit, ita ut ordinatissimum optime extet, & nihil opportunum desit illi. Et cum dicitur,ergo est relictum ecclesiæ remedium contra papam fidelem criminosum &c. concedendum est. Sed cum infertur,ergo ecclesia potest illum incorrigibilē deponere, mēbrū illud abscindere & huiusmodi. respondet quòd est sophisma consequentis a superiori ad suū inferius affirmatiue, a prouisione & remedio in cōmuni ad hanc prouisionem seu hoc remedium, ac si non esset alia prouisio & aliud remedium. Dicendum est.n. quòd IESVS CHRISTVS altioris ordinis remedium reliquit in ecclesia ad repellendum sui proprij uicarij incorrigibile scandalosumq; regimen.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd sicut in naturalibus diuina sapientia inferiora per media & media per supremas causas secundas gubernat, ita in supernaturalibus, inter que est ordo gratiæ fidei, & ecclesiæ super illam fundatæ, inferiora per media,& media p supremas causas secūdas supnaturales gubernat.

Rursus

Rursus cum causę effectibus proportionatæ sint; ut superioribus effectibus superiores causę respondeant, & inter causas secūdas prouidentia humana ecclesiastica auctoritate fulta, inferioris ordinis causa sit quā oratio, quæ in supremo ordine secundarum causarum locata est a deo (quod ex eo patet quòd tota creatura corporea & incorporea subiecta est illi) & prouisio supra papam fidelem sit inter supremos effectus in ecclesia, consequēs est, quòd sapientissime deus disposuit remedium in ecclesia supra fidelem papam, non prouidentiam humanam, cui subiecit reliquum ecclesiæ, sed oratione. Nec est minus efficax causa secūda oratio ecclesiæ pro se petens necessaria ad salutem perseueranter, quā prouidentia humana, cum constet quòd cuiuslibet particularis personę oratio pia perseuerans, petens necessaria ad salutem pro se, est causa efficacissima & infallibilis, ut diffuse habes in.3.contra.gen.a beato Tho.ca.95.& 96. Vnde si necessariū est ad salutem ecclesiæ, quòd papa talis auferatur, sine dubio oratio sic conditionata auferet illum de medio. Et si non est necessarium quòd auferatur, quid causamur bonum dominum, qui negat quod uolumus, & tribuit quòd mallemus? Si est necessaria eius ablatio, non potest non auferri ab eo rogato, qui promisit quòd nihil deesset timentibus eum. Si non est necessaria diuino iudicio, & tamen iudicio humano utilis & necessaria creditur, cur præponis te deo uolens illum deponere? tu quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat aut cadit Iesu Christi uicarius. Non dico hoc ego, sed dominus, qui Luc.18. docet quòd deus multo magis quā homo faciet cito uindictam electorū suorum clamantium ad se. Constat enim ecclesiam electos claudere, & uindictam hanc, quia ipsi soli domino reseruata est, ab ipso præ ceteris faciendam. non dormitat neq; dormit custodiēs Israel, qui nauiculæ fluctuanti quarta uigilia noctis ex oratione surgens subuenit, qui a Senacherib exercitu Ezechiam liberauit, Assueri cor mutauit, Nabuchodonosor prædicatorem suū fecit, Anastasium.2.oratione ecclesiæ percussit, Leonem etiā Papam (seu Liberium apud alios) Hylarij orationi subiecit, qui etiā omnia temporalia bona superadijcienda promisit, qui demum dedit nobis filium & omnia donauit cum illo. Sed heu impletum quasi est illud. putasne filius hominis ueniens, inueniet fidem in terra? nam prouisio istius tam excelsæ & tam efficacis causæ secūdę pro nihilo habetur. Oportet (inquiunt) prouidentia nostra

ſtra puniri papam, non diuinæ prouidentiæ ſoli & orationibus relinqui. Quare hoc dicunt, niſi quia prouidentiam humanā præferunt orationum efficaciç? quare hoc dicunt, niſi quia animalis homo non percipit quæ dei ſunt? Quare hoc dicunt, niſi quia didicerunt confidere in homine,& non in domino,& ponere carnem brachium ſuum? Quo fit ut ſi incorrigibilis exiſtimet quādoq; papa, in proprijs uitijs manentes ſubditi quotidie murmurēt de malo regimine,nullum orationis remedium adhibēri procurantes, niſi forte, ut ſomniantes abſq; fide, & facto ſuo adimpleant ſcripturas (quòd.ſ.propter peccata populi regnat hypocrita, officio ſanctus, animo diabolus) & detur ac conſeruetur rex in furore domini. Iram enim & clementiam dei in manibus orationum noſtrarum eſſe,ſpiritusſanctus in pſalmo teſtatur.benedictus deus qui non amouit orationem meam & miſericordiā ſuam a me. glo.quia non eſt amota oratio, ſecurus eſto,quia nō auferetur miſericordia. Verum ita ſtolidi ſumus ut nolimus orare ut debemus.& tamen uelimus orationis fructum,nolimus ſeīare & uelimus metere. Aut chriſtiani non nominemur, aut Chriſti prouiſionem amplectamur, & ſic phreneticum, furioſum, tyrannum, dilaniatorem, dilapidatorem corrumptoremq; eccleſiæ (cum contingeret talem prçeſſe) ſuperabimus. Sed qui noſmet non ſuperamus noſtris orationibus (quia eas non ut decet agimus) quomodo conqueri poſſumus,quòd aliorum malorum uitam non ſuperamus orationibus? quæ non ſolum tectum non tranſeunt,ſed nec orātiū capita propria penetrant. Et quod peius eſt, olim conquerebatur deus.populus hic labijs me honorat,cor autem eorum longe eſt a me. Tempore reuelatæ gratiæ, nec labijs honoratur, quoniam nihil dicitur minus intelligibiliter quàm diuinum officiū. nihil tam celeriter perſoluitur quàm miſſa. Tempus diuini officij & miſſæ,oneroſum eſt ualde. ioci autem & negocia ac cōmoda ſæcularia diſtinctè dicuntur & repetuntur, & abſq; temporis menſura delectant. Vnde concluditur, quòd aut abſciſſio papæ fidelis & incorrigibilis poſt humana remedia eſt in ueritate neceſſaria ad ſalutem eccleſiæ, & oratio fit ſine intermiſſione ab eccleſia.& ſic habetur certa,& multo celſior ac efficacior prouiſio quā ſi auctoritas deponendi humanæ eſſet prouidentiç delegata, aut non eſt neceſſaria,uel non fit oratio ut debet & tunc nullus eſt quærele locus,ſi in non neceſſarijs abeſt prouiſio exterminatiua, quoniam nec humana prouidentia

dentia extra ueram necessitatem deberet illa uti auctoritate, si eam haberet, uel si nosipsi cōcesso remedio efficaci nolumus uti. Quamuis etiam non sit abbreuiata manus domini, ut non possit saluare citra omnimodam necessitatem, nec aggrauatæ sint au res eius, ut non exaudiat citra necessitatem. sed iniquitates nostræ sunt, quæ diuidunt inter nos & deum nostrum, & multas malas actiones in rectoribus nostris procurant, ut Hiero. in ca. audacter. 8.q.1.& Greg.7.q.1.ca.ex merito dicunt.

Et si contra hæc instetur. Quia oratio cōmune est remedium omnibus occurrentibus malis, in hac autem re proprium quæritur remedium, sicut in ceteris rebus, ultra cōmunem causam propria assignanda est. Respondetur, quòd supremæ causæ quãuis sint causę cōmunes respectu inferiorum, sunt tamen propriæ respectu superiorum effectuum. & propterea oratio quia est inter supremas causas secundas supernaturales, respectu inferiorum est causa cōmunis, respectu autem summorum effectuum, qualis est exterminatio papæ fidelis, utpote effectus reseruatus deo, est causa propria & remedium proprium. ultra quod sunt multa alia humana adminicula, quę scripsit dominus Ioan. de Tur. Cre. in lib. 2. de ecclesia ca. 106. Cum his tamen omnibus memēto, quòd pessimus papa fidelis toleratus a deo, nō potest totum corpus ecclesiæ inficere, aut in perniciem ducere & huiusmodi, ut argumenta autumant in similitudinibus corporum & huiusmodi. Nam deus non potest seipsum negare. de quo scriptum est. fidelis deus, qui non permittet uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.

Ad sextam, quantum ad gesta concilij Constantien. iam dictū est, quòd concilium perfectum secundum presentem statum ecclesiæ potest deponere incertum papam, nullus enim fuit illo tempore certus papa. Quantum ad gesta concilij Basilien. respondet uniuersalis ecclesia, quæ Eugenium a concilio depositum adorauit & adorat ut papam, olim in persona sua, & post in successore Nicolao, quem ipse eodem anno creauerat cardinalem, & sic deinceps. Et hęc responsio facti testatur quantum delirent, qui papam concilio submittunt. Ad priscorum temporum gesta dicitur, quòd licet multi legantur depositi pontifices summi, aut non erant indubitati pontifices summi, aut de facto non legitime depositi sunt, ut in ca. 103. secundi libri de ecclesia dominus Ioan. de Tur. Cre. manifestat diffuse. Ad autoritatem

glosæ,

glosæ,& plurium canonistarum sequentium illam, dicitur quòd glosa est contra textum, quia textus excipit solam heresim, & ipsa leui ratione mota, extendit ad omne crimen notorium scandalizans, incorrigibile, quia.s. contumacia est heresis. Constat enim quòd lato uocabulo contumacia heresis dicitur, sicut & simonia, nec equiparanda est uere heresi, quę mutat statum christianitatis. Et quàmuis glo. quia sobrie loquitur dicens, credo &c. mereatur ueniam, assertores tamen illius documenti super illam se fundantes, quia contra antiquam fidei doctrinam tam leuiter mouentur, nescio excusare. Canonistarum autem auctoritas in re hac (quia principaliter est theologica) parua est, nec maior ratione super qua se fundant. non sic est de auctoritate sanctorum, qui spiritusancto inspirati locuti creduntur. Rursus secundum ipsosmet canonistas, in materia fidei magis standum est antiquorum quàm modernorum auctoritati, licet in his quæ iuris sunt, quanto iuniores tanto perspicaciores. Cum igitur hæc sit materia fidei (quia imediatum opus dei non ratione naturali, sed sola diuina reuelatione scibile, in quęstione est) consequens est, ut sanctorum auctoritas sacræ scripturæ inixa, omnibus concilijs & theologorum uniuersitatibus, ac canonistis posterioribus, imo quasi modernis præponenda sit. Ad septimam ex parte iudicij humani, dicitur quòd conditiones iudicij humani sunt duplices. quædam ex naturali iure uel diuino determinatę, quædam a iure positiuo. Inter quas hęc est differentia, quia illæ quæ sunt ex iure positiuo, non possunt in inuitum papam exerceri, quia non subest positiuo iuri. illæ uero quæ sunt a naturali uel diuino iure, habent etiam locum in papa. Ex iure autem diuino statuta est forma iudicij humani circa hereticum, ut post primã & secundam monitionem euitetur, ac per hoc (ut dictum est) potest contingere ut papa fidelis nunc, sed bis relapsus deponi possit & debeat. Ex iure etiam naturæ est, ut homo uideat quæ foris sunt, ac per hoc propter actus manifestè hereticales, & uerba manifestè serio heretica cognita &c. sic facta, & dicta, ut humano iudicio corde consentiente facta sint & dicta, iudicetur quis hereticus. Ex ipso quoq; diuino iure est, ut in ore duorũ uel triũ stet oẽ uerbũ, ut patet Matth. 18. Et ex iure naturę unicuiq; cõtra se creditur, si est sani capitis &c. Vnde ex nõ suspectis &c. testib. cõuictus q̃s de dãnata & nota &c. heresi, hereticus iudicabitur. & similiter si sua sponte se confitetur hereticum,

T quàmuis

quàmuis coram deo mentiatur, iudicabitur hæreticus. Et iure autem positiuo contumax, & perseuerans per annum, siquis alius est eiusmodi, præsumitur hæreticus. Vnde primi duo casus non habent locum in Papa, qui non potest excommunicari, nec iuri positiuo subijcitur, sed seruãda est lex ab apostolo Paulo in sacra scriptura tradita. Similiter si timore mortis, certo, uel probabili secundum humanum iudicium absque interiori consensu gesta, uel uerba hæreticalia habuit, non deponitur papa. unde Petrus Apostolus, qui solo uerbo negauit Christum, quia fides eius non defecit, sed charitas (teste Iesu Christo dicente, ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua) conuersus a peccato negationis cum periurio quo perdidit charitatem, confirmaturus instituitur fratres suos, non deponendus. Et hoc imitati patres, Marcellinum (qui etiam solo exteriori actu peccasse uidetur) deponendũ non censuerunt. di. xxj. nunc autem. Ex casibus autem in quibus propter cõditiones humani iudicij iure diuino, uel naturali determinatas Papa in corde fidelis, coram ecclesia uero infidelis deponitur, non constituitur alius casus quàm casus infidelitatis. Nam nihil refert esse, & apparere sufficienter, quòd ita sit secundum humanum iudicium coram ecclesia, quæ non uidet nisi foris q̃ sunt, nec uerius iudiciũ ab ecclesia exigit Deus, qui naturam hominis iusque diuinum condidit. Vnde ex his nulla alia subiectio Papæ ad concilium habetur, sed illa sola quæ dicta est. s. in casu hęresis proprie sumptæ. Et sic si sit catholicus, Papam non iudicat ullus.

AN IN EVENTV ALIQVO PAPA SINE CVLPA SVA *subsit ecclesiæ, ita quòd possit deponi?* *Cap.* 28.

VT PROMISSA perficiantur, superest discutere, an in aliquo euentu sine culpa papæ, subsit Papa ecclesiæ seu concilio uniuerso, ita quòd possit deponi. Inuenio siquidẽ notatos sex casus in quibus ecclesia sine culpa quidem Papæ, sed nõ sine causa deponere potest papam. Primus est cum coram uniuersali ecclesia testibus comprobaretur, quòd Papa qui diu detentus erat à sarracenis iam obijt, & cõcilium determinat noui Papæ electionem, & sic fit. decernendo quòd pro bono ecclesię etiam si uiueret, iste nouus sit papa, potest. n. ipsum captiuũ sine spe reditus deponere. Secundus est, cum propter in dispositionem

tionem corporalem (puta dementiam) esset inutilis, & concilium per eum congregatum dum sanæ mentis esset, decerneret alterum Papam creandum. Tertius est, quando Cardinales omnes statim, post canonicam electionem Petri in Papam morerentur, ita quòd non possent publicare electionem. tunc ecclesia cum non teneatur istum acceptare, alium eliget, & sic istũ deponet, quia duo simul esse non possunt. Quartus est, quando Cardinales etiam uiuentes non possunt facere fidem de electione sua canonica in unum, ut videtur accidisse in schismate magno ab Vrbano. 6. usque ad Marti.V. tunc ecclesia deponit nolentes renunciare, ut in concilio Constantien. factum est. Quintus est, quando propter communem errorem, aut estimationem subditorum, aut ipsorum malitiam generalem, præsumitur, quòd nũquam præstabunt obediẽtiam tali qui fuit rite electus in Papam, alteri tamen nouiter eligendo parati sunt obedire, ut si forte græci uellent ad unitatem ecclesiæ redire, dummodo tolleretur Papa iam existens, & nouus rite Canonicè crearetur. Et confirmatur hoc ex autoritate iuristarum, dicentium religiosum professum posse uxorẽ ducere pro salute magnæ gẽtis aut conuersione ad fidem. Sextus est, quando papa uerus iuramento, uel uoto seipsum ad cessionem obligasset, sed differret adimplere in scandalum populorum putantium ex tali facto papæ, quòd nec ipsi uotis, aut iuramentis proprijs obligantur, ut Ioan.23. contigisse videtur in principio concilij Constantiensis.

SED ex nullo euentu conciliũ posse deponere papam, quãuis ex hoc haberi possit quod supra dictum est. s. quòd euentus locum habet in his quę humani iuris deterterminationi subsunt: non in his quæ solius diuini sunt iuris (qualis est autoritas immediate a Christo tradita, quæ ad depositionem fidelis pontificis exigitur) examinando tamen singulos idem apparebit incõcussum permanere. In primo itaque euentu de Papa captiuo, duo tanguntur. primũ retrogrado ordine est, quòd nulla existẽ tẽ spe reditus, & nullo patente accessu, potest per conciliũ deponi. Quod primitiuæ ecclesiæ gestis non consonat, quia petro seruato in carcere, & sine humana spe reditus ac accessus ad eũ (quia inter tot milites uinctus cathenis, post tot custodias erat) non depositio tractabatur, sed oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. & sic per ecclesiæ orationem liberatus est. Secundum, quòd constito per testes de morte, licet

non ita fuerit, poteſt eligi alter. Et hoc non aliter uerum eſt, quàm quòd conſtito per teſtes quòd maritus Marthæ mortuus eſt, licite ipſa Martha nubit alteri, filiosque generat, & tamen adueniente primo marito, qui reuera non erat mortuus, ad primum maritum (qui ſolus eſt uerè maritus) redire eam oportet, alioquin adultera eſſet. Sic nāq; eſſet in caſu hoc, redderetur q̄p pe Papæ uiuo ſponſa ſua, etiam non uenienti (quia ubiq; præſens eſt) & ex humano errore electus Papa ceſſaret. In ſecundo euentu de dementia perpetua, dicitur quòd Papa non poteſt deponi, ſed ſi conſtat de dementia perpetua, cum ſit mortuus uita rationali, ſecundum quam homo eſt ſubiectum Papatus, ſine cōcilio generali poſſunt Cardinales procedere ad alterius electionem, utpote ſede uacante in ueritate: non minus quàm cum ſedes uacat per renunciationem. In tertio euentu de morte omnium Cardinalium, dicitur, quòd cum eccleſia uideat ſolū quæ foris ſunt, ſi electio papæ non conſtat eccleſiæ ſufficienter, tūc nullus eſt Papa certus eccleſiæ, & propterea eccleſia non deponit Papam in foro ſuo, licet deponat papam in foro conſcientiæ. Hoc autem non ſolum poſſe, ſed debere eccleſiam facere, ex eo patet, quòd ille poſſet eam decipere dicendo ſe electum, & tamen non eſſet. Vnde euētus iſte, & quartus de defectu probationis, nihil aliud inferunt niſi quòd Papa incertus eccleſiæ poteſt deponi: quod gratis conceditur. Sed non eſt quæſtio de hoc, ſed de Papa certo: paria enim apud eccleſiam ſunt, non eſſe & non apparere. In quinto euentu rebellionis communis, dicitur, quòd quia non ſunt facienda mala ut eueniāt bona, nec periculis humanis ſubueniendum eſt vſurpatione diuinæ auctoritatis, nec debent mali ex iniquitate reportare commodum cū iniuria innocentis, non poteſt Papa deponi. Si enim boni faciant quod in ſe eſt, & orationi uacent ſine intermiſsione omnē ſolicitudinem ſuam in eum proiicientes, cui eſt cura de eccleſia, impoſsibile eſt ut deſit diuinum adiutorium, ſcriptum eſt enim timete dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. In ſexto euentu dilatę ceſsionis poſt uotum, & iuramentum, breuiter dicitur, quòd licet ipſe teneatur ex uoto, & iuramento cedere: eccleſia tamen non poteſt ipſum ad hoc cogere inuitum, quia poteſtatem coactiuam ſuper fidelem Papam non habet. Et bene hic caue, quia non ualet argumentū, Papa tenetur ad hoc, ergo poteſt ad illud per eccleſiam cogi.

patet

pateτnáque quòd tenetur ad solicite vigilandum, ad non fornicandum, & infinita alia, & tamen non potest cogi ab ecclesia ut in cap. si Papa. distinctio.xl. patet. Quibus autem scandalum præbetur de suo periurio, & uoto facto, & alijs huiusmodi, præueniens dominus dixit. super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisei: quæ dicunt facite, secundum uero opera corũ nolite facere. Et sic patet quòd Papa ordinaria potestate a IESV CHRISTO tanta donatus est, cum ipsius est institutus Vicarius, ut ei Apostoli, ecclesiæ singula membra, & communitas subiecta sit, ipse uero soli ipsi IESV CHRISTO subiectus uiuat, sicut in nullo euentu nulloque casu nisi hæresis propriæ sumptæ iudicari, aut deponi posit, nisi ab ipso domino IESV CHRISTO. Pro cuius fide, ecclesia & apostolica sede hæc ipso donante scripsi. Romæ die. 12. Octobris Anno Salutis. M. D. XI. etatis uero meæ. 43. Rogoque lectores omnes, ut soli ueritati intenti pasiones, sectas, paternas traditiones, casus, uoluntarias glosas; omnemq; nebulam a mentis acie abijciãt, & sic censores se exhibeant rectos. Ad Dei, & Gloriosę Virginis Mariæ, & Apostolorum Petri, & Pauli laudem, & honorem. Amen.

Tractatus Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Systi de cõparatióne Autoritatis Papæ, & Concilij. Finis.

THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS SANCTI SYSTI DE COMPARATA AVTORITATE PAPAE ET CONCILII APOLOGIA.

PROLOGVS, IN QVO RATIO, INTENTIO, *ordoque operis est.*



CHARITAS Iesu Christi, sanctæq; eius ecclesiæ, Reuerendiss. in Christo pater, protector & domine, cogit me uirum periculosum, eneruatorē ecclesiasticæ potestatis, falsarium, adulatorem atq; blasphemum, ad hæc quidem exemplum illius sequi, qui cum malediceretur non maledicebat, ad obiecta autem contra doctrinam in opusculo de comparatione auctoritatis papæ & concilij per me edito, tuæq; Reuerendiss. dominationi dicato contētam, pro ueritate respondere.

Et licet plura obiecta sint, quę a uiris doctis (pro quibus solis opus illud scripsisse me ibi sum contestatus) facile soluerentur, quia tamen sapientibus & minus sapientibus debitores sumus, qui parati esse debemus omni poscenti nos rationem reddere de ea quę in nobis est fide. ideo responsiones iuxta obiectorum amplitudinem extendendę sunt. Visus est autem conueniens ordo, si obiectiones iuxta ordinem capitulorum illius libelli afferantur atq; soluantur. erunt siquidem hæc uelut cōmentaria illius.

Rogo igitur in primis omnes, ut meminerint sermonis formalis & subiectæ materiæ, meditenturq; diutius, antequā sententiā proferant, ne multiplicatis argumentis pro gloria ingenij, res tanta de qua agitur, in disputationem dialecticam aut etiam sophisticam deducatur. Et quoniam cōmunia singulis, & radices ramis præponi dicunt, ideo & latius & altius secundum uires repetenda sunt rei huius fundamenta. Sciendum itaq; est, ꝙ cum iura positiua ab ecclesiastica sint condita potestate, & in questionem uersetur ipsius auctoritatis ecclesiasticæ subiectum, non ex iure positiuo, sed naturali uel diuino, aut utroq; ueritas pendet ut ex causa, a positiuo autem iure ut a teste. Et secundum luminis mihi concessi facultatem duo sola sunt fundamenta (alterū

iuris naturalis, alterum iuris diuini) in quibus uniuersa moles do ctrinę extollentis cõmunitatem ecclesiæ supra papam in potestate, sic quòd papa sit illi subditus, sustinetur, quæ si euulsa fuerint, ruent omnia. Primo igitur hęc tractanda sunt ex capitulis, deinde sigillatim singulis iuxta propositum ordinem respon dendum.

IN QVO FVNDAMENTVM IVRIS NATVRAE *examinatur.* *Cap.* I.

EX NATVRALI igitur iure stabilitur auctoritas cõmunitatis ecclesiæ supra papam, in hoc, quòd de iure naturæ est, quòd cõmunitas perfecta & libera est, ad quam spectat prouidere sibi de principe, & tueri se contra eum quando in destructionem utitur potestate, & cogere, punire ac amouere illum quan do demeretur. Huic.n. principio si adiungatur, quòd ecclesia uniuersalis est cõmunitas perfecta & libera, & quòd ordo gratię institutus a Iesu Christo non tollit, sed perficit naturam, mani festè concluditur, quòd ad ecclesiam uniuersalem spectat proui dere sibi de papa, & tueri se contra eum, & punire, ac etiam deponere illum, & uniuersaliter esse supra illum.

HAEC RATIO quãuis in ca.27.soluta sit, ex eo quòd domi nus Iesus ecclesiam non reliquit in hoc liberam, altius tamen eã dem tractando dicimus, quòd natura regis cum sit multiplex ex ipso naturæ fonte (nam quoddam naturaliter in uno, qui est naturale caput cõmunicationis illius, residet, ut patet in regimine domus, cuius auctoritas naturaliter in patrefamilias est. quoddã uero naturaliter in ipsa cõmunitate multitudinis manet, ut patet in regimine ciuitatis, secluso omni superaddito dominio) ecclesiasticum regimen cum domesticum & ciuile complectatur (iuxta illud apostoli ad Ephe.4. estis ciues sanctorum & domestici dei) ac per hoc altius quid sit, non ex diuinæ potentiæ ĩmensitate, nec ex diuine sapientię, iustitiæ aut bonitatis decentia (quoniam nõ est impossibile apud deum omne uerbum, nec dedecere deum po test quicquid uult) qualis naturæ sit, sed ex ipsa natura facti con templandum est. Sicut.n. domesticum regimẽ & politicum ex ip sis diffinimus, ita oportet ecclesiastici regiminis naturam ex seip so speculari. Et quoniam naturalis propagatio regiminis sicut & aliarum rerum, ortę rei naturam ostendit, libet intueri quòd ecclesia

ecclesia non a singularibus aut a cõmunitate, sed a capite homogeneo Iesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis & potestatis. propter quod ecclesię suæ dixit Ioan.xv. non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Natura igitur ecclesiastici regiminis ab ipsa sua natiuitate est, non ut in cõmunitate sit, nec ut a cõmunitate ad unum uel plures deriuetur (quemadmodum accidit in regimine ciuili humano) sed ut in uno certo principe suapte natura sit. Et cum princeps iste unus atq; idem dominus Iesus heri hodie & in secula uiuat & regnet, secundum naturalis iuris consequentiam oportet, ut ad ipsum principem non ad cõmunitatẽ ecclesiæ spectet in sua absentia ordinare de uicario, non cõmunitatis ecclesiæ (quæ utpote serua nata, principandi iure caret) sed ipsius principis naturalis domini cõmunitatis ecclesiæ. Et hoc ipsum saluator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum apostolum solum instituit suum uicarium post resurrectionem antequã cœlos ascenderet, ut patet Ioan. ulti. Relinquitur igitur quòd sicut princeps ecclesiæ non a cõmunitate ecclesiæ naturaliter auctoritatem habet, ita illius uicarius non ab ecclesiæ cõmunitate, sed a Iesu Christo autoritatem naturaliter habet.

Patet ergo primo, quòd ecclesiæ cõmunitas secundum propriam naturam considerata, non est talis naturæ, ut ad ipsam spectet prouidere sibi de principe, ac per hoc nec ad ipsam spectat suapte natura punire, deponere, & alia huiusmodi contra principem suum, quia serua (ut dictum est) nata est. Patet secundo, quòd ecclesiæ cõmunitas secundum propriam naturam sumpta non est talis naturæ, ut ad ipsam spectet instituere aut destituere uicarium sui principis, qui uocatur papa. Et si ecclesiæ cõmunitas potestatem aliquam habet in disponendo de uicario principis, quæcunq; sit illa, non habet illam ex sua natura, sed aliunde.

Ex his autem facile patet euulsum esse fundamentum iuris naturalis pro potestate ecclesiæ supra papam, quoniam falsum assumit, dicendo ecclesiam esse cõmunitatem liberam quo ad ius principandi, licet sit summa libera libertate gratię, quin potius ex ipso naturę iure supposita ecclesiæ natura, quam deus illi statuit, oppositum sequi monstratum est. Vnde ordo gratiæ non tollit in ecclesia naturæ ordinem, qui ibi natus est, esse. Non.n. in ecclesia natus est esse ordo talis, ut eius sit ius principatus, & a gratiæ ordine tollitur, sed in ecclesia ex sua natura natus est ordo talis, ut ius principatum sit non in se, sed in domino suo naturali.

turali. Et hunc naturæ ordinem in ecclesia,[con]sequens est quòd gratia non tollat sed perficiat, & Iesu Christi sapientia disponēs omnia suauiter complectatur. Facillime quoq; patet ex hac radice prouenire, quòd omnia quæ inducuntur conuenire alicui corpori mystico ad ius principatus spectantia, non spectant ad cōmunitatem ecclesię ex sua natura. Dico autem ad ius principatus spectantia, propter ea quæ ad priuatas personas spectant, ut uim ui repellere cum moderaminæ inculpate tutelæ, & auferre gladium de manu furiosi, & siquid eiusmodi est. hæc siquidem discernendo non fallemur. Signum autem infallibile seruitutis ecclesiæ cōmunitatis quo ad ius principatus est, quòd non potest sibiipsi regimē retinere, nec duobus aut tribus cōmittere. hæc enim posse cōmunitatem liberam manifestum est. Potest enim & per seipsam regere, potest & triūuiratum instituere, & alia huiusmodi, etiam supra regem quem eligunt. quod ecclesiam non posse manifeste liquet, alioquin posset aut in pluribus simul locare potestatem iurisditionis papę, aut officium aliquod supra papā quo ad iurisditionem & regimen ecclesiæ instituere in uno uel pluribus suppositis, sic & a talibus nominandis, quod loco ipsius cōmunitatis ecclesiæ, ecclesiam & papam regeret. Quia igitur naturale ius fundatum supra ipsam ecclesiæ naturam, non instituit ecclesiam supra Iesu Christi uicarium, perscrutandum est, an aliunde ex iure. s. diuino ecclesiæ cōmunitas hoc habeat ius.

FVNDAMENTVM IVRIS DIVINI EXAMINATVR, *& pro quo ecclesia sumitur, cum dicitur, dic ecclesię.* Cap. 2.

ET LICET hoc a multis affirmetur, & in Constantiensi atque Basiliensi concilijs diffinitum sit, quòd ab ipso principe Iesu Christo, ecclesiæ cōmunitas habet imediate potestatem supra papam ipsius principis uicarium, nullibi tamen in sacra scriptura (in qua ius diuinum promulgatur) hoc haberi asseritur, nisi Matth. 18. ubi dominus ait. Si peccauerit in te frater tuus &c. & subdit. Dic ecclesiæ, & si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. amen dico uobis quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, & quęcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo. In his enim uerbis patet ꝙ

ecclesiæ, non alicui eius membro (ecclesia.n.non aliquod membrum,sed collectioné eorum significat) datum est ut audiat, excõmunicet, liget soluat omnem fratrem, & quæcunq; super terram. Pluraliter quippe subiectũ est, quæcunq; solueritis, ad ostendendum ecclesiæ autoritatem. Ex hoc textu apparet primo, quòd ecclesia habet ĩmediate autoritatem a domino Iesu Christo. Per seipsum quippe hoc dixit ecclesiæ, non minus quã Petro cum dixit, pasce oues meas & quicquid solueris super terrã &c.

Apparet secundo, quòd cum uicarius principis huius sit frater cuiusq; fidelis (iuxta illud Matth.23. omnes uos fratres estis) ꝙ si peccauerit in me, potest denunciari ecclesiæ. & procedi secundum subsequentia. Apparet tertio, quia eiusdem potestatis est esse ordinarium iudicem uicarij principis & aliorum singulorum membrorum ecclesiæ & ordinare de illis, quòd ex hoc eodem textu ecclesię cõmunitas instituta est simpliciter superior ad ordinandum de uicario domini & alijs ecclesiæ membris.

HAEC RATIO quãuis in cap.9.illius libelli multipliciter tractata ac soluta sit, altius tamen & latius (si fieri a me potest) repetenda est, quia hinc omnia pendent. Et quoniam principia cognoscimus ex terminis, examinemus primo quomõ oportet hic sumi ecclesiam cum dicitur. dic ecclesiæ, & si ecclesiam non audierit &c. Oportet nãq; sermonem hunc uerificari de ecclesia, aut uniuersaliter.i. de omni ecclesia, aut singulariter de ecclesia uniuersali, seu de ecclesia simpliciter, aut de aliqua determinata ecclesia, aut de ecclesia indistinctè non determinando hanc uel illam. Cum enim sermo sit de ecclesia in actu audiendi & iudicandi, alius modus esse non potest, quo de ecclesia hoc uerificetur. Oportet enim aut omnibus, aut alicui ecclesiæ, aut toti uniuersali ecclesiæ competere iudicium hoc a domino traditum.

Et quidem quòd non singulariter de sola uniuersali ecclesia sermo sit ex hoc conuincitur, quòd pręceptum hoc domini de denũciatione peccantis proximi in me, non me obligat ad recurrendum ad uniuersalem ecclesiã. Non.n.oportet ut peccante in me fratre meo, & post adhibitos testes incorrigibiliter pernicioso, dicã concilio uniuersalis ecclesiæ, ut patet. Et tamen si sermo iste esset de sola uniuersali ecclesia, præceptum domini ad hoc obligaret, quia obligat ad dicendũ ecclesię uniuersali iuxta hunc sensum. Esset.n.sensus.si peccauerit in te frater tuus &c. dic ecclesiæ uniuersali. Amplius. Si in hoc textu data est potestas ecclesiæ

uniuer-

uniuersali, cum non sit ei data maior intensiue potestas quã Petro (utriq; enim eadem potestas data est, dũ utriq; dicitur. quodcunq; ligaueris uel solueris super terram &c. quomodo ecclesię cõmunitas maiorem sibi quã petro potestatem iurisditionis usurpat? Quomodo rursus Christus æterna sapientia duas equales intensiue potestates in ecclesia absq; tertia supra ambas instituit? mutuo.n. se impedient, cum par in parem non habeat imperium. Quomodo perplexas reliquit oues, uel liberas, ut aut obediant cui uolunt, aut neutri, aut utriq; præcipienti contraria simul? Nõ igitur est sermo præsentis textus de sola ecclesia uniuersali.

Et per idem patet, quòd non est sermo de ecclesia simpliciter, ut distinguitur contra ecclesiam talem (ut puta Mediolanẽsem, Bononiensem &c.) hoc.n. nihil aliud est dicere, quã quòd est sermo de ecclesia uniuersali, quod exclusum est. Et quia non est maior ratio de una ecclesia quã de alia, ideo patet quòd non est sermo de aliqua ecclesia determinate, nec de omni collectiue aut distributiue propter prædictam rationem, quia non teneor denũciare omnibus ecclesiis peccantem in me fratrem. Sed sermo est de ecclesia indistinctè seu indefinite, ita quòd ecclesiæ datum est iudicium fratris peccantis non determinando hanc uel illam. Et quoniam actiones sunt singularium, & actor sequitur forum rei, determinatur in quolibet ecclesia a fratre peccante, ad ecclesiã .s. fratris peccantis. Ita quòd sensus literalis illius tex. est si peccauerit in te frater tuus, dic ecclesię illius, & si illam non audiuerit &c. Et ad hoc proculdubio obligat præceptum absq; ullo inconuenienti, & cõmuni animi conceptione ac consuetudine ecclesię roboratur, disponit nãq; sic intellecta doctrina domini, omnia suauiter. Nec fallaris malæ intelligendo ecclesiam peccãtis fratris, quoniam ecclesia illius est non sola sua propria, sed quæcunq; alia iurisditionem habens super illam, ut patet.

DISCVTITVR QVID SIGNIFICET ECCLESIA CVM *dicitur, dic ecclesiæ.* *Cap.* 3.

DE HOC rursus uocabulo ecclesiæ uidendũ est quid significet in hoc textu, cũ dicitur. dic ecclesię. Et ne ĩ multitudine expositionũ uagi estimemur, ꝓprie sumi admittatẽ ecclesia ꝓ cõuocatione seu collectione fidelium. Aiũt autẽ isti quòd ecclesia hoc in loco significat cõitatẽ fideliũ non in seipsis, sed in pre-

latis eorum, siue papa intersit siue non. Sed quòd hic non sit sensus literalis, ex eo patet quòd in una & eadem significatione oportet intelligere in hoc textu ecclesię nomen respectu cuiuscunque peccantis ecclesia sit. Cum enim ut ex dictis patet, indistinctè dictum sit. dic ecclesie peccantis fratris (quam ille tenet audire) & non magis de uniuersali quã particulari aut econtra, oportet uniuoce significare ecclesiam, cum applicatur ad uniuersalem, & cum applicatur ad particularem, ut patet. Constat autem quòd cum denunciandus est frater ecclesię mediol. suę ecclesiæ, non precipitur a domino quòd dicat ecclesie illius.i.communitati, siue episcopus intersit siue non. Ergo cum precipitur dicendum ecclesiæ indistinctè, non intelligitur communitas, siue caput uelit esse siue non. Vnde sciendum est, quòd licet ex ui uocabuli dic ecclesiæ, significet dic conuocationi proculdubio fidelium, ex contextu tamen literæ (quia subditur. amen dico uobis quecunq; solueritis super terram &c.) sumitur quòd non de quacunq; conuocatione fidelium, sed de auctoritatiua intelligitur, alioquin conuocatio fidelium mediolan. sine eius prelato haberet a domino potestatem iudicandi &c. Perinde ergo est dic ecclesiæ, & dic auctoritatiue conuocationi. Constat autem inductiuè in singulis ecclesiis, quòd auctoritatiua conuocatio non est, ubi prelatus illius conuocationis deest, igitur nec auctoritatiua conuocatio omnium fidelium est, ubi omnium fidelium pastor & rector qui est papa, deest omnino. s. tam per se quàm per alium. Et est sermo de auctoritatiua conuocatione seu ecclesia simpliciter & absolute, & non secundum quid, seu respectu huius, puta papæ heretici deponendi, uel electionis futuræ &c. inquirimus siquidem nunc superioritatem simpliciter & absolute.

Explanatur aũt amplius qđ dicimus. s. quòd in noïe ecclesię ĩ hoc textu clauditur illius ecclesiæ prelatus. Quia si nõ includitur prelatus illius, oportet alterũ duorũ dicere, aut quòd cõitas fidelium in ecclesia aliqua particulari habeat ẽt inuito episcopo a domino iurisditionis potestatem excõmunicandi &c. aut quòd nõ de cõmunitate sit dictũ, dic ecclesiæ. & similiter quòd non est ei dictum, quecunq; solueritis super terram &c. Sequela patet, quia ecclesiæ data est auctoritas. & si nomine ecclesię intelligitur communitas, ipsa cõitas uelit nolit, episcopi auctoritatem habet, & si non habet, relinquitur ꝙ ipsa non significat ecclesiæ noïe hoc in loco. Primũ aũt horũ affirmari nõ potest, secũdũ igitur est uerũ. In

cuius signum sacrorum Doctorum ei consonat glosa. dic eccle-
siç. i. prælato vt capiti conuocationis. Iuxta hunc etenim sen
sum etiam ipse qui est Papa, dicere potest crimen alterius eccle
siç.i.autoritatiue conuocationi, ut Nicolaus Papa xj. q.iij.cap.
præcipue. Lothario regi comminando scribit. Nec obstat quòd
ipsemet sit illius caput, quia hoc est per accidens. s.quòd denun-
cians,& prælatus conuocationis coincidant in vnam & eandem
personam. Et si bene contextus Euãgelij notetur, ubi uult do-
minus autoritatiuam conuocationem adhiberi, in qua ex plura
litate conuocatorum consilij vigor, ex autoritate autem præ-
lati autoritas iudicij inueniretur. Propter quod, etiam conuertit
sermonem ab ecclesia ad prçlatos. cum.n.prius de ecclesia dixis-
set, dic ecclesiæ,& si illam non audierit, &c. non subdidit. amen
dico uobis, quicquid solucrit ecclesia super terram, sed subdi-
dit, amen dico uobis, quicquid solueritis. insinuans per hoc cõ
muni quidem conuocationis concilio correctionem tractandã:
prçlatorum autem autoritate soluendum ligandumq; (iuxta cõ
clusa) per ecclesiam esse. Pluraliter autem dixit solueritis, uel
propter pluralitatem conuocatorum ad tractandum, & conclu-
dendum, uel propter pluralitatem capitum in pluribus ecclesiis
de quibus indistinctè dixerat dic ecclesiæ.

DISCVTITVR, AN DOMINVS PER ILLA VERBA *Matth. 18. dederit immediate potestatem ecclesiæ, & quantam ei dederit* Cap. 4.

QVAMVIS autem ex ecclesiæ in hoc textu suppositione,
& significatione, manifestum sit, quòd ad ecclesiam uni
uersalem non restringitur præsens litera, sed quòd indistinctè de
ecclesia est sermo, adhuc tamen obscurum remanet, & propte-
rea declarandum, an dominus immediate dederit potestatem iu
risdictionis ecclesiæ indistinctè, & quantam autoritatem eidem
dederit. Est autem ratio obscuritatis in primo, quia si dominus
dedit immediate potestatem iurisdictionis ecclesiæ fratris pec-
cantis in me, cum qualibet ecclesia sit talis, sequitur quòd quæ-
libet ecclesia habeat immediate potestatem iurisdictionis a do-
mino, quod non bene sonat. si autem non dedit omni ecclesiæ
fratris peccantis in me, cum non sit maior ratio de una quàm
de reliqua, nulli dedit in hoc textu, quod non admittitur. Non
autem

autem obſcuritatis in ſecundo eſt, quia equalem poteſtatem cō tinent uerba dicta in hoc textu eccleſiæ, & uerba dicta Petro.ſ. quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Nō conſonat autem equales eſſe in eccleſia Dei poteſtates iuriſdictionis non habentes in eadem aliquam tertiam ſupra ſe, principatuum.n.pluralitas mala eſt.

PRINCIPIVM autem huius claritatis ſumendum puto a deſtructione ſenſus opinati, ut uel ſic veritas eluceſcat. Dicendum eſt ergo primo, quòd ipſum dominum dare immediate poteſtatem illam, quæcunque ſolueritis, communitati uniuerſalis eccleſiæ, repugnat ordini inter papam, & eccleſiā, quia (ut dictū eſt) ponit duas equales intenſiue poteſtates iuriſdictionis in eccleſia, non habentes tertiam ſupra ſe in eadem eccleſia, a domino immediate ordinatas.ſ.communitatis eccleſiæ vniuerſalis, & Papæ. Patet ſequela ex textu Matth. 16. & Matth. 18. ubi (ut dictum eſt) eadem uerba utrique dicta leguntur. Et licet hoc ſit ſecundum ſe inconueniens, maius tamen oſtenditur, ſi attendamus quomodo Chriſtus æterna ſapientia, principatuum pluralitatem in eccleſia inſtituit, quomodo mutuo ſeſe impedirēt duæ poteſtates, quomodo perplexæ eſſent oues Chriſti, uel libere contrariæ pręcipientibus, ut aut obedirent alteri ad libitum, aut neutri, aut utrique ad contraria, quod eſt impoſsibile. Et quod amplius eſt.ſi hæc etiam poneretur data immediate poteſtas uniuerſali eccleſię, unde ſibi poteſtatem ſupra Papam habentē equalem communitas eccleſiæ uendicaret, cum par in parem nō habeat imperium? Cum.n.poteſtas intenſiue ęqua ſit, qua ratione eccleſia ſupra Papam, quia membrum eius iuriſdictione haberet quia dictum eſt. ſi peccauerit, &c. dic eccleſiæ, eadem ratione, quia eccleſia eſt ouile Papæ, quia dictum eſt. fiet unum ouile, & unus paſtor, Papa ſupra eccleſiæ communitatem iuriſdictionem haberet, aut neuter ſuper alterum. Dicendum eſt ſecundum, ꝙ ipſum dare immediate poteſtatem illam, quæcūq; ſolueritis, &c. communitati cuiuſcunque eccleſiæ, repugnat conſuetudini eccleſiæ (& eſt ſemper ſermo de communitate eccleſiæ ut aduerſarij intelligunt.ſ.ſiue prælatus adſit, ſiue non omnino.) Patet hoc ex communi eccleſiæ conſuetudine, qua talis communitas inuito ſuo epiſcopo, & Papa non poteſt abſoluere & ligare, quæ tamen poſſet, ſi a domino immediate heberet poteſtatem cōmu-

nitas cuiusq; ecclesiæ. Dicendum est tertiò, quòd ipsum dare immediate illam potestatem. quæcunque solueritis super terram erit, &c. in sua amplitudine ut sonat cuicunque ecclesiæ auctorizatę proprio capite, nisi cuius propriũ caput est Papa, repugnat ecclesiarum ordini essentiali, & earum professioni. Ordini quidem, quia si ex hoc loco summa auctoritas cuicunque ecclesiæ auctorizatæ proprio capite (ut dominus loquitur) indistinctè data asseritur a domino immediate, oportet dicere duo. primo, quòd quælibet ecclesia immediate habet autoritatem a domino secundo, quòd quælibet ecclesia habet ęquale intensiue a domino potestatem iurisdictionis, quàmuis extensiue una excedat alteram, & uniuersalis ecclesia omnes. Et cōuincitur sequela utrique, quia ecclesię indistinctè immediate & equaliter datum est (ut patet in litera, & ex dictis) & non magis uni, quàm alteri, ut patet ibidem. Et ex hoc sequitur ulterius utraque pars contradictionis. s. quòd una ecclesia est superior simpliciter, & non est superior simpliciter altera. Nam ex eo quòd quęlibet ecclesia habet a domino in suos potestatem, sequitur quòd ecclesia una, puta uniuersalis est superior simpliciter qualibet ecclesia particulari (utpote eius membro) ac per hoc potest disponere, & ordinare de illa, & ordinare aliquid de illius potestate, irritando si secus factum fuerit. Ex eo uero quòd quęlibet ecclesia habet a domino immediate potestatem equalem intēsiue, sequitur ꝙ ecclesia uniuersalis nō potest aliquid subtrahere potestatis iurisdictionis ecclesiæ particularis, potestas. n. data alicui a principe, non potest ab inferiori auferri. Et consequenter sequitur, quòd ecclesia uniuersalis non est simpliciter superior secundum potestatem iurisdictionis respectu ecclesiæ particularis, superioris. n. potestatis iurisdictionis simpliciter est posse irritare inferioris actum, si hoc faciat. Reliqua inconuenientia quæ sequuntur ex equalitate intensiua potestate iurisdictionis in qualibet ecclesia (utputa quòd subditus non tenetur magis uniuersali quàm particulari obedire, quòd par in parem habet imperiũ, quòd quicquid ab una fit, a reliqua potest impediri, & reliqua) uiris mediocriter doctis relinquo deducenda. Professioni autem ecclesiarum hoc repugnat, quia Papa reseruante, uel prohibente, &c. ecclesiæ reliquæ potestatem iurisdictionis in reseruatis prohibitis, &c. se non habere confitentur, quod non uerè dicerent si illam potestatem a domino immediate accepissent. Et est sermo

ſemper in huiuſmodi de dare ordinario iure poteſtatem.

Ex QVIBVS omnibus collige, cum hæc poteſtas tam ampla ſoli Petri eccleſiæ conueniat, & hæc uerba non ſoli Petri eccleſiæ dicta ſint. quòd per hæc uerba, aut nulla ordinaria poteſtas iuriſdictionis data eſt, aut non tam ampla ut eſt illa data Petro. Et uerè ſic eſt. Verba ſiquidem domini manifeſtæ continent poteſtatem iuriſdictionis in eccleſia (nec hoc vertẽdum eſt in dubium) ſed non continent quòd per ipſa data ſit a domino talis poteſtas, ut diſcurrendo per ſingula, & ratione manifeſtatur. Diſcurrendo quidem per ſingula, nam per illud uerbum, dic eccleſiæ, nulla datur poteſtas, ſed præcipitur denunciatio. perinde.n.eſt, dic eccleſię, ac dic iudici, ubi patet non dari iuriſdictionem, ſed pręcipi denunciationem. Per illud uero, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, cum perinde ſit, ac ſi iudicem non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, manifeſte patet nullam dari poteſtatem, ſed in caſu pertinaciæ euitationem illius a domino indici. Per illud demũ. amen dico uobis; quęcunque ſolueritis, &c. nullam ẽt dari tũc poteſtatem ex eo patet, quòd nec Petro ex eiſdẽ uerbis (.ſ. quicquid ſolueris, &c.) ulla data eſt tũc poteſtas, ſed poſt reſurrectionem domini, cum dictum ei eſt, paſce oues meas.

Ratione autem. Nam poteſtas iuriſdictionis contenta in his domini uerbis, aut eſt data tunc eccleſiæ, cui dominus loquitur aut non eſt data tunc, inter hæc.n. cum contradictoriæ opponãtur, non datur medium. Si non, habetur intentum. Si eſt data tunc eccleſiæ, ergo cuilibet collectioni ſeu conuocationi fideliũ cui eccleſiæ nomen ueræ conuenit, data eſt a domino immediate poteſtas illa iuriſdictionis, hoc autem ſpectat ad hæreſim pauperum de Lugduno, dicentium, ꝙ ubi ſunt fideles congregati in nomine domini, ibi eſt poteſtas, eo quòd poteſtas ſequitur ſanctitatem perſonę, ſolum.n. differt ab ea ſecundum vnum & multa. Sequela autem patet, quia dominus indiſtinctè de eccleſia loquens, ad quamcunq; eccleſiam peccantis fratris præceptũ ſententiamq; extendit. Conſtat autem collectionem ſeu conuocationem fidelium ſine prælato aliquo inter eos eccleſiæ nomen uere habere. Et confirmatur ꝙ de taliũ collectione oporteat iſtos concedere eccleſiam ibi dici; quia quod eſt, non ſit, & habenti non datur quod habet. ſi ergo eccleſia per hæc ſit habens poteſtatem, ipſa non habet illam. ergo illa collectio in ſermone eſt,

quæ

quæ non habet autoritatem, sed hinc accipit. Et cum non sit maior ratio de una quàm de alia, sequitur idem quod prius. s. ꝙ quęlibet fidelium collectio a domino, hinc habuerit autoritatem iurisdictionis. Si dicatur, quòd ecclesiæ nomine intelligitur hic collectio fidelium autorizata, tunc currit ratio prius dicta de ordine essentiali ecclesiarum. Et obstat ipsum dare, quia habenti non datur, & quod est potestatem habens, non fit potestatem habens.

QVIA igitur ex præditis patet, quòd auctoritas iurisdictionis in uerbis domini continetur, & non est per hæc uerba data: dicendum est, quòd per hæc uerba dominus ultra præceptum de correctione fraterna, denunciatione illiusque ordine, efficaciam ecclesiasticæ potestatis iurisdictionis ad literam expressit per illa uerba. si ecclesiam non audierit, &c. & quæcunque solueritis super terram, &c. ostendit. n. tantæ efficacie ecclesiæ esse sententiam, ut indubie a nobis seruanda, & in cœlo rata sit. Et hoc solum per illa uerba dominus fecit: potestatem. n. ecclesiæ alias supponebat. Et potest admitti quòd promisit illam per illa uerba, quæcunq; solueritis, sed ad utrūq; horū. s. quòd potestas supposita est, & promissa, sat est, si quādoq; data est. & similiter quo ad modum, si mediate, uel immediate data est. Petro siquidem, ac per hoc eius ecclesiæ immediate potestatem dedit post resurrectionem dicens, pasce oues meas, reliquis uero ecclesijs mediante Petro secundum cursum ordinarium, quàmuis dispensatiue mediantibus alijs apostolis, quibus potest concedi hoc esse permissum. Est ergo sensus literalis uerborum domini, quòd tanta esset futura ecclesiæ cuiusq; autorizate potestas in sibi subditis ut sic, ut sententia eius, & coram hominibus, & in cœlo esset ualida. Et hic sensus est amplectendus, utpote cui omnia cōsonant, & series textus, & sensus uerborum, & auctoritates sanctorum, & consuetudo ecclesiæ, & euitatio omnium inconueniē tium, quæ omnia propter iam dicta hic, & in libello illo prosequenda omitto. Satis enim patere puto hęc, & quòd promissioni domini sufficiat exhibitio, quam mediante Petro ordinarie, & mediantibus alijs Apostolis per uiam legationis omnibus ecclesijs fecit.

QVOMODO ECCLESIA HABEAT POTESTATEM *iurisdictionis, quæ in uerbis domini continetur, an scilicet ratione suæ totalitatis, an ratione partis. Cap. 5.*

QVIA autem constat ecclesiam: de qua dominus loquitur, habere potestatem iurisdictionis: quantuncunq; per illa uerba non sit ei data, & varijs modis intelligi hoc potest: opor tunum uidetur discutere modum, quo potestas iurisdictionis est in ecclesia. Sciendum igitur est, quòd dupliciter potest intelli gi ecclesia, ad literam cui peccatum fratris peccantis dicendum mandat dominus, habere potestatem iurisdictionis in foro exte riori (de quo est sermo) iuxta duos modos quibus de ecclesia, quę quoddam totum significat, aliquid uerificatur. Primo ratio ne partis. Secundo ratione ipsius totalitatis seu totius. Sicut de homine, qui etiam quoddam totum est, dicimus ꝙ uidet ꝙ au-dit, &c. & uerificatur ratione partis: quia uidet per oculum, au dit per aurem, &c. & rursus dicimus de eodem, ꝙ perfectissimũ est animalium, quòd est animal politicum & huiusmodi, & ueri ficatur ratione ipsius totius, ut patet. Et quidem ꝙ de ecclesia ratione partis (puta capitis) uerificatur ꝙ habet potestatem iu-risdictionis soluendi, & ligandi in foro exteriori, dubium non est. & sic solum (ut probabitur amplius) ad literam uerificari po test sermo Euangelij, quòd ecclesia habeat potestatem. Quod autem de ecclesia ratione ipsius totius hoc uerificetur, multipli citer imaginari potest. Primo accipiendo ecclesiam quasi totũ Homogeneum. i. similis naturæ per totum, prout ecclesia est col lectio fidelium, omnes. n. fideles inquantum fideles, unius sunt naturæ. Et sic esset sensus, ꝙ ecclesia. i. collectio fidelium habet potestatem iurisdictionis, &c. Et si in hoc sensu intelligatur, dic ecclesię, sequitur ꝙ cum in fide non sit differentia sexus & status quòd ecclesia laicorum, & feminarum haberet iurisdictionem in foro exteriori. Et tenet sequela, tum quia oẽs fideles sunt eiusdẽ naturæ. tum quia si contingat in aliqua ecclesia mori clericos omnes, remanet ibi uerè ecclesia in hoc sensu. i. collectio fideliũ, & consequenter secundum istam phãtasiam, illa haberet potesta tem excommunicandi. Immo si bene consideretur sumendo ec-clesiam, ut totum Homogeneum, quoniam fides sola est eius na tura, accidit illi toti, ꝙ aliqua eius pars sit status clericalis, quia

in illo toto ut sic potestas ponitur secundo ergo potest intelligi sumendo ecclesiam ut totum Eterogeneum.i.dissimilis naturæ, prout ecclesia constat ex omnibus membris officialibus (puta episcopo, sacerdote Diacono, uel alijs quomodolibet assignandis membris) hoc.n.totum est quasi corpus constans ex oculis, manibus, &c. Et sic esset sensus, dic ecclesiæ.i.conuocationi integre membrorum ecclesiæ. Et si in hoc sensu intelligatur, quòd ipsum totum ratione suæ totalitatis habet potestatem iurisdictionis, obstant tria. primo quòd equalis potestas intensiue poneretur in qualibet ecclesia, quoniam una tantum potestas a domino nominata est, & non magis de una quàm de alia ecclesia, ut patet in litera, & ex antedictis. secundo quòd esset maior intensiue potestas in ecclesia quàm illa, quodcunq; ligaueris super terrã, &c. Et tenet sequela, quòd potestas totius ecclesiæ ratione suæ totalitatis ponitur superior etiam respectu Papatus. Fallitas autem consequentis patet etiam ex uerbis domini eadem uerba replicantis, quæ Petro dixerat. s. quæcunq; solueritis super terrã. tertio, quòd non esset data a Christo immediate Matth. 18. quòd tamen est totum fundamentum istorum. Et tenet sequela, quia tunc non erat institutum sacramentũ ordinis, quòd constat esse institutum simul eucharistiæ sacramento, pridiæ quàm dominus pateretur. Non igitur dedit dominus tunc ecclesię. i.cõitati sacerdotum, diaconorum, & episcoporum (qui integrant genera le concilium) potestatem iurisdictionis, quia non erant sacerdotes, nec diaconi, nec episcopi, nec clerici, nõ enti aũt nihil datur. Et si dicatur quòd dominus tunc non dedit, sed promisit se daturum in illis uerbis. quæcunq; alligaueritis, &c. Habeo intentum quòd nullibi in sacra scriptura habetur, quòd dominus per semet ipsum immediate ecclesiæ communitati potestatem iurisdictionis dedit. Et si instetur, quia quod promisit seruauit. Patet responsio, quòd non promisit per semetipsum immediate se daturum (ut patet in litera) & ideo non oportet, quòd hoc obseruauerit. satis nãq; fecisset pioinissioni suæ, sicut in ueritate de facto uerificauit illa uerba sua mediante Petro in uniuersis ecclesijs.

Quia igitur de ecclesiæ communitate quomodolibet sumatur, non uerificantur ratione suæ totalitatis uerba domini Math. 18. in quibus totum fundamentnm ex autoritate scripturę, & tota aduersariorum opinio stat in hoc, quòd communitas ecclesiæ ratione suæ totalitatis habet potestatẽ ĩmediate domino:

consequens est ut uerba domini verificentur de ecclesia ratione partis (puta capitis) ut prædictum est. Et propterea communis animi conceptio fidelium est, dic ecclesiæ. i. prælato ecclesiastico, ratione cuius ecclesia ipsam potestatem habet.

QVOMODO POTEST (CONDESCENDENDO MVLTORUM *sensui*) *intelligi quòd ecclesia ratione suæ totalitatis habere potest & habet quandoque potestatem aliquam iurisdictionis.* *Cap. 6.*

OBSERVANDVM quoq; est, ne fallamur, uidentes quandoq; autoritatem iurisdictionis ecclesiasticæ in ecclesia ratione suæ totalitatis, & propterea falsa iudicemus prædicta. Nō enim docuimus aut docemus non conuenire ecclesiæ potestatē quandoque ratione suæ totalitatis, sed sic non esse datā ei a domino Iesu Christo immediate per illa uerba Matt. 18. Non nego n. ꝙ episcopi orientales conuenientes, possint simul quasi unum corpus & unam autoritatem ex suis conficere, se etiam singulos subijciendo illi, & sic illa potestas in toto illo corpore ratione suæ totalitatis existens, statuet supra illas ecclesias, actusq; iurisdictionis exercebit. Sed tamen nihil poterit illa potestas, nisi quod ex potestatibus singulis & illarum subiectis consurgere potest. Propter quod si esset aliquid reseruatum Ro. Pontifici, non posset potestas illa absoluere ab illo. Et similiter omnes uniuersi orbis prælati, mortuo summo Pont. uel sine illo, si coueni rent communicando in unum corpus, & unanimes in constituē do, constituerent in tota synodo illa potestatem unā super omnes ecclesias, his tamen exceptis, quæ summi Pont. sunt propria. Simili quoque modo cum Papa cum reliquis prælatis orbis concilium celebrando simul cum eis constituit, absoluit dānat, &c. communicando cum alijs quasi vnus ex eis, facere uidetur. In his enim omnibus & similibus non est aliqua potestas immediate data a Domino Iesu Christo ipsi communitati primo, nec est aliqua extranea potestas a potestatibus partialibus, sed uelut potestas totalis consurgens ex partialibus. Quemadmodum enim in naturalibus inuenitur differre forma a forma dupliciter, scilicet ut una forma separata ab alia, ut forma solis a formis mistorū, & ut forma totius a forma partis, ut humanitas ab anima hominis: ita potestas Papæ differt ab alijs primo modo, & potestas

testas synodi differt ab his ex quibus accumulatur, secundo modo. Et ista potestas in tota synodo per uiam cōmunionis seu accumulationis in cōmuni a singulis partibus liberalius uel minus liberaliter, prout partibus & præcipuè principi uidetur, qui nunquã totam suam autoritatem accumulare in cōmuni intelligitur, sed quantum ad illa tractanda expedit. In cuius signum non intelligitur se subijcere synodi potestati coactiue, quantúcũque statutis synodi consentiat, cōmunis omnibus ecclesiæ personis. Et ex hoc patet, quòd si tota ecclesia secluso papa aliquem præficeret curæ ecclesiæ, ille esset subditus papæ, nec posset a casu papali absoluere, quod non esset, si ecclesia haberet uniuersalẽ & plenam potestatem imediate a Christo ratione suæ totalitatis secluso papa. Et similiter papa potest quantum est ex potestatis autoritate, tollere statuta concilii generalis etiam de consensu & autoritate sua facta, quod non esset, si ecclesia integra ratione suæ totalitatis haberet potestatem uniuersalem & plenam a domino Iesu Christo. Ex omnibus autem dictis euulsam iam esse radicem ex iure diuino opinatam potestatis ecclesiæ supra papam liquido apparet.

Apologiæ secunda pars.



ET SIC cum utriusque iuris, naturalis.s. & diuini, fundamentum ademptum sit, ad singula obiecta descendendum est.

CAPITVLVM PRIMVM.

DIXI in cap. 3. illius libelli dominum ordinasse sic ecclesiæ regimẽ, ut Petrum summũ Pontificem instituerit, a quo uia ordinaria in reliquum ecclesię potestas deriuaret, & quòd ipse dominus uia preuentionis gratuitæ apostolis alijs potestatem dedit.

OBIICITVR CONTRA. In ecclesia fuit potestas electiua papæ, antequã Petrus fuerit Papa, ergo cum maiori apparentia diceretur Christum cum fecit Petrum summum Pont. preuenisse ecclesiam, & id ex gratia Petro contulisse quod ecclesia potuisset ordinare ex Christi institutione, quã quòd preuenerit Petrum dando apostolis potestatem. Antecedens probatur, quia potestas electiua est in ecclesia a Christo, Matth. 18. &c.

Respondeo.

Respondeo. quòd assumptum est falsum, nam cum electio papæ sit uicarij principis electio, & ordinarie electio uicarij uniuscuiusq; principis uiui & præsentis spectet ad ipsum principem, consequens est, ut cum dominus usq; in diem ascensionis ut princeps præsens fuerit in ecclesia, ad ipsum ordinarie spectabat tunc electio sui uicarij. Nec unquã inuenitur quòd in Matth. 18. nec alibi dominus dederit ecclesiæ ius eligendi suum uicarium ipso pręsente. Vnde dominus non præueniendo, sed instituendo & exequendo quod promiserat Matth. 16. tibi dabo claues regni cœlorum &c. & Ioan. 10. fiet unum ouile & unus pastor, Petrum papã & papatũ simul instituit. Rursus (ut per antedicta patet) Matth. 18. potestas electiua papæ non est data ecclesiæ. Quomodo autẽ & unde potestas electiua papæ sit in ecclesia, inferius in ca. 22. dicetur. Et aduerte hic, quòd præuentio quam ego dixi, super ipsius ecclesiæ & sanctorum determinatione fundatur. Quòd enim a Petro ordinarie potestas in reliquum ecclesiæ corpus deriuanda sit, leo in ca. ita dominus di. 19. manifestat. Quòd etiam dominus ipsum ordinaria uia instituerit, ex hoc quòd non ipsum solum, sed in ipso omnes successores suos instituit habetur, hoc. n. statuentis non præuenientis est sicut per oppositum, quia reliquos apostolos in proprijs tantum personis, & non in successoribus suis legatos uniuersales fecit, ad præuentionem gratuitam spectat. Hæc enim ecclesia fatetur, petri solius successorem uniuersali potestate cognoscens. Et per hoc etiam patet non fuisse in ecclesia ante institutum Petrum papam, potestatem electiuam papæ. Nam tantam potestatem habet nunc quantam tunc, cum papa non possit illam auferre, & dominus qui instituẽdo dederat, eam statim non diminuerit præueniendo secundum illos in institutione petri. Quemadmodum igitur poterat tunc quem libet alium episcopum in papam eligere, ita mortuo petro qui ex gratia factus fuerat a principe, potest alium episcopum quã romanum papam instituere. Et sic Ro. Pontifex recognoscere debet se prælatum ceteris ab ecclesia, hoc illi concedente, non auferendo saltem, cuius tamen oppositum docet pelagius in ca. quãuis di. 21. Sancta Ro. ecclesia catholica & apostolica, nullis synodicis constitutis ceteris ecclesijs prælata est, sed euangelica uoce domini & saluatoris primatum obtinuit. Amplius. Si dominus ĩmediate dedit hanc potestatem electiuam papæ uniuersali ecclesię, qua pręsumptione clerus romanus & populus eius &c.

usurpa-

usurpauerunt sibi hanc potestatem electiuam papę tanto tempore antequam institutum aut approbatum fuerit per generale concilium de electoribus? qua conscientia tot sancti uiri electionem toti ecclesiæ a Christo commissam irrequisitis alijs a paucissimis tractauerunt, fecerunt, acceptauerunt, exercuerunt? Sed de his latior erit sermo. Hæc autem dicta sunt ad ostẽdendam falsitatem assumpti in hac obiectione.

Dixi in ca. quarto eiusdem, quòd pręualuisset sententia Ioã. &c. Sed obiectio. contradictionis proprie in ca. 13. tractabitur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Dixi in ca. sexto eiusdem, papam esse caput ecclesiæ uniuersalis, non solum singulorum membrorum, ut inimici ueritatis glosant.

Obiicitur contra hoc dupliciter. Primo, quia falsum est papam esse caput ecclesiæ uniuersalis collectiue sumptæ.

Tum, quoniam ecclesia non est Petri, sed Christi, iuxta illud Matth. 16. super hanc petram edificabo ecclesiam meã, nõ tuam.

Tum, quia papa est minister ecclesiæ, non dominus, ecclesia autem est cui ministratur, ac per hoc maior, iuxta dictum saluatoris, maior est qui recumbit quàm qui ministrat.

Tum, quia omnes autoritates dicentes papam esse caput ecclesiæ, intelliguntur de ecclesia pro singulis ecclesijs particularibus, respectu quorum est caput ministeriale, & non pro tota ecclesia collectiue.

Secundo, quia licet concedatur Petrum esse caput ministeriale etiam totius ecclesiæ uniuersalis, non tamen oportet omnem proprietatem capitis in eo saluari, & specialiter superioritate in autoritate respectu totius residui. Et hoc pręcipue, quia tota ecclesia non dicitur corpus Petri, sed corpus Christi, ut patet ad Ro. 11.

Et confirmatur hoc. quia rex dicitur caput regni, non tamẽ propterea est regno congregato superior, sed qualibet eius parte.

Respondeo. Et ad primi quidem probationem primam, quod ecclesiam non esse petri sed christi, non arguit petrum non esse caput eius: sed petrum non esse caput illius ex se, sed loco christi: ut patet. Ad secundam uero probationem, quod petrum esse ministrum ecclesię ut cui ministrat, non est esse inferio-

inferiorem potestate, sed exercitio, unde ipse dominus de seipso dicit, quòd uenit ministrare, & papa uocat se seruum seruorum dei. & sic est in ueritate. Ecclesiam autem esse maiorem papa ut finis est maior eo quod est ad finem, uerificatur quòd est esse melius, in his.n. quæ non mole magna sunt, idem est maius quod melius secundũ Aug. papatus siquidem est propter ecclesiam. & non econtra. Vnde ex hoc, quòd papa non est dominus sed minister, & ecclesia maior bonitate & nobilitate, nihil habetur contra potestatem capitis, contra quã tenditur. Ad glosam demum cõmunem, dicitur quòd licet multę auctoritates possent sic glosari, non omnes tamen sunt illius capaces, ut in libro ostẽsum est.

Ad secundum autem dicitur, quòd ecclesiam non esse corpus petri, sed Christi, uerum est, quia Christus non solum caput mysticum eius, sed mysticum suppositum ipsius est, ut patet ad Ephe. 1. Vbi de Christo duo dicuntur. s. quòd est caput ecclesiæ, & quòd ecclesia est corpus eius. Et primæ ad Cor. 12. expresse dicitur. sicut. n. unum corpus est, & multa membra habet, omnia autẽ membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Ex hoc autẽ, quòd ecclesia est corpus Christi & non Petri, non sequitur quòd Petrus nõ sit caput loco Christi, sed quòd Petrus non sit ille, qui operatur per membra huius corporis, sed Christus, qui per Petrum & ceteros operatur. Et similiter non sequitur, quòd illud caput loco Christi non sit superius auctoritate residuo corporis Christi, ut manifestè liquet.

Ad confirmationem dicitur dupliciter., Primo quòd nullus dicit, quòd ex esse qualitercunq; caput alicuius multitudinis, sequatur potestas iurisditionis super illa multitudine, cum multipliciter aliquid posit dici caput alterius metaphorice. Papa autem est sic caput, quòd est pastor, episcopus & rector totius ecclesiæ, & non solum singularum, ut auctoritatibus & ratione ibi probatum est. Dicitur secundo, quòd sicut rex est caput regni, ita superior eo. & proptérea rex qui dependet a regno collectiue, nõ est caput illius, & ideo non est superior eo, sed singulis partibus. Rex autem qui etiam a regno collectiue non dependet (ut est regnum) est caput etiam totius congregati, & superior eo. Vnde arguere ab esse caput in rege dependente a regno, ad esse caput in papa, non est rectum. eo quòd papa non dependet a regno ecclesiæ, nec uices ecclesiæ gerit sicut rex talis uices regni, sed solius Iesu Christi uicarius est.

Dixi in eodem cap. 6. quòd poteſtas electiua ipſius Papæ in Papæ poteſtate eſt. Sed quia in cap. 22. latius tractatur, ibidem obiecta ſoluentur.

CAPITVLVM TERTIVM.

DIxi in eodem cap. 6. quòd non eſt maioris autoritatis concilium autorizatum a Papa, quàm ipſe Papa.

Obiicitvr contra. Primo ex gloſ. in cap. legimus xciij. diſt. Statuta concilij generalis præiudicant ſtatutis Papæ, ſi contradicant. Secundo, quia conſtitutio Calcedonenſis concilij præualuit reclamationi Leonis de Conſtantinopolitana ſede, ut patet in cap. antiqua. de priuilegijs, & xxij. di. renouãtes. Tertio quia conſuetudo generalis eccleſiæ pontificale ſtatutum abrogat.

Respondeo. Et de gloſa primo dico, quòd ipſamet non aſſertiue dicit illam ſententiam, ſed argumentum ad illam dicit, ut patet etiam ex ſeipſa in cap. nemo q. ix. ad quam ſe remittit. Secundo dicitur, quòd uerificatur de ſtatuto concilij ſuperuenientis ſtatuto Papæ: quoniam quemadmodum ipſemet Papa ius condendo priori contrarium, illud tollit (ut patet in cap. licet in vj.) ita etiam concilij autorizati a Papa conſtitutio, Papæ conſtitutionem priorem contrariam tollit. De uigore aũt concilii circa ſedem Conſtantinopolitanam, dicitur quòd non concludit ſuperioritatem concilij ſupra Papam, ſed tolerantiam papæ. Videmus. n. continue prælatos cedere multitudini magnatum, quãmuis ſi ptãte uti uellent, compeſcere poſſent. Quãmuis de reclamatione Leonis nihil in capitulis illis habeatur. imo ibi humilis eſt locutio dicentium, petimus, &c. De ui autem conſuetudinis uniuerſalis, dicitur quòd ſi hoc cõcluderet eccleſiã ſupra Papam, concluderet ẽt eccleſiam ſupra ſeipſam eccleſiam: quoniam ẽt ſtatutũ vniuerſalis eccleſię, generalis conſuetudo abrogat. unde abrogatio iſtiuſmodi nõ fit ptãtiue, ſed executiue ex parte eccleſiæ, & negatiue ex parte principis, quia. ſ. non cogit.

CAPITVLVM QVARTVM.

DIxi in eodem 6. c. quòd ſi eccleſia, hoc eſt cõitas eccleſiæ ſecluſo Papa haberet ptãtem ſupra Papã, quòd eccleſiæ regimen eſſet democraticum ſeu populare, in quo tota autoritas apud nullum reſidet, ſed in tota communitate.

Obiicitvr contra ſequelam. quia non dicitur regimen regale, in quo ſit unicus toto reſiduo ſuperior (quia tunc non

esset in ciuilibus aliquod regimē regale) sed quia est unicus, qui totius populi uices gerit, quolibet particulari superior.

RESPONDEO. quòd sequela est optima formaliter intellectis terminis; quia si in tota communitate sola, est autoritas, ergo ut sic constituit regimen populare, quàmuis inquantum aliquem unum preficit, constituat aliam speciem regiminis. Rursus sequela est optima de supremo regimine ecclesię, de quo est quæstio, quoniam si in tota communitate, & sola est uniuersalis ecclesię potestas, summum regimen, summumq; tribunal eiusdem, ad quod omnia resoluenda sunt, esset populare, ut patet, quicquid esset de regimine medio per vnum. Vnde si in regno aliquo populus est supra regem, manifestè sequitur, & quòd communitas populi ut sic regimen est populare, & ꝙ summum tribunal est populare, quàmuis exerceat per aliam regiminis speciem (puta per regale) supra alios iurisdictionem suam cōmuniter. Nihil igitur obstant obiecta dictis, quoniam cum regimine regali medio, stat supremum populare, de quo est quæstio. & formalis sermo.

CAPITVLVM QVINTVM.

DIXI in cap. 7. probando ꝙ Papa esset supra communitatē totius reliquæ ecclesiæ, ex illa autoritate, pasce oues meas, &c. quòd Papa est pastor uniuersalis ecclesię, & non solum singularum ouium.

OBIICITVR respondēdo dupliciter. Primo per interēptionem negando. s. hoc. Secundo per limitationem, quòd Papa est pastor totius ecclesiæ quantum ad administrationem pabuli spiritualis, uerbi Dei & sacramentorum. Hæc. n. non exercentur per communitatem sicut actus iuridici.

RESPONDEO. Et negatio quidem, irrationabilis inferius in 7. cap. ratione monstrabitur, nunc autoritate inducta ostenditur. Cum dominus dicit, pasce oues meas, illimitate admittitur, ergo non est limitandum ad singulas, & non omnes, ut negatio ista limitat, nam singulæ, & omnes suæ oues sunt. Secunda autem responsio, aut nihil dicit, aut seipsam interimit. Nam dupliciter potest intelligi concessum, quòd Papa est pastor totius ecclesiæ quantum ad ministrandum uerbum Dei & sacramēta. primo autoritatiue. secundo ministerialiter respectu totius ecclesię. Si autoritatiue, ergo ipse uerè superior, tota ecclesiæ communitate est, nam autoritatiue pascere uerbo Dei, & sacra

mentis,

mentis, est actus superioris absolute respectu illius qui sic pascitur, ut patet inductiue. & sic responsio interimit seipsam. Si autem ministerialiter, ergo non habet Papa ex se in pascendo plus quàm in actibus iuridicis, potest siquidē, & actus iuridicos omnes ut minister ecclesiæ communitatis apud istos. & sic responsio nihil dicit. Est ergo Papa uerè pastor autoritatiue uniuersalis ecclesię, & singularū personarū eius in iudicio, & iustitia, & uerbo Dei, &c. uice illius qui pascit omnes in innocentia cordis sui.

CAPITVLVM SEXTVM.

DIXI in eodem 7. cap. ex illa autoritate, fiet unum ouile & unus pastor, quòd Papa est pastor illius ouilis, & non e conuerso.

OBIICITVR, quòd Christus dixit Petro, pasce oues meas, non tuas, & quòd Christus dedit potestatem ouili supra pastorem.

RESPONDEO, quòd Petrum esse pastorem ouium non suarū sed Christi, concludit ipsum esse pastorem non ex se, neque loco ecclesię communitatis (ut obiicientes dicunt) quoniam oues, nec sunt Petri, nec sunt communitatis ecclesiæ, sed loco Iesu Christi, cuius solius sunt oues proprie. Vnde ex hoc nihil aliud habetur, nisi quòd Petrus præest ouili non suo, sed Christi, non ex se, sed loco Christi. Quod autem additur Christum dedisse autoritatem ouili supra pastorem, uoluntarie dicitur, & ipsis uerbis domini dissonat & repugnat. Dissonat quidem, quia ouile illius pastoris ecclesiam constituit. regulare est autem ut pastor præsit ouili, & non econtra. Repugnat autem (ut ibidem deductum est) quia non fieret unus pastor iuxta uerbum domini, sed duo. s. Petrus & ipsum ouile. Et quia de Petro uoce domini constat dicentis, pasce oues meas: & quòd unus tantum sit, eiusdem auctoritate domini patet, consequens est ut alter pastor factus sit contra domini sententiam.

CAPITVLVM SEPTIMVM.

DIXI in eodem 7. ca. quòd non minus Papa est episcopus ecclesiæ catholicæ quàm quilibet episcopus suæ ecclesiæ, ex hac propositione inferendo superioritatem eius super ecclesiam catholicam, & non solum super singula membra, sicut est in alijs episcopis respectu suarum ecclesiarum.

OBIICITVR contra similitudinē. Tum quia episcopus particularis gerit uices uniuersalis ecclesiæ, quę est supra suam cōita

tem. Tum quia ecclesia particularis cui præficitur episcopus, habet superiorem in terris, qui præficit illum episcopum.

RESPONDEO. Et primo quòd ratio non fundatur super similitudine, sed super proprietate huius sententiæ, papa est episcopus ecclesiæ catholicę, quãuis declaretur ex simili, ímo eadẽ ratione in alijs episcopis. Ambrosius est episcopus ecclesiæ Mediolan. &c. Vnde cum ex ista propositione formaliter intellecta, papa est episcopus ecclesiæ catholicæ, sequatur ipsum esse episcopum cõmunitatis ecclesiæ, satis habetur intentum.

Obiecta autem afferunt dissimilitudinem in non causa ut causa. nam in eo quod est esse episcopum catholicæ uel talis ecclesiæ, potest considerari quid importet esse episcopum, & potest cõsiderari a quo fiat episcopus. Et obiecta quidem procedunt considerando a quo fiat uel fieri debet episcopus, ratio autem procedit considerando quid est esse episcopum. Constat autem quòd ad iudicandum de naturis rerum, causa formalis & quòd quid est, concludit efficaciter undecunq; fiant effectiue, siue.n. homo fiat a deo (ut Adam) siue ab alio homine, ut nos, unius naturæ sumus. Et similiter siue episcopus sit a papa, siue ab uniuersali ecclesia, siue habeat superiorem siue non, unius naturæ est inquantum episcopus, quãuis alterius naturæ sit inquãtum subditus. Vnde ut unico uerbo dicatur, ratio de episcopo ut sic loquitur, obiectiones autem de episcopo inquãtum subditus alteri & alterius & ab altero. Propter quod cum papa sit uere episcopus ecclesiæ catholicæ, sequitur ut ibidem dixi, ꝙ est primo episcopus ipsius ecclesiæ catholicæ, & secundario singularium. Tum quia non minus est ipsæ catholicę ecclesiæ episcopus quã Ambrosius episcopus ecclesiæ Mediola. esset.n. longe minus, si non esset episcopus totius, sed singulorum membrorũ tantũ. Tum quia actus ꝓprius episcopi, qui est superintendere, primo fertur super bono ipsius catholicę ecclesiæ, & secundario super bono singulorum, ut patet ex hoc quòd papa ad hoc tenetur sub peccato mortali ex hoc ꝙ est papa. constat autem potestates per actus proprios cognosci.

Nec ad hoc uideo responsionem, nisi diceretur quòd papa habet hunc actum inquãtũ gerit uices uniuersalis ecclesiæ, cui primo conuenit iste actus, & ex eius cõmissione conuenit papę. Sed hæc responsio potest dupliciter intelligi. Primo ꝙ papa habeat hunc actum dependẽter ab ecclesia, sicut rex creatus a regno, & in hoc sensu falsa est, quia sic papa esset uicarius ecclesię, & nõ im

mediate

mediate ipſius Ieſu Chriſti, quod monſtratum eſt eſſe falſum, & amplius monſtrabitur. Secũdo poteſt intelligi, quòd papa habet hunc actum ex ſuo officio, ſupplendo id quod eccleſiæ conueniret, ſi non eſſet ſubdita. Et in hoc ſenſu eſt uera reſponſio ſed nihil obſtat rationi, ut patet.

CAPITVLVM OCTAVVM.

DIxi in eodem ſeptimo ca. quòd papa habet ſupremã poteſtatem in eccleſia dei, & ex hoc deduxi ipſum eſſe ſupra uniuerſalem eccleſiam.

Obiicitvr gloſando, primo quòd poteſtas papæ dicitur ſuprema reſpectu poteſtatũ particulariũ non aũt reſpectu poteſtatis cõitatis totius eccleſiæ. Dicitur ſecundo quòd ex hoc quòd ponitur ſuprema poteſtas in papa, & ſuprema poteſtas in eccleſia, non ſequitur quòd ſint duæ ſupremæ poteſtates in eccleſia dei, quia poteſtas papę eſt propter eccleſiam, iuxta illud, poſuit uos deus regere eccleſiam. ubi autem unum propter alterũ, ibi unum tantum, ut patet in topicis.

Respondeo. Et gloſa quidem allata repellitur ex magna differentia inter ſecũdũ quid & ſimpliciter. De papa aſſeritur ſimpliciter, quòd habet ſupremã poteſtatẽ in eccleſia dei, ut patet in tex. allegato ibi. gloſa aũt ponit papã habere poteſtatẽ ſupremã ſecũdum quid, quia in reſpectu ad aliquas, & non ad omnes poteſtates in eccleſia dei. Repellitur quoq; ex literali expoſitione illius ſuperlatiui ſupremã. poteſt. n. exponi negatiue & poſitiue. i. non habens ſuperiorem, & omni alia ſuperior. & utroq; modo repugnat gloſæ illi. Quod aũt obijcitur ſequelæ, nihil eſt, quoniã ſi cõitas eccleſiæ eſt tãtæ poteſtatis quòd papa ſubeſt ei, oportet quòd obiectum proprium poteſtatis eccleſiæ & obiectũ propriũ poteſtatis papæ ſe habeant ſecũdũ ſupra & ſub proportionaliter ſicut ipſæ poteſtates. Et hoc ẽt ẽ manifeſtũ ex eo quòd cõe bonũ eccleſiæ totius eſt propriũ obiectum poteſtatis cõitatis eccleſiæ, bonũ aũt ſingulorum eſt proprium obiectum poteſtatis papę cõſequenter loquendo, quia poteſtas ſua propria ſecundum illos eſt primo reſpectu ſingulorum. & reſpectu boni cõis totius, papa non intromittit ſe niſi ut utens poteſtate eccleſiæ ut inſtrumẽtum illius. eſſent ergo ueriſſime due poteſtates ſupremæ, & ſubordinate ſimul, quod eſt ridiculum. Ad id uero quod dicitur, poteſtas papæ eſt propter eccleſiam. dicitur quòd ſecundum ueritatem eſt uerum, & nihil iuuat, ſed ſecundum hypotheſim eorũ non

eſſet

esset propter ecclesiã eodẽ modo formaliter sumptam, propter quã esset potestas illa ecclesiæ, quia ista propter ecclesiam collectiue, illa uero propter ecclesiam distributiue. Vnde cum regula ex unitate obiecti non obstet,& potestas non sit propter potestatem sed sub potestate,nõ uideo quomodo obstet regula topica.

CAPITVLVM NONVM.

DIXI in eodem septimo cap.quòd papa est proximus & imediatus uicarius Christi, ergo nullam habet in terris potestatem priorem se, & inde intuli ecclesiam non habere imediate ordinariam autoritatem a Christo,& papam non mediãte ecclesia habere autoritatem &c.

OBIICITVR glosando, quòd papa dicitur ĩmediatus uicarius Christi, quia potestas uicariatus sui, est ĩmediate instituta a Christo & ecclesiæ collata,& non propterea quòd habeat a Christo non mediante ecclesia.ita quòd papa est immediatus uicarius Christi,sicut apud apostolum reges sunt ministri dei in uindictã malefactorum,qui tamen mediante populo fiunt.

RESPONDEO. Et glosa quidem repellitur ex differentia inter medium in instituendo principatum, & medium in principando.differunt.n.hæc sicut cœlum & terra. Et esse immediatum uel mediatum uicarium,non attenditur secũdũ institutionem solam, sed secũdũ ipsum principari. Declaro singula breuitatis causa in exemplis.Christus instituit absq; medio potestatẽ episcopalẽ & sacerdotalem, instituit mediante ecclesia potestatẽ ordinũ minorum, & subdiaconatus secundũ aliquos.in istis est medium in instituendo, in illis nõ. Papa instituit legatum,qui cõmittit uices suas alteri.legatus principatur sub papa absq; medio,uicarius au tẽ legati cum medio in principãdo, dependet.n.principari huius a principatu legati & nõ sola electio ipsius. Ex his autẽ liquet quale mediũ negatur,cum absolute dicitur aliquis ĩmediatus uicarius alicuius principis,quòd.s.negatur mediũ in principando, ut patet inductiue. Vnde cum papa absolute & absq; limitatione aliqua asseritur proximus & ĩmediatus Christi uicarius, negatur medius principatus inter Christũ & Papã inferior Christo & superior Papa,cuius uices gerat Papa.Si.n.medius principatus talis est (ut isti concedunt ponentes ecclesiæ totius cõitatẽ esse talẽ principatũ)licet Papa posset dici uicarius Christi,non tamẽ potest uere dici simpliciter & absolute ĩmediatus uicarius Christi, sed ĩmediate uicarius ecclesiæ,& mediate ipsius Christi. Immediatio

diatio autem institutionis potestatis papæ a Christo, non facit ipsum Papam Christi uicarium immediatum nisi secundum quid. s. secundum potestatis suæ institutionem. Sic. n. quilibet episcopus potest dici immediatus uicarius Christi, quia cuiuslibet potestas immediate est instituta a Christo. constat autem, quòd aliud intēdit determinatio ecclesiæ & sancti patres, cum asseritur Papam immediatum esse uicarium Christi. Vnde ratio stat in suo robore. Ad id uero quod additur de simili in regibus. dicitur quòd non dicuntur proximi & immediati ministri dei, sed uices multitudinis gerendo, dei ministri proculdubio sunt. Longe autem aliter est de Papa, qui non gerit uices multitudinis, sed Iesu Christi.

Et scito quòd inter regem creatum a populo, ut Saul (ut stando in naturali iure fit) & regem datum a Deo, ut Dauid, & Papā factum a Christo, ut Petrus, & Papam electum ab ecclesia, ut reliqui. tanta est in representando populum differentia, quòd rex tā creatus a populo quā datus a Deo, populum & eius potestatem representat, licet nāq; in fieri differant inter se (quia alter a populo, alter a Deo præficitur) in natura tamen officij & potestatis non distinguuntur. Nam quemadmodum organum naturale (puta manus) si fit a Deo miraculose, perinde est ac si esset a natura, ita organum politicum (puta rex) cum est a Deo, perinde est ac si esset a populo. & propterea eius potestatem utroq; modo factus representat & exercet, illiusq; uices gerere dicitur, & nō dei īmediate. Papa autem siue a Christo immediate. siue ministerio ecclesiæ mediante factus, eiusdem etiam est naturæ & potestatis, & non representat potestatem populi ecclesiastici, nec ipsum, sed dominum Iesum Christum immediate, & illius solius uices gerit immediate. Et ratio diuersitatis in rege & Papa est, quia potestas regia naturali iure est in populo primo, & ex populo deriuatur ad regem, potestas autem papalis supra naturam est, & diuino iure in persona unica, non in cōmunitate primo est. statuente Christo Ioan. 10. formam supremi ecclesiastici regiminis in unica persona. cum dixit. alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet unum ouile & unus pastor. & determinante eodem talem formam ad personā Petri in sua perpetua successione Ioā. ult. cum dixit illi, pasce oues meas. Vnde Papa solius Christi uicarius est, & non ecclesiæ. & propterea diffinitum est per ecclesiam, quòd Papa in beato Petro officium suum uniuersale suscepit, ut patet ex allegatis in libello &c.

CAPITVLVM DECIMVM.

DIXI in eodem ſeptimo cap. concluſionem hanc papæ poteſtas eſt ſupra eccleſiam uniuerſalem,& concilium generale ut diſtinguitur contra papam.

OBIICITVR primo autoritate Aug. in epiſtola ad Glorium Eleutium, Fœlicem grammaticum &c. quę inter epiſtolas eſt 162. ubi loquens de depoſitione Ceciliani Carthaginen. epiſcopi, dicit. Ecce putamus illos epiſcopos qui Romæ iudicarunt,non bonos iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium eccleſiæ uniuerſale concilium:ubi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari. ut ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerētur &c.Et inter epiſcopos Romæ iudicantes, comprehendit Melchiadem papam: ut patet ex epiſtola illa.

Ex quibus uerbis manifeſte ſequitur,quòd a Papa & concilio ſimul particulari,poteſt appellari ad concilium uniuerſale, & ſententia eiuſdem ſolui. Secundo autoritate octaue ſynodi canone. 21. cuius pars habetur. 22. di. in ca. diffinimus. ubi dicitur. Vniuerſalis ſynodus cum conuenienti reuerentia,quamlibet queſtionem de Ro. ſede exortam audire tenetur: & in ea proficere; non tamen audacter ſententiam in Romanum pontificem dicere. Ex quo patet quod licet omnem queſtionem de Romàna ſede diffinire habeat ſynodus: id tamen cum reuerentia propter illius eminentiam facere debet. Tertio autoritate Damaſi Papæ,quæ ponitur inter epiſtolas Ambroſij,epiſtola.72. ubi Damaſus dicit reſpondendo.Cum huiuſmodi fuerit concilij capuenſis iudicium: ut finitimi Bonoſo atq; eius accuſatoribus iudices tribuerint, aduertimus quòd nobis iudicandi forma competere non poſſet. nam ſi integra eſſet hodie ſynodus, recte de his quæ ueſtrorum ſcriptorũ cõprehendit ſeries decerneremus. Veſtrum eſt igitur qui hoc recepiſtis iudicium, ſententiam ferre; uicem. enim ſynodi recepiſtis: quos ad examinandum ſynodus elegit, Et infra.Vos.n. (ut ſcripſimus) totius ſynodi uicẽ dei decernitis,nos quaſi ex ſynodi autoritate iudicare non conuenit.

Ex quibus manifeſte patet primo, quòd Papa dicit ſe nõ poſſe de illa cauſa cognoſcere,de qua poſſet, ſi ſynodus adhuc eſſet integra.i. nihil commiſiſſet. Secundo, quòd Papa confitetur non ſolum concilium eſſe eo in iudicando ſuperius,ſed etiam deputatos per concilium,in ea cauſa in qua deputati ſunt.

Quarto autoritate canonis in ca. ſi duo. di. 79. ubi dicitur, quòd

quòd si duo contendunt de papatu, concilium est iudex, ergo habet superioritatem in utrumq;. nullus .n. est alterius iudex ordinarius, quin sit iurisditione superior. Quinto ratione. Papa & reliqui prælati quicquid iudicant &c. faciunt ut ministri ecclesiæ, non solum finaliter (.i. propter ecclesiam) sed effectiue autoritate ecclesiæ, ergo in ecclesia est primo autoritas. Antecedens probatur, quia agere dicuntur secundum intentionem ecclesiæ. Sequela autem est manifesta. Et confirmatur. Quia suffragia quibus priuatur excomunicatus, & indulgentiæ non sunt prelatorum sed ecclesiæ. Et confirmatur iterum. Quia sicut deus condens humanum genus, dedit potestatem regiminis ciuiliș ad finem naturalem, non uni, sed communitati &c. ita regenerans idem ad finem supernaturalem, dedit potestatem spiritualis regiminis ad illum finem communitati ecclesię &c. Et sicut quandoq; præuenit populum dando principem, ut Moysem, ita præuenit ecclesiam dando petrum. Et cõfirmatur tertio. Quia aliter politia ecclesiastica non esset ita bene ordinata sicut ciuilis, nam ista potest prouidere sibi, principe potestate abutente in destructionem. ecclesia autem non posset, si non esset superior Papa. Et confirmatur quarto. Quia ipse Papa esset miserabilior ceteris, si a malo compesci non posset.

Et confirmatur quinto. Quia Papa est ecclesię filius, ac per hoc subditus. Antecedens patet ex Ambro. in lib. de symbolo. non habebit ibi deum patrem; qui noluit habere ecclesiam matrem. Sequela patet prouerb. 10. stultus despicit matrem suam.

Sexto etiam ratione. Si Papa habet potestatem super totum residuum ecclesiæ collectiue, ergo potest aliquem actum iurisditionis in illud totum etiam inuitum exercere. sed hoc est falsum, quia non potest illud totum excommunicare aut interdicere, nec ad aliquid ipso renitente obligare, ut patet per illud Aug. Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium comprobãtur. di. 4. ca. in istis. Septimo. Quia potestas ecclesiastica prius tempore est in ecclesia quam in aliquo summo pont. quia illa fuit instituta & ecclesię collata Matth. 18. ista autem Ioã. ult. petro data est. Et ideo si Christus Petrum Papam non instituisset, potuisset hoc ecclesia facere, committendo ei suam potestatem, nec potuisset illam ab eo auferre; nisi ex causa rationabili, sicut populus potest respectu regis.

RESPONDEO. Ex autoritate illa Augustini non sequitur

concilium esse supra Papam, sed dupliciter argumentum ex illa deficit. Primo. Quia equiuocat de concilio, nam quæstio nostra est de concilio distincto contra Papam seu secluso Papa, quod est concilium acephalum. Aug. autem loquitur de uniuersali concilio cum Papa, ut patet ex hoc, quòd ponit præsentiam iudicum .i. episcorum qui iudicauerant. Constat autem quòd non licet arguere a concilio, ad concilium acephalum.

Secundo deficit. Quia ex hoc, quòd restabat refugium concilij uniuersalis, infertur superioritas, est .n. hic sophisma consequentis. Potest .n. recursus iste haberi propter multas causas .s. exclusionem suspitionis, pleniorem discussionem, maiorem sapientiam, personalem tractatum, & quicquid eiusmodi est, ut patet ex continua consuetudine appellantium ad eundem iudicem (puta Papā) plenius informandum, & causam per alios tractaturum iudices &c. Et hoc consonat literali sensui Augustini. ubi propter præsentiā omnium prælatorum potuisset causa ita discuti, ut etiam iudices qui primo in partibus & qui secundo Romę iudicarunt, personaliter præsentes, rationes iudicij conferre potuissent, & uniuersali omnium iudicio decerni, & etiam dissolui prius male iudicatum. Ad nihil .n. horum exigitur maior autoritas intensiue quàm Papæ, sed sua sufficit cū maiori discussione sapientia &c. ut quotidie uidemus. Est etiam cum his omnibus in concilio uniuersali maior autoritas extensiue, & maior solennitas iudicij, quę omnia sententiam eius omni exceptione maiorem reddere uidentur. Ad secundum ex autoritate octauę synodi, dicitur quòd male exponuntur uerba synodi, dicendo quòd synodus negat modum iudicandi Papam (.i. audacter) & non iudicium ipsum. Et quòd hec expositio sit mala probat, quia li audacter aut importat uitium audacię, aut importat autoritatem. Si primum, cum illud sit uitandum respectu cuiuscunque, & non solum respectu Papæ, riducula esset decisio synodi, quòd ipsa non debet uitiose uel ex passione iudicare Papam &c. Si secundum, haberetur contrarium expositionis allatę.

Vnde literalis sensus est, quòd dicere sententiam in romanum pontificem est audacię uitium, illa siquidem negatio præposita non modum solum, sed totum negat. Dicendo igitur non tamen audacter dicere sententiam in Romanum pontificem, significat quòd non nisi audacter dicere potest sententiam in Romanum pontificem. Sic cum dicimus, quòd de manifestis licet nobis iudicare,

care, de cordis autem occultis non licet nobis tenere diffinire, non intendimus negare modum diffinendi tantum (putà teme re) sed intendimus determinare, quòd ipsa diffinitio de occultis cordis est temeraria. Determinat ergo li audacter naturam iudicij in Papam, sicut li temere in exemplo dato naturam iudicij in cor. Et propterea ex hac auctoritate habetur oppositum eius quod arguentes intendunt. In cuius signum synodus dicit sibi competere audientiam, & progressum in quæstione de Papa cum reuerentia, & de sententia subdidit illam negatiuam, quam non subiunxisset, si etiam sententia cum reuerentia sibi competeret. ipsa quippe distinctio expositionis confutate defectum ostendit. Cum autem legeris hoc, memẽto, quòd sermones morales de ijs sunt quæ regulariter accidunt. In casu quippe heresis pertinacis in Papa, synodi iudicium depositiuum Papæ absque audacia esset.

Ad tertium ex auctoritate Damasi, dicitur quòd neutrum de ductorum ex illa auctoritate sequitur. Nam in illis uerbis non negat potentiam, sed formam iudicandi sibi competere posse. huius negationis, causam reddit, non impotentiam, aut subiectionem suam, sed indecentiam, ut patet in illis uerbis. hoc autẽ familiare est principibus. Quin etiam si dixisset se non posse iudicare, uerum dixisset, a consuetudine principium non recessisset, qui ea se negant posse facere, quæ indecẽter facerent si exaudirent. Constat autem, quòd indecens est determinationes cõcilij etiam prouincialis soluere, quanto magis concilij generalis quorum decreta etiam Papam in foro conscientiæ ligant, non minus quàm propria. unde & secundum sacros Canones ad Romanum Pontificem præcipue spectat seruare statuta patrum.

Et si notaueris eandem autoritatem, contra arguentes facit pro quanto insinuat excellentiam suam tantam, quòd eum quasi ex synodi autoritate iudicare non conuenit.

Ad quartum ex autoritate canonis, dicitur quòd gratis cõcessum est quòd Papa incertus subditur concilio. Duobus.n.contendentibus incertis, iudicat ecclesia, sed si alter esset certus, & indubitatus, ecclesia non iudicaret, sed adiuuaret certum, obediendo, condemnando antipapam, &c.

Ad quintum ex ratione, quia prælati ministri ecclesiæ. dicitur, quòd prælati dicuntur ministri Christi, & ecclesiæ. Christi quidem, effectiue (quià ab illo habent suam potestatem effe-

ctiue) & suppositaliter, mystice tamen, quia omnes prælati sunt uelut membra Christi, iuxta illud Augu. super Ioan. si præpositum ecclesię pastores sunt, quomodo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius mẽbra pastoris? Ecclesiæ autem integræ (id est, cum capite suo, quod Christus est) ministri etiam dupliciter dici possunt, scilicet effectiue ratione partis, scilicet capitis, a quo habent prælati auctoritatem. & integraliter, quia sunt mẽbra ecclesiæ reliquæ a capite, non ut suppositi, sed ut corporis mystici partes integrales. Et hæc dicimus loquendo de prælatis ecclesiæ absolute, non de isto ordinato, & instituto ab illo, sic enim esset quæstio de illo alio, & sic de alijs.

Ex quibus patet, quòd prælati ecclesię proprie loquendo nõ sunt ministri ecclesiæ effectiue, nisi rõe capitis .s. Christi, & cõsequenter non sunt ministri ecclesiæ, ut dominæ, nisi ratione capitis propter quod Paulus dicit. Siquid ego donaui in persona Christi, & rursus. Sic nos existimet homo ut ministros Christi. Et hoc autem quòd ministri ecclesiæ dicuntur agere secundum intentionem ecclesiæ; non plus habetur quàm dictum est quia, scilicet, agunt secundum intentionem ecclesiæ in capite, & in corpore ab ipso capite diffusam. Quamuis hoc posit ẽt intelligi secundum intentionem ecclesiæ, id est, secundum intentionem ecclesiastico officio debitam: hac enim intentione confici, & conferri dicuntur sacramenta, &c.

Ad primam confirmationem, quia suffragia sunt non prælatorum, sed ecclesię, dicitur quòd falsum est suffragia non esse prælatorum vt dispensatorum, quàmuis sint ecclesiæ integre, ut proprietarie, sed hoc nihil aliud concludit, nisi prælatos ab ecclesia integra ratione capitis potestatem habere. Vnde omnia deficiunt ob ęquiuocationem ad propositum ab ecclesia integra ad ecclesiam ut distinctam contra caput.

Ad secundam confirmationem de similitudine conditionis, & regenerationis generis humani, dicitur quòd apertissime cõstat falsum assumi, & dissimiliter Deum instituisse. Nam in ordine ad finem naturalem potestatem communitatis indidit, & non uni, in ordine autem ad finem supernaturalem, potestatẽ dedit uni, & non cõmunitati. perfecit enim Iesum Christum secundum quòd homo est, in principem, & caput omnis ecclesiæ, ut patet. & hoc non præueniendo sicut in ciuilibus, sed instituendo, ut patet.

Et sci-

Et scito, quòd argumentum deficit ex eo quòd non attendit ordinem primarium regenerationis humanæ sicut attendit primarium ordinem conditionis humanę, sed declinat ad ordinem secundarium ecclesiæ, qui est in tempore absentiæ principis, qui abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti. Quæ declinatio manifestè defectiua est, quia primario in uno, primarium in altero reddendum proportionaliter est. Hic autem secundarius ordo in ecclesia naturam si se quitur principal. absq; omni cōtradictione optimus uidetur. Sic autem potestas in uno principis uicario non in cōmunitate locanda est, & locata ab ipso principe in Petro. Vnde patet ꝙ non præuenit princeps ecclesiam, sed suapte natura ordinem regiminis spiritualis prosecutus, in petro & eius successoribus uicariatum suum locauit. Ad tertiam confirmationem, iam patet ꝙ optime prouisum est politiæ spirituali in suo naturali principe, qui peccare non potest, in ordinatione autem uicarij illius optime quoq; prouisum est, dum suauis dispositio, seruata est. Supernaturale nāq; regimen (quale est papatus) suapte natura supernaturalē defensionē & remediū sibi uendicat, quale dominus Iesus Christus sibi autoritatiue reseruando electionē, & ecclesiæ reliquæ ministerio orationum instituit. Hoc.n. suaue & efficax est remedium, ut in loco suo inferius amplius monstrabitur. Vnde falsum est dominū Iesum Christum minus bene ordinasse politiam ecclesiæ etiam sub uno uicario, quàm politiā ciuilem in humanis, quoniam utrobiq; nō idē, sed proportionale remedium contra malum principem datū est. Ita ꝙ ecclesia potest se & contra illum tueri, & deponere uotis & operibus ecclesiæ proportionatis.f. orationibus, ieiunijs, eleemosynis. hęc.n. efficaciora sunt ceteris causis secundis, quia superiores sunt reliquis, & propriæ uniuersali saluti ecclesiæ. sed non omnes capiunt uerbum istud. Ad quartam confirmationem, dicitur ꝙ imediate susceptus sub cura Christi uiuentis, & specialiter de ipso curam habentis, non est miserabilior cunctis, nisi ratione seruitutis uniuersalis, & periculi maximi, & huiusmodi. talis autem est Papa, qui non potest coactiua pœna puniri, sed tenetur ex amore libere operari. Fœlicitatis enim quædam inchoatio est non miserię, esse in statu in quo non sicut seruus sub lege, sed sicut liber in gratia constitutus homo adhuc mortalis est positus, ut in papatu contingit.

Ad secundam dicitur, quòd Papa in quantum singularis persona

na est filius ecclesię, quia regeneratus, nutritus & instructus ab ecclesia sicut ceteri, in quantum autem Papa, est filius ecclesię integrę, hoc est cum suo capite, & pater non filius reliquæ ecclesiæ. Sed in his & similibus aduerte tu, cui hec & similia obijciuntur, ne equiuocatio de ecclesiæ uocabulo te fallat, ut ea quæ dicuntur de ecclesia integra (siue cum capite, siue cum uices capitis habente) ad ecclesiæ cōmunitatem secluso capite applicata suscipias, hec .n. te deciperent. Ad sextum argumentum principale dicitur cum apostolo, ꝙ omnia mihi licent sed non omnia expediunt, & rursus omnia possum, sed nō omnia edificant. Conceditur igitur, quòd Papa potest quantum ex potestatis sue auctoritate est actum iurisdictionis etiam in inuitam ecclesiam reliquam exercere, sed non expediret, si nō edificaret. Nec ualet argumentum, non potest illam excommunicare, ergo non potest aliquem actum iurisditionis in inuitam exercere, ut patet.

Ad probationem autem ex auctoritate Aug. dicitur quòd potius probat oppositum. Si .n. leges instituuntur cum promulgantur, Papa promulgando, legem in totam ecclesiam instituit absq; ecclesiæ consensu, potest igitur ipse solus instituere legem in illam. Firmitas autem ex consensu utentium, non ex parte auctoritatis, sed executionis se tenet. Quod conuincitur ex eo, ꝙ statutum uniuersalis concilij integri etiam consensu utentium firmatur, ita quòd non ligat quando est à dissensu utentiū infirmatum, & tamen nullus dubitat uniuersale concilium integrum firmitatem auctoritatis legibus suis dare. Prouenit autem hæc legum infirmitas ex dissensu utentium etiam ab ipsis legislatoribus negatiue, pro quanto tolerando dissimulant, & implicite reuocant quod fecerunt. Et merito, quia lex (ut dicitur di .4. ca. erit) debet esse patrię loco temporiq; conueniens.

Ad septimum. dicitur, falsum assumitur, nam potestas ecclesiastica primo fuit in primo summo pōtifice domino Iesu Christo, qui pontifex assistens futurorum bonorum eternam redemptionem inuenit. Falsum quoq; monstratum est esse quòd dominus per illa uerba quæ habentur Matth. 18. potestatē ecclesiasticam dederit ecclesiæ, quamuis promiserit ei super suos subditos, ut superius diffuse discussum est. Equiuocatio demum incidit iam dicta, ab ecclesia ad ecclesiam secluso capite declinando. Reliqua autē que arguendo afferuntur (.s. ꝙ ecclesia potuisset instituere Petrum Papam) quā falsa sint ex supradictis patet. quia si

potuit

potuit ecclesia unquã instituere papatum in uno & eius successo re, ut Christus fecit, posset quoq; illum instituere in triumuiratu, uel aliquo huiusmodi, quia eiusdem est instituere, & instituta mutare pro loco & tempore.

CAPITVLVM VNDECIMVM.

DIXI in.8.ca.quòd concilium Constantien.pro illo tempore primo quo fecit illa decreta de potestate synodi, nõ erat uerum concilium uniuersalis ecclesię. Et quòd Basilien.errauit illud sequendo.

OBIICITVR dupliciter. Primo, quòd blasphemaui. Secundo, quia cõcilium Constantien. sub obedientia Ioan. 23.erat uerum concilium uniuersale, quia succedebat concilio pisano, in quo fuerat unio ecclesiæ, deposito utroq; Papa (s. Gregorio.12.& Benedicto.13.) & electus Alexander quintus, cui successit Ioannes.23.qui congregauit illud Constantien.concilium.

RESPONDEO Et primo quo ad Constantien. concilium. si ego plasphemo. quare Grego.12.qui expresse recusauit in actu unionis ecclesiæ, recognoscere concilium illud pro tunc, ut concilium illud, non blasphemus sed uir pacis & ecclesię amator habitus est? ut patet in gestis eiusdem concilij sessione.14. Quare obedientia Benedicti.13.inter fœdera unionis, & in actu unionis ecclesiæ recusationem talis pro tunc concilij uolens & faciens, non blasphema sed catholicæ unitatis studiosa est habita? ut patet in sessione.20.& 22. Quare Sigismundus Imperator, qui præsedit illi concilio ut satisfieret recusationi illius concilij, nõ blasphemus sed defensor ecclesiæ habetur? Quare demum ipsummet tunc Constantien.concilium, cum negauit facto seipsum esse cõcilium non semel sed bis (primo in acceptando præsidẽtiam imperatoris & autorizari se in concilium a Gregorio.12. secundo in acceptando se conuocari ab obedientia Benedicti.13. & conuocare illam) non blasphemauit? Et si potius scandalum permitti debet a qualibet singulari persona, quã ueritas deseratur, quomodo concilium uniuersale a spiritusancto rectum, potius ueritatem deseruit seipsum facto negans, quã scãdalum permittere uoluit iam natũ? Ex his aũt rectè cõsideratis patet, ꝙ cõciliũ illud nõ reputauit seipsum certum & indubitatum concilium illo tempore.& propterea huiusmodi negationes admittebat, dans operam ut unum certũ & indubitatũ concilium fieret cũ indubitato

capite,ut tandem fuit. In quo igitur ego erro,si dubia & incerta pro dubijs incertisq; habui? nihil .n. dixi aliud in sententia. Nam dubia & incerta pro uera audoritate refutari constat;ueritatisq; au&oritatem eis tribuere nephas est. Ad secundam obiectionem de successione ad concilium Pisanum,dicitur quòd nec illud concilium constat fuisse certum & indubitatum,ut ceteri omissis patet ex duobus. Primo. Quia assertio ista renouaret antiquum schisma,quid .n. aliud est dicere, consilium illud pisanum cũ Alexandro V. certum & indubitatum,quàm certe & indubie damnare Gregorium.12. & benedictum.13. cum suis obedientijs? Hoc autem est redire ad illud schisma.

Secundo. Quia ipsum Constantien. concilium sub obedientia Ioannis.23. licet crediderit se esse uniuersale concilium succedens pisano,non tamen hoc pro certo & indubitato tenere se contestatum est facto suo,ut patet ex dictis. Accedit ad hęc, quòd sine Papa diffiniuit. & propterea si fuisset etiam tota reliqua ecclesia repræsentatiue,potuisset errare, nec fuisset cõcilium generale perfectum simpliciter, ut patet in libello. Quo ad concilium uero Basilien. uniuersalis ecclesię responsionem replico,quæ Eugenium adorauit, concilium florentie uniuersale ex orientali etiam ecclesia celebrauit in materia fidei &c. Si ego blasphemaui,quis excusat ecclesiam a blasphemia?

CAPITVLVM DVODECIMVM.

DIXI in ca.9. glosando uerba Aug. petrus quando claues accepit,ecclesiam significauit,& similia,quòd in hoc sensu dicta sunt,quia officio capitis perpetuo,in petro & successoribus data hæc sunt, & propterea in persona ecclesię dicitur petrus suscepisse hæc.

OBIICITVR quòd nõ sit iste sensus intentus ab Aug. quia sequeretur claues datas esse ecclesiæ finaliter, & non formaliter, cuius oppositum uult ibi Augu.

RESPONDEO. quòd sequela non tenet. Immo sequitur ex illo sensu claues esse datas ecclesiæ formaliter. tum quia quod datur capiti formaliter,uere etiam datur corpori cuius est illud caput formaliter. tum quia datum capiti & corpori formaliter, quàmuis corpori mediante capite,constat datum esse toti formaliter,sic autem est in proposito,ut patet. Sed argumentũ præter hoc fallitur in equiuoco de ecclesia,ab integra ecclesia in terris,capite .s. & corpore (de qua loquitur Aug.) ad ecclesiam

pro corpore tantum, ut quoddam unum integrum, cuius Papa sit uicarius. quod est fictitium. Firmatur autem sensus a me assignatus, ex eo quòd exposui Aug. ex ipsomet Aug. inquit. n. in lib. de Agõe christiano. Non sine causa inter Apostolos, ecclesiæ catholicę personam sustinet Petrus, huic. n. ecclesiæ claues datæ sunt, cum Petro datæ sunt. & cum ei dicitur ad omnes dicitur. amas me, pasce oues meas. Hæc ille. Constat. n. quòd Petro ut distincto ab alijs & pro se & successoribus datus est papatus, per illa uerba, pasce oues meas Ioan. vlt. Et August. idem iudicat de hoc actu, & de acceptione clauium, ratione igitur officij capitalis, & perpetui in ecclesia diffusi Augu. dicebat quòd personã ecclesiæ gerebat.

CAPITVLVM DECIMVMTERTIVM.

DIXI, in eodem cap. 9. quòd Papa non potest errare errore iudiciali in fide, quãmuis possit errare personaliter, quia ad ipsum spectat finalis determinatio de fide, ut decre. primo, & S. Th. post dicit, & probat rõne & autoritate Cyrilli, & Maximi. OBIICITVR primo. Quia duo summi Pontifices determinauerunt contraria in iis quæ fidem tangunt, ergo alter eorum errauit errore iudiciali in fide. Assumptum patet de Ioan. 22. & Nicolao 3. quorum unus determinauit iudicialiter Christum, & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in particulari, alter oppositũ, ut est uidere in eorũ extrauagantibus. Secundo. Quia Innocẽtius tertius, & Celestinus determinauerunt cõtraria super illa propositione. uno coniugum ad heresim trãseunte, alter qui remanet in fide potest ad secunda uota transire, ut patet in c. quanto, de diuortijs, & glosa ibidem. Tertio. Quia aliqui statuerunt contra Euangelium, ut Pelagius, qui constituit ut Subdiaconi Sicilię a suis vxoribus abstinerent, quas in minoribus duxerant, aut ab officio cessarent, quam cõstitutionem, quia erat impia & contra Euangelium, retractauit Beatus Grego. primus eius successor, ut patet in dist. xxxj. c. ante triennium, in textu, & glosa. sicut. n. potuit iudicialiter statuere contra Euangelium, ita & diffinire. Quarto. Quia sequeretur quòd summus Pontifex non posset fieri hereticus circa propositiones nondum determinatas, ut erat articulus de processione spiritussancti a filio. Et tenet consequentia, quia non posset esse pertinax contra suiipsius determinationem. Sequeretur ẽt quòd determinatio etiam solius summi Pontificis ligaret suum successorem. Sequeretur

AA etiam,

etiam, quòd Papa uerè hereticus male iudicari posset, quia decideret obiecta contra eum esse intelligenda in aliquo sensu suę assertioni consono. Quinto arguitur ad hominem. Quia ego cõtradico mihimet in hoc eodem libello. nam in fine quarti capituli dictum est, quòd sententia Ioannis Euãgelistæ præualuisset sententiæ Clementis Papæ in doctrina fidei, & nunc dicitur, ꝙ Papa nõ potest errare in iudicio fidei. hæc.n. contradicunt. quia non præualuisset sententia Ioãnis, sed tantum fuisset standũ sniæ Cle. Papæ quantum snię Ioã. immo, & plus, quia apud Clementẽ fuisset ultima decisio fidei iuxta hic dicta, sicut apud Petrum, si adhuc superuixisset. Sexto. Quia frustra fuissent cõgregata quatuor cõcilia generalia pricipalia cõtra quatuor heresiarchas, puta Nicenũ, Cõstãtinopolitanũ, Ephesinũ, & Calcedonẽ. Et tenet consequẽtia, quia suffecisset solius Papæ decisio, immo apud aduersarium tãtę est ptãtis solus Papa in diffiniendo, sicut aggregatum ex ipso, & residuo. Septimo ex ockam. Quia Innocentius tertius (ut habetur extra qui filij sint legi. in c. per uenerabilẽ) dicit. Cũ Deutero. secũda lex interpretetur, ex ui uocabuli cõprobatur, ut quod ibi decernitur in nouo testõ debeat obseruari. Quæ uerba si uniuersaliter secundum literalem sensum intelligãtur, heresim sapiũt, q̃a ceremonialia ibidẽ in c. xiij. & xiiij. nõ sunt seruanda. Si uero mystice intelligantur, nihil speciale de Deuterono. dicunt, quia omnia mysticę seruanda sunt, ut legitur di. 6. ca. his itaq;. Octauo ex eodem. Quia nõnulli summi Pontifices inueniuntur diffiniuisse se in tẽporalibus habere supremam potestatem, ceteri uero oppositum. Nono. Quia non est uerisimile, quòd homini potenti in iis quæ sunt fidei errare, commiserit Deus, ultimam fidei decisionem.

RESPONDEO, Et ad primum quidem dicitur, quòd falsum assumitur. s. quòd unus papa. s. Nicolaus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in cõi. Nam manifeste Nicolaus (ut patet in 6. de uerb. signifi. exijt qui seminat) dicit. Egit nãq; Christus & docuit pfectionis opera, egit ẽt & infirma, sicut interdum in fuga patet, & loculis, sed utrũq; pfectè pfectus existens, ut perfectis, & imperfectis se uiam salutis ostenderet. Hęc ille. Vbi manifeste patet, quòd Nicolaus asserit Christũ habuisse aliquid. ualet.n. sequela Nicolaus asserit Christum habuisse aliquid, ut imperfectis se uiam salutis ostenderet, ergo asserit Christũ hũisse aliquid. Ioan'. ergo 22. qui determinauit hereticũ

esse

esse, tenere quòd Christus & apostoli nihil habuerunt in cõmuni, quia contradicit sacræ scripturæ, ueritatem fidei determinauit, cuius contrarium non determinauerat Nicolaus.

Ad secundum dicitur, ꝙ neuter illorum pontificum diffinitiue determinauit. Nam de Celestino in ca. quanto de diuortijs, Innocentius dicit. licet quidam prædecessor noster sensisse aliter uideatur. & de seipso subiungit respondendo oppositum, non credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, uiuente altero, possit ad secundas nuptias conuolare. Vbi uerba ipsa (uidelicet, uidetur aliter sensisse, & non credimus) ostendunt ꝙ non diffiniendo in materia fidei locuti sunt. Ad tertium dicitur, ꝙ Pelagius si statuit illud, nihil contra sed supra euangelium statuit. Quod manifestè patet ex hoc, quòd statutum illud suos obseruatores aut in bono super erogationis locabat, si cõtinerent, aut in nullo malo, si non continentes se suspendebant ab officio, ut quidam subdiaconus fecit. Est autem hic aduertendum, quantum crescat infamia per diuersa ora paulatim, nam sanctus Gregorius de hoc statuto loquens dicit, & ꝙ diaconus auctoritate tamen papæ hãc prohibitionem fecit (ut patet. 27. q. 2. ca. multorum) & quòd sibi durum ac incompetens uidetur. ut patet in ca. ante. trienniũ, di. 31. Glo. uero ibidem auget, dicens ꝙ Pelagius hoc fecit, & ꝙ illa constitutio fuit iniqua. arguens autem amplius auget, dicens quòd Romanus pontifex statuit contra euangelium. Ad quartum dicitur. Negando primam sequelam. s. quòd papa non possit esse in non decisis hereticus. Nam si ille qui est papa, tenuisset pertinaciter spiritumsanctum non procedere a filio, etiam si ab ecclesia sic determinaretur, fuisset hereticus. Per accidens autẽ est, quòd ab ipso uel alio determinatio ecclesiæ fieret. standum est. n. in formalibus & per se, & non declinandum ad ea quæ sunt per accidens in quacunq; scientia. Et ex hoc patet responsio ad secũdam sequelam. Nam determinatio unius papæ in materia fidei ligat per se omnes personas ecclesiæ, quarum sunt actus credendi. & sic persona propria & successoris ligatur ad tenendam determinationem semel factam de fide.

Ad tertiam autem sequelam dicitur, quòd cum id quod imputaretur papæ pro heresi, non esset decisum adhuc per ecclesiam, & ipse non teneret hic pertinaciter, sed defenderet esse consonũ sacræ scripturæ & fidei ecclesiæ, non esset hereticus formaliter, etiam si materialiter erraret in ijs quæ sunt fidei. Et propterea

nõ sequitur, quòd papa male posset iudicari de heresi in casu quo iudicandus est.s.de heresi formaliter, in his.n. non habet locum interpretatio ad istum uel illum sensum. Ad quintum dicitur, quòd nulla est contradictio in dictis meis allatis. Nam bene simul stat, tam Ioannem quã Clementem non posse errare, & tamen alterum esse supra alterum. possunt.n. esse duo omnino recta subordinata, ut patet apud omnes de ecclesia uniuersali præsenti, & de sacra scriptura. Dicendo autem quòd sententia Ioannis præualuisset sententiæ Clementis Papæ, nihil aliud dixi, nisi quòd clemẽtis sententia subordinata erat sententiæ Ioannis. Ad id uero quod adiungitur, quòd sequeretur oppositum huius, negatur sequela. Nam cum dicitur, quòd ad papam spectat finalis determinatio de fide, intelligitur in ordine & gradu suo.s.sub sacra scriptura, cuius autor est spiritussanctus. Et quia Ioannes euangelista in doctrina fidei locum sacræ scripturę tenebat (sicut euangeliũ suum hodie tenet) ideo non sequitur quòd magis Clementis quã Ioannis esset standum sententię, sed econtra. Et ex hoc patet responsio ad simile allatum arguendo de Clemente & Petro, quòd .s. non est eadem de utroq; ratio, quia petrus non ratione papatus sed apostolatus, locum etiam sacrę scripturæ tenebat sicut nunc tenent epistolæ eius. & hunc sensum expresse aperui in libelli illius loco allegato dicens. Præualuisset sententia Ioannis sentẽtiæ Clementis papæ in doctrina fidei, sicut modo præualet euangelium Ioannis sententię cuiuscunq: papæ & totius ecclesiæ.

Ad sextum negatur sequela, quòd.s. frustra fuissent concilia illa principalia in materia fidei congregata. Concilia.n. non propter potestatem intensiuam, sed extensiuam, & propter discussionem & collationem cum multitudine uniuersali sapientum in fide, & propter indubitabiles & acceptatos ab omnibus iudices omni exceptione maiores, congregantur in materia fidei. Probatio autem sequelæ procedit, ac si propter habendam solam auctoritatem intensiuam concilium congregandum esset, quod falsum est. Nam licet papa solus tantæ intensiuæ sit auctoritatis, quantæ ipsæ cum residuo, non tamen tantæ extensiuè, non tamen tantæ sapientiæ, non tamen tantæ acceptationis indubitatę ab omnibus (ut patet de ipsis oppositum sentientibus) non tamen tantæ solennitatis (quę animos humanos cõmuniter multum afficit) non demum tantæ bonitatis & gratiæ coram deo, quæ apud multitudinem hominum multum ualet ad persuadendum ꝙ a spiritu

sancto

sancto regitur & errare non potest. Oportet.n. ea quæ totam ec clesiam tangunt,in singulis sic fieri ut acceptabilia facillime omnibus sint,& ad hoc multum ualent uniuersalia concilia a probis pręcipue prælatis celebrata. Ad septimum dicitur, quòd quia duæ sunt leges diuinæ(.s.uetus & noua) & noua est secunda ordine generationis,ideo uocabulum illud.s.secunda lex,nouę legi cõ uenire ex ui uocabuli dicitur, & argumentum ex conuenientia uocabuli sumpsit Innocentius. Et hoc expressit,ne intelligeretur quòd absolute concluderet, sed quantum est ex ui uocabuli. Et hoc diminuit argumentum,non auget(ut patet)quoniam in uo ce una latent multa. Vnde ex hac conuenientia quãdam persuasionem intendebat,qua mandata in deuteronomio, non ad literam,sed proportionaliter secundum conuenientiam ad tẽpus gratiæ seruanda erant quando,ubi &c.expediret. Vnde ipsæ man datum unum iudiciale ex deuteronomio assumens & tractans, non ad literam,sed iuxta conueniẽtiam ad sacerdotium petri ex posuit. Nec obstat,quòd omnia ueteris testamenti hoc modo seruari possunt,conceditur.n.quòd nihil speciale de deuteronomio intendebat,nisi persuasionem ex conuenientia nominis.

Ad octauum dicitur, quòd quia potestas papæ directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis,ideo suę potestati duo conueniunt.primo, quòd non est directè respectu temporalium.secundo,quòd est respectu temporaliũ in ordine ad spiritualia,hoc.n. habet ex eo quòd ad supremũ finem omnia ordinari debent,etiam temporalia,ab eo proculdubio cuius interest ad illum finem omnes dirigere,ut est Christi uicarius.primum autem ex natura suæ potestatis consequitur. Ex his aũt sequitur,quòd utrunq; uere põt determinari de papa, & quòd habet supremam potestatem in temporalibus,& ꝙ non habet supremã potestatẽ in tẽporalibus, quoniã utrũq; uerũ est ad sanũ intellectũ.Affirmatio nãq; est uera in ordine ad spiritualia, negatio uero est uera directe, seu secũdũ seipsa tẽporalia. Vnde nihil ex utraq; decisione erroris accidit. Aduerte tamẽ, quòd quia aliud est determinare de fide formaliter, & aliud de eo quod est fidei materialiter (nam primum importat determinare quid credendum uel non credendum est, secundum autem determinare de questionibus quæ in rebus creditis accidunt) & constat quòd cũ determinatur quæstio aliqua secundo modo,non determinari dicitur de fide,sed de tali uel tali materia, iõ cũ dicitur, ꝙ

Papa non poteſt errare in iudicio fidei, non accipio dictum eſſe niſi de iudicio fidei formaliter, quando .ſ. determinatur quid credendum uel non credendum. Contra quod nulla harum obiectionum procedebat, niſi prima apparenter. ne tamen fugere uidear, ſingillatim ſolutę ſunt omnes. Ad nonum dicitur, quòd non ueriſimile ſed uerum & humanæ diuinæq; rationi & auctoritati conſentaneum eſt, ut homini potenti errare ſecundum ſeipſum, non autem ut directo a ſpiritusſancto, deus ultimam fidei deciſionem ſub ſacra ſcriptura comiſerit. Cum .n. non ſit differentia apud deum in uno & in multis ſaluare, & omnes in concilio præſentes ſecundum ſe & proprias uires conſiderati, poſſint errare male determinando de fide, ob ignorantiam uel aliquē alium defectum, ac per hoc ad aſſiſtentiam ſpiritusſancti recurratur. magis atteſtatur aſſiſtentiæ ſpiriuſancti & eius uirtuti, ſalus fidei per unum quàm per totum concilium, hoc .n. humane ſapientię opus eſſe uidetur (propter omnium patrum concurſum) illud autem ſolius dei opus eſt & apparet. Vnitas quoq; fidei unitatem quoq; iudicis qui preeſt toti eccleſiæ expoſcit, ut in ſecunda ſecundæ q. j. ar. ulti. diuus Tho. aſſer.

CAPITVLVM DECIMVMQVARTVM.

DIXI in eodem .9. ca. rationem quare Papa non poteſt errare in iudicio fidei. quia hic error eſſet error uniuerſalis eccleſiæ; quia tenetur ſequi diffinitionem Papæ in fide, afferens ad hoc autoritatem ſancti Tho. & poſt decretalis in ca. maiores, & Ieſu Chriſti, ego rogaui pro te Petre.

OBIICITVR negando quòd eccleſia de neceſſitate tenetur credere ſententiæ diffinitiue Papæ in materia fidei, & dicendo quòd ſicut Papæ præcipienti contra Euangelium non eſt obediendum, ita nec ſententiæ erroneæ in fide. De auctoritatę Sancti Tho. non eſt cura. Ad capitulum maiores, dicitur dupliciter. primo, quòd non pro ultima & neceſſario credenda determinatione habenda, ſed regulariter ad Papam eſt recurrendū, quia regulariter non eſt eccleſia congregata. Secundo (& in idem redit) quòd referendæ ſunt ſummo pontifici cauſę fidei ut conuocet concilium, quia ad ipſum ſpectat congregare illud.

Ad uerbum domini, ego rogaui pro te Petre, dicitur quòd non pro ſola perſona Petri aut ſucceſſoribus orauit Chriſtus ne deficeret fides eius, ſed pro uniuerſali eccleſia per Petrum repreſentata.

Reſpondeo

RESPONDEO. Negationem illam consuetudo ecclesiæ auctoritatesq; sanctorum confutant, & ignis experientia comprobaret, si quis non teneret quòd sola Ro. ecclesia determinaretur hereticum esse, ut patet extra de hereticis. ad abolendam in tex. & glosa. Et hęc responsio manifestat ad quid fateantur ipsimet se declinare oportere, defendendo subiectionem Papæ reliquo corpori ecclesiæ uel concilij. Quod autem additur quòd sententiæ erroneæ sicut nec præcepto diabolico adherendũ esset, uerissimum est. sed nihil obstat, quoniam ex his nihil aliud quàm conditionalis ueritas habetur. s. si determinaret erronee, si præciperet contra euangelium, non audiretur. Hoc .n. non solum de Papa, sed de angelis sanctis uerissimum est, iuxta illud. si angelus de cœlo euangelizet aliud &c. anathema sit. Ex his .n. non sequitur quòd antecedens aut consequens possit esse uerum, ut patet.

Quòd auctoritas .s. Thom. paruifiat, nihil est, quoniam ecclesia non paruifacit. Sed esto, quòd .s. Th. paruifiat, Cyrillus & Maximus ibidem allegati etiam paruifient. Hiero. quoq; dicens ad Damasum (ut habetur 24. q. j. ca. hæc est fides). si hæc nostra confessio apostolicatus tui iudicio cõprobatur, quicunq; me culpare uoluerit, se imperitum uel maleuolum uel etiam non catholicum non me hereticum cõprobabit. manifesteq; in his uerbis contestans quod ex approbata fidei confessione a Papa aliquis obstans non catholicus sit, paruipendendus erit.

Ad expositionem uero dictam de ca. maiores, dicitur, quòd literæ contradicit. Nam textus causam quare ad Petri sedem sit recurrendum, assignat ueritatem Petri in confirmando fidem & indefectibilitatem eius in eadem propter orationem Christi. Ex hac .n. causa manifeste sequitur, quod ideo ad Papam referendas esse maiores causas dicitur, quia ipse constitutus est indefectibilis iudex in fide. Et quia eũ qui certus est amplius certificari non oportet, sequitur quòd sententia Papæ in fide est finalis determinatio & necessario credenda secundum illam decretalem. & sic utraq; expositio ruit. Quod autem de oratione Christi pro Petro dicitur, potest bene & male intelligi. Male quidem, si intelligatur ꝙ Christus pro ecclesia siue cũ Papa siue sine Papa orasse se dixerit, quoniã expræsse Christus dixit hæc uerba Petro ut distincto ab alijs, ut patet ex cõtextu. inquit .n. Luce. 22. Simõ, ecce Sathan expetiuit uos, ut cribraret sicut triticũ, ego autẽ rogaui pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus cõfirma

ma fratres tuos. Vbi manifestè patet quòd distinguit tentationis actum ab oratione quo ad hoc, quòd communiter expetiti erant, & tamen ipse singulariter pro Petro rogauerat dicens. expetiuit uos, ego autem pro te rogaui. Apparet quoq; idem ex eo quòd Petro commisit ut confirmaret alios, tanquàm diceret, ego tui, tu autem aliorum curam habeas. Bene autem si intelligatur dominum orasse pro Petro & alijs, diuersimode tamen, pro Petro quidem immediate, pro alijs autem mediante Petro, pro Petro in seipso Petro, pro alijs autem in Petro ipsorum capite. Et in hoc sensu magis confirmatur intentum nostrum, ut patet.

Et ut unico uerbo dicam, si hæc auctoritas de Petro & successoribus uerificatur (ut dictum ca. maiores affert) satis habetur intentum quòd Petri sedes non potest errare in fide propter Christi orationem. Et cum hoc non sit uerum de errore personali, sequitur quòd uerificatur de errore iudiciali.

CAPITVLVM DECIMVMQVINTVM.

DIXI in eodem, 9. cap. exponendo illud Hiero. si auctoritas quęritur, orbis maior est urbe. quòd uerum est quo ad multa, puta merita, uirtutem, scientiam, & in proposito uigorem consuetudinis &c.

OBIICITVR Tu glosas de maioritate meritorum, & Hiero. non dicit, si merita quærantur, sed si auctoritas quæritur, & sic de maioritate potestatis non meritorum loquitur.

RESPONDEO, Satis diminute glosa mea adducitur, nam (ut patet in libello) ego dixi quòd dictum Hiero. uerum erat quo ad multa, puta, meritum, scientiam &c. & quòd in proposito & ad literam Hiero. loquitur de uigore consuetudinis. & obiectio in solis meriti se ponit. Propter quod etiam addo quòd merita ad auctoritatem consuetudinis plurimum ualent, quoniam consuetudo non uirorum malorum, sed uirorum sanctorum, maximę est in ecclesia dei auctoritatis, & proponitur imitanda. Et propterea stando etiam in meritis Hiero. textus optime intelligitur, ut quia orbis maior est urbe in auctoritate consuetudinis, propter maiora merita orbis quàm urbis, ideo cōsuetudo orbis qua diaconi subesse non præesse consueuerunt imitanda est. Et sic dicendo si auctoritas quæreretur, ratione materiæ de qua erat sermo. s. de loco diaconorum maioritatem meritorum non potestatis in causam auctoritatis afferebat. Facile tamen contendentibus in uerbis dici potest, quòd orbis auctoritas maior est exten-

siue non intensiue, auctoritate urbis, & similiter potestas.

CAPITVLVM DECIMVMSEXTVM.

DIxi in eodem cap. 9. multas auctoritates ex lib. decretorum, quòd Papa non habet superiorem in terris.

Obiicitvr duabus glosis. Prima est, quòd intelligitur hoc in criminibus non scandalosis ecclesię. Secunda est, quòd intelligitur hoc regulariter, quia regulariter ad superiorem summi pontificis concilium.s. recursus haberi non potest.

Respondeo quòd prima glosa est uoluntaria, & falsa. Voluntaria quidem, quia ecclesia canonum, aut sanctorum auctoritate non roboratur. Falsa autem, quia fit exceptio de solo crimine fidei. constat.n. quòd ab uniuersali cũ una exceptione facta nõ nisi falso alia exceptio fit. Cum ergo solum fidelitatis crimẽ exceptũ ab uniuersali sit, restat ut alia crĩa omnia inclusa sint. Secunda autem glo. manifeste falsa conuincitur ex eo quòd etiã de crimine heresis Papa diceretur non habere superiorem, quoniam regulariter concilium non est cõgregatum. Tertia autem glo. quòd autoritates istę sunt summorum Pont. qui ut in pluribus fimbrias suas nimis extẽdentes, sibimet tribuerunt quod ecclesiæ est proprium, quia non procedit de Theologiæ, aut sacrorũ Canonũ, &c. auctoritate quã bene sonet, aduertat, qui notat in quanta ueneratione decretales summorum Pont. in ecclesia sunt. Et tanto plus, quanto multorum sanctorum pontificum autoritates refutandæ sic essent, ut patet de Bonifacio, Antherio, Eusebio, & aliorum sanctorum in libello allatorum. Taceo de tot Doctoribus in Theologia & in iure illustribus ibi allatis.

CAPITVLVM DECIMVMSEPTIMVM.

DIxi in cap. xj. quòd ecclesiæ Dei secluso Papa non est data potestas papalis, aut superior papali in Euangelio Matth. 18. & quòd in ecclesia huiusmodi non est talis potestas.

Obiicitvr, quòd dominus ibidẽ dixit, si ecclesiam nõ audierit, &c. per hoc.n. ecclesię iurisdictionem ostendit in effectu.s. in pœna excommunicationis, & subdidit in plurali numero, quæcunq; solueritis, &c. per hoc.n. ostendit, quòd pluribus in ecclesiæ nomine contentis dabat illam potestatem. Affertur etiam ad hoc vsus primitiuæ ecclesiæ, quando Act. 15. diffinitũ est ab ecclesia. uisũ est spiritui sancto, & nobis, nihil amplius oneris uobis imponere, &c. Affertur tertio auctoritas Gregorij,

quæ ponitur in ca. ſicut ſancti. ubi Gregorius fatetur ſe quatuor concilia illa, ſcilicet Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calcedonen. tenere ſicut Euangeliū. & ſubdit cauſam, quia dū uniuerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe & non illa deſtruit quiſquis præſumit abſoluere quos ligant, aut ligare quos abſoluunt. Ecce quòd non dicit quòd ſummi Pon. ſed uniuerſali cōſenſu, nec quos Pontifex ligat, ſed quos illa ligant. Quarto ad hoc eſt capitulum decreuit lxxx. diſt. ubi dicitur. decreuit ſancta ſynodus, & non dicit decreuit ſummus Pontifex. Quinto capitulum nimis. de iureiurando. ubi auctoritate ſacri concilii nō propria ſummus Pontifex præcipit. Sexto. Eccleſia poteſt elargiri indulgentias, ergo habet claues iuriſdictionis. Probatur antecedens, quia dantur indulgentiæ de theſauro eccleſiæ, & non Papæ, ergo a fortiori eccleſia poteſt diſpenſare. Septimo. Eccleſia poteſt condere Canones latæ ſententiæ, depoſitionis, excommunicationis: ergo. Antecedens patet de concilio Carthaginen. in c. placuit. 8. q. j. & habetur extra de clericis non reſidentibus. in ca. ex geſtis.

Respondeo. Et ut his & ſimilibus reſpondēdi uia detur, quatuor puncta pre oculis ſemper habenda in hac materia, & in huiuſmodi auctoritatibus aſſigno. Primum eſt. Aliud eſt eccleſiam ſeu ſynodum habere poteſtatem plenariam ratione partis (puta capitis: ſicut homo uidet, audit, &c.) & aliud eſt eccleſiam ſeu ſynodum habere eandem ratione ſuæ totalitatis. Et propterea cauendum eſt, ne a primo in ſecundum oratio declinet. Secundum eſt. Aliud eſt eccleſia ſeu ſynodum habere poteſtatem plenariam, & aliud eſt eam habere immediate a Domino Iesv Christo. Et propterea cauendum eſt. ne a primo in ſecundum oratio declinet. Tertium eſt. Aliud eſt eccleſiam ſeu ſynodum habere plenariam poteſtatem, & aliud eſt eandem habere poteſtatem talem, ſcilicet coactiuā reſpectu talis, ſcilicet uicarij principis ſui, potentia enim actiua cum dicatur non abſolute, ſed reſpectu paſſiue (ut patet 5. & 9. Metaph.) plenaria poteſtas pleniſſime eſt, quando reſpectu ſubiectorum omnia poteſt. Cauendum eſt propterea, ne a primo in ſecundum oratio declinet. Quartum eſt. Aliud eſt eccleſiam ſeu ſynodum habere poteſtatem plenariam, & aliud eſt eccleſiam ſeu ſynodum acephalam ſeu truncam habere eandem. Et propterea cauendum eſt, ne a primo in ſecundum oratio declinet.

Ex his siquidem quatuor sapienter dispensatis, uniuersa questionis istius argumenta facile elucescent, sic ut nullum forte obscurum relinquatur. Ad singula tamen descendendo responde tur. Et ad uerba domini Matth. 18. dicitur (ut iam probatū est) quòd dominus non dat ibi ecclesiæ authoritatem, sed significat eam habituram potestatem, non explicando ibi quomodo habitura sit. & an secūdū se totam primo, an ratione partis, hoc.n.nō negamus, sed docemus. Verba quoq; illa in numero plurali nō cogunt ad authoritatem ecclesiæ ratione suæ totalitatis, imo abs que determinatione ad hunc uel illum modum potestatis ecclesiæ.s. ratione totius uel partis oportere intelligi, ex hoc conuincitur, quòd utroq; modo uerificari possunt, ut patet ex dictis. constat.n. euidenter quòd cōmune duobus abstrahit ab utroq;. Potest igitur ille numerus pluralis referri ad pluralitatem ecclesiarū futuram, & ad pluralitatem conuenientium in ecclesia, ad conferendum, discutiendum, probandum &c. & ad pluralitatem accumulantium suas authoritates in cōmuni, propter quod ex illa litera nihil habetur obstans dictis. Ad secundum ex primitiua ecclesia, dicitur, quòd gratis conceditur ecclesiam statuisse, sed an potestate partium (puta trium apostolorum) an communitatis per accumulationem in cōmuni, an aliquo alio modo (puta a Christo īmediate, ut isti falso putant) nihil ibi exprimitur. Et propterea ex ista authoritate, & ceteris subiunctis, & similibus, nec habetur ista affirmatiua.s. ecclesia seu synodus habet immediate a Christo potestatem, nec habetur ista negatiua. synodus non habet potestatem a domino mediante Papa. Et de affirmatiua quidem ex eo constat, quia cum multipliciter possit uerificari synodum habere potestatem (ut patet ex dictis) & ex his nihil aliud habeatur, nisi quòd synodus habet potestatē, oportet hoc sic communiter intelligi, ut a singulis huiusmodi sensibus determinate abstrahat. De negatiua autem ex eadem radice constat. quia.s. synodum habere potestatem, non oportet quòd intelligatur determinate ad illum modum quo excludatur habere potestatem a domino mediante papa (ut contingit quando per accumulationem ecclesia habet potestatem) quia omnes partiales potestates sunt a petro, & cōicatio potestatis suæ cum alijs ab eo dem est, qui solus a domino utpote eius uicarius īmediate potestatem habet, & ratione eius solius synodus integra potest uere dici, quòd habet īmediate potestatem a Christo domino. Ad

autoritatem Gre.dicitur,ꝙ causa reddita a Gregorio manifestè fauet intento nostro,quoniã nõ reddit pro causa autoritatẽ imediate datã a Christo,sed uniuersalem cõsensum, ac per hoc ẽt ipsius summi põtificis, qui caput est. & propterea seipsum negaret papa,illa negans,ut ibi dicitur. Ex hac quoq; Gregorij rõne habetur quod diximus,quòd auctoritas synodi includit caput, alioquin nõ faceret uniuersali consensu quæ facit. Et innuitur ꝙ potestatẽ habet a suis partibus, ad quarũ negationẽ deducitur negãs illã. Et rursus ex hac auctoritate nihil aliud habetur, nisi quòd synodus habet potestatẽ diffiniẽdi &c. Et per hoc patet respõsio ad quartũ. Ad quintũ uero dicitur,quòd cum synodus integra habeat potestatẽ uniuersalẽ quocũq; id modo cõtingat, & auctoritas quæ est ipsius papæ absolute & ut propria sit ipsius synodi protunc & ut cõicata, queadmodũ quilibet alius posset ueræ dicere auctoritate sacri cõcilij,statuto &c. ita ipsę papa, cum nõ sit deterioris cõditionis alijs.Neq;.n.per hoc quòd affirmat se synodi auctoritate facere,negat sua se auctoritate facere. imo potius affirmat hoc,quia auctoritas de necessitate claudit in se auctoritatẽ capitis.Neq; rursus per hoc,quod affirmat synodi auctoritate se facere,affirmat se aliena auctoritate facere. licet.n. synodus sit aliud a Papa, sicut ecclesia alicuius episcopi differt ab episcopo,nõ tamẽ oportet,quod potestas ecclesiæ sit aliud a potestate epi, sed una & eadẽ põt esse utriusq; diuersimode, epi ut propria, ecclesiæ ut cõicata. Et per hoc ẽt patet,quod per hoc quod affirmat se sacri cõcilij auctoritate facere, nõ ꝓpterea affirmat se minorẽ in auctoritate. Et quãuis hæc satisfaciãt,uerũtamẽ cõdescẽdẽdo multorũ sensui, scito ꝙ dupliciter papa põt dici minor synodo secũdũ potestatẽ.s. extẽsiue, & quasi intẽsiue secũdũ q.d. Extensiue quidẽ quia synodus integratur ex tot potestatibus tãtæ multitudinis. Intensiue uero secũdũ quid, hoc est secũdũ illam partẽ potestatis,quã cõicat papa cõcilio,quasi pro portiõe sua. Papa.n præsens synodo nõ intelligitur(ut prædictũ est)totã suam potestatẽ totaliter synodo cõicare. sed tãtum suæ potestatis quãtum ad decernẽdum &c.oportet. & sic ex eo potestatis papę & reliquis potestatũ aliorũ fit una potestas, quasi intensiue maior quã id potestatis papalis solũ esset. Et hæc maior ptãs intelligitẽ esse in tota synodo tãquã in subiecto. Dixi aũt quasi intensiue, quia ptãs illa papalis eo quòd cõicatur ut limitata, sic ut cũ alijs potestatibus posit uelut quędã singularis potestas accumulari, intelli-

intelligitur & superari a tota, pro quāto tota pō: uniuersale statu tum condere diffinire &c. quod illa ut sic non potest per seipsam solā. Sed quoniā tota potestas synodi nō plus pōt quā ex singulis huiusmodi potestatibus habeat, ideo non simpliciter, sed quasi in tensiue maiorem appellaui. Et ne putes me hanc portionē papalem fingere, contemplare potestatem legatorum papæ in synodo, quādo per legatum papa synodum celebrat, & uidebis clare, quod quia papa tunc non erigit legatum illum in papā, sed potestatem cōmittit quātā oportet pro synodo haberi, ex sola præsentia papæ in synodo non habetur quòd plus suæ potestatis synodo impartiatur quā oporteat, quāquis maior dignitas, & infallibilis assistentia spiritussancti in synodo quo ad ea quæ sunt fidei, præsentiam papæ per seipsum consequantur. Vnde quāuis nō cogamur, possumus tamen dicere quòd, papa tāquā minor extēsiue & secūdū quid intensiue synodo, auctoritate sacri cōcilij dicitur facere, quod tamē de plenitudine suæ potestatis posset & facere & tollere. Et quoniā uerba prædicta (.s facere auctoritate synodi uel cōcilij in papa habēt spē m minorationis) ideo a sacris canonibus nō sūnt extēsa, sed more similiū locutionū sunt piæ interpretationi relicta, & quasi correcta, dum papa in cōcilio dicit, statuimus sacro approbante cōcilio, approbare.n.cōe est potestati, sapiētię, consensui. nec superioritatē, nec equalitatē potestatis ī approbātibus exigit, ut patet. Ad sextū dicitur, quòd licet ecclesia integra posśit dare indulgentias &c. & eius sit thesaurus meritorū unde fiūt indulgētiæ, ut propter cuius utilitatē est, non tamē eius sunt ut dominæ, quoniā ipsa est serua domini Iesu, & quicquid acquirit seruus, acquirit domino suo. & ipsi dictū est. cū feceritis q̄cūq; mādauero uobis, dicite quod debuimus fecimus, serui inutiles sumus. Vnde nō magis ad ecclesiā, sed ad uicarium domini spectat dispensatio thesauri in utilitatem ecclesiæ, pro qua est. Ad ultimum iam patet, quòd gratis concedimus synodū, quæ uere synodus est. s. integram potestatem habere deponēdi, excōmunicandi &c. De hoc.n. non est questio, sed de modo habendi, ut patet ex dictis. Et hæc sufficiant ad similia.

CAPITVLVM DECIMVMOCTAVVM.

Dixit in eodem.xi.ca. quòd ex hoc quòd apostoli miserūt Petrum & Ioannem ad Samaritanos, nō potest inferri eos subditos esse apostolis, quia ex missum esse non sequitur subditum esse, ut patet de spiritusancto.

Obijci-

OBIICITVR. Ista consequentia est optima, spiritussanctus mittitur a filio, ergo est ab eo. uel eo inferior, & sic oportet fateri, quòd Petrus est ab ecclesia, ex quo non est inferior.

RESPONDEO. quòd consequentia illa quæ uocatur optima, non est uere optima, cum non sit bona nisi gratia materiæ, quoniam spiritussanctus mittitur a seipso (ut patet in primo sen. di. 16.) & tamen non est a seipso, nec inferior seipso. Et similiter filius mittitur a seipso, immo etiam filius mittitur a spiritusancto, qui est a filio, ut patet in eodem lib. di. 15. Et quia consequentia non est bona de forma, ideo non infert ergo Petrus est inferior ecclesia, uel est ab ecclesia.

CAPITVLVM DECIMVMNONVM.

DIXI in eodem ca. xj. quòd ex. 36. q. 2. ca. placuit. iuncto ca. tria. habetur quòd Hieronymi auctoritas innixa sacræ scripturę præualuit concilio.

OBIICITVR quòd Hieronymus & dictum concilij intelliguntur pro diuersis temporibus, & quòd uerba Gratiani ibidem inter paleas computanda sunt.

RESPONDEO. quòd licet certum sit quòd Hieronymus absolute & non secundum hoc uel illud concilium futurum loquatur, & quòd concilium generale posset prohibere quod non est absolute prohibitum, uerba tamen concilij non tanquàm con stituentia sed declarantia ius sumpta, Hieronymi autoritati non præiudicant. & hoc intendit Gratianus, & non quòd non posset statuere. Veruntamen quicquid de hoc sit, satis habeo intentum meum ibidem, dum ex illo loco habetur siue autoritate Gratiani, siue quacunq; alia, quòd Hieronymi autoritas præualuit concilio, & ita hodie iuxta Hieronymi, non iuxta concilij autoritatem seruat ecclesia. Quod autem computentur uerba Gratiani inter paleas ab arguẽtibus, nihil obstat, quia oportet quòd ab alijs & non ab ipsis solis inter paleas computentur.

CAPITVLVM VIGESIMVM.

DIXI in eodem ca. xj. ex autoritate decretalis de electione in ca. significasti. quòd concilia a Papa autoritatem habent.

OBIICITVR Dicendo, quòd illud est intelligendum de concilio quantum ad suum congregari, quia regulariter autoritate Romani pontificis congregatur, sed ex quo congregatum est, siue autoritate Romani pontificis, siue alias habet immediate autori-

autoritatem a Christo.

RESPONDEO. quòd expositio ista repugnat textui, Nam ibi duo dicuntur habere concilia a Ro. ecclesiæ autoritate quòd facta sunt,& ꝙ robur acceperunt,& primũ ut patet, refertur ad ipsum congregari,secundum autem nisi superfluat ad autoritatem congregati. Et conuincitur hanc esse absq; omni ambiguitate intẽtionem literæ illius,quia reddit rationem,quare conciliorum legibus apostolica sedes non subest.Si.n. dependerent concilia tantum in congregari a Papa,ex quo leges faciunt postquàm congregata sunt,nihil ualeret ratio assignata ad intentum inferendum.Patet namq; manifeste quòd ex hoc quòd concilia regulariter nõ congregantur nisi per Papam,non sequitur, ergo non præfigunt legem Papæ,quia stat,quòd cõgregata præfigant legem,si congregata non pendent ab ipso.

CAPITVLVM VIGESIMVMPRIMVM.

DIxi in eodem. xj.ca.quòd concilium uniuersale legitime congregatum errare potest diffiniendo,Papa absente,aut non consentiente,& quasi dixi,quòd potest errare eodem modo in his quæ sunt fidei.

OBIICITVR. quia ad concilium generale spectat determinatio eorum quæ sunt fidei. & ipsi promittitur, quòd docebit uos spiritussanctus omnem ueritatẽ.In cuius signum Act. 15. ponitur spiritussanctus præsidens concilio apostolorum, cum dicitur. uisum est spirituisancto & nobis. & non dixerunt, uisum est Petro & nobis. Hoc satis innuere uidetur Aug. euangelio non crederem,nisi me autoritas ecclesiæ admoneret.

Et in sexta synodo(ut patet di.16.cap.placuit)dicitur. Placuit huic sanctæ Synodo, ut ammodo confirmata & rata sint canonum apostolorum.83. capitula. Hoc quoq; deduci potest ex illo.ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi,hoc.n. succesoribus apostolorum dicitur. concilium.n.generale repręsentat concilium apostolorũ & seniorum.

Hoc idem patet ex eo ꝙ quilibet fatetur se credere in unam sanctam ecclesiam catholicam,ex hoc.n. sequitur ꝙ ad eam ultima decisio eorum quæ sunt fidei spectat.Cum.n. Papa fatetur se credere in unam sanctam ecclesiam,non dicit se credere in semetipsum. P. Ecclesia uniuersalis non potest errare in fide,& concilium gaudet eodem priuilegio, quo ecclesia repræsentata, sicut eadem potestate. Immo cum ecclesia ut dispersa nullum

actum

actum iurisdictionis exercere possit, nec aliquid sententialiter diffinire, infallibilitas in diffiniendo ei competere debet, ut congregate in cōcilio. Et si dicatur quòd, Papa repræsentat ecclesiam sicut concilium, diceretur quod Papa represe̅ntat ecclesiam remote, concilium autem propinquissime, quia in eo est aliquis de qualibet ecclesia saltem sufficienter uocatus. & priuilegium ecclesię transit in concilium immediate eam repræsentans, non autem in summum pontificem.

RESPONDEO. Hæc obiecta dupliciter deficiunt & primus defectus communis est omnibus. secundus aut quibusdam obiectionibus communis. Defectus omnium obiectionum est, quia a concilio declinant ad concilium secluso Papa. Ex cuius proprio priuilegio (concilium quippe generale sine Papæ consensu non diffinit) constat quòd non uniuersali consensu diffinitio illa facta est, cum Papa supremum in ecclesia dei teneat locum, officium, & reginem etiam uniuersale. Quod autem uniuersali consensu diffinitum non est, proculdubio a concilio ut ecclesiam uniuersalem repræsentat, diffinitum non est. Dico igitur quòd, propositio dicens quòd concilium generale non potest errare in iudicio fidei est uera simpliciter & absolute, de concilio iudicante in fide cum Papa. & non est uera de concilio acephalo.

Et hæc responsio sufficit ad omnia obiecta quantum ad intentam conclusionem. Sed quantum ad uim ipsarum obiectionum, in speciali dicitur. Et ad primam quidem quòd, ad concilium generale spectet ultima decisio fidei, dicitur quòd hoc uerificatur de concilio ratione capitis, sicut de homine quòd uidet ratione oculi. Et quòd hoc sit uerum, patet de concilio Ariminensi & Ephesino secundo, quorum primum errauit in fide cum Arrio, secundum autem etiam errauit in fide cum Euthicete.

Et quod amplius est notandum, istud secundum fuit etiam autoritate apostolica congregatum, & in neutro consensit erroneę diffitioni Romanus pontifex. Et de Ephesino quidem secundo, clare patet ex multis epistolis Leonis, & gestis Calcedonen. synodi. De Ariminen. uero patet ex Rufino in ecclesiastica historia, & in historia tripartita lib. 5. ca. 29. Ex effectu igitur manifestum est, quòd uerbum domini, spiritussanctus docebit uos omnem ueritatem, non dictum est concilio dissentienti a Papa, quamuis legitime congregato. Hæc recte examinent omnes qui hac de re decernunt, ut caueant, & a sensatis non recedat iudicium.

Ad

Ad secundum dicitur, quòd etiam si concilium illud apostolorum, &c. fuisset concilium generale, nihil aliud haberetur, nisi quòd concilio integro cum Petro præsente, & primo, spiritus sanctus præsideret, quod gratis conceditur. Sed quare ibi in cõmuni diffinitum sit, & quòd non fuerit generale concilium illud in libello illo diximus. Ad tertium patet etiam, quòd Aug. dixit. nisi auctoritas me admoneret ecclesiæ, & non dixit ecclesię acephale. Ad quartum fateor me non uidere quid probet, nisi contra asserentes, quia canones apostolorum quàmus a synodo confirmati euanuerunt. hoc.n. non facit ad celsitudinem potestatis synodi, quàm illi intendunt. Ad quintum dicitur, quòd ad literam loquitur de ecclesia vniuersali, quę nunquam deficiet, hæc enim est, quæ succedit apostolis & alijs quibus dominus loquebatur. Ab ecclesia autem, uel etiam concilio eam repræsentante, ad concilium acephalum, non ualet argumentum.

Ad sextũ dicitur, quòd antecedens assumptum ex articulo fidei de una sancta ecclesia potest dupliciter legi. s. cum præpositione in (dicendo, credo in unam sanctam ecclesiam catholicã) & sine illa præpositione, quod melius iudicat diuus Tho. dicendo. credo unam sanctam ecclesiam catholicam. Et siquidem dicatur credo in unam, &c. sumitur ecclesia pro ecclesia integra, corpore. s. & capite quod est Christus dominus, ratione cuius in ecclesiam dicimur credere. Et tunc optime ualet consequentia, ergo ad huiusmodi ecclesiam pertinet ultima decisio fidei, & quòd Papa non dicitur credere in semetipsum. Summi quoq; potest pro ecclesia in terris ut iungitur spirituisancto, ratione cuius dicimur credere in ecclesiam, ut diuo Thom. placet. Et sic etiam patet quòd optime ualet consequentia, quòd ad ecclesiã catholicam iunctam spirituisancto, ut sic spectat ultima decisio fidei, & quòd Papa nõ dicitur propterea credere in seipsum, sed in spiritumsanctum, ut est ecclesiæ rector, sed non ualet ulterior consequentia, ergo ecclesiæ acephalæ. Si autem legatur sine præpositione, tunc dicitur ut supra, quòd creditur una sancta catholica ecclesia, sed non ualet, ergo ecclesia acephala. Et conceditur q̃ ad unam sanctam ecclesiam catholicam spectat ultima decisio fidei, sicut, & potestas iurisdictionis, quę conuenit ei ratione partis. Nec Papa credendo ecclesiam dicitur credere seipsum, sed dicitur credere officium suum, & aliorum. in cuius signum a fide deuiaret, si non crederet officium suum. Ad septimum

ptimum dicitur primo, ꝙ concilium etiam integrum non admit to gaudere de necessitate priuilegio personali ecclesiæ (quale est esse semper in ecclesia fidem formatam) quoniam de ecclesia hoc constat, de concilio autem nullibi inuenisse me fateor au tentica auctoritate firmatum, quàmuis rationabile sit de facto, ita esse, ꝙ.s.in aliqua persona concilij sit fides formata. Dicitur secundo ꝙ non posse errare in fide iudicialiter est priuilegium ecclesiæ ratione capitis, ad quod spectat iudicium. Et ideo non est priuilegium ecclesiæ acephalæ, nec ecclesiæ.i.collectionis fidelium, ad quam non spectat potestas iurisdictionis, quam tamē ecclesiam pro collectione fidelium omnium, tamen concilium re presentat, & cui promisit dominus quòd secum esset. Et ex hoc patet quantum deficit argumentum illud. nam procedit ac si ecclesiæ ratione communitatis conueniat priuilegium illud non posse errare iudicialiter, cum constet quòd sicut iurisdictio cō uenit ecclesiæ ratione capitum, ita actus iurisdictionis. Et quia actus iste.s. iudicialiter diffinire de fide, concernit uniuersalem ecclesiam, ideo conuenit ecclesiæ ratione capitis, cui commis sa est cura uniuersalis ecclesię, sicut alij actus ratione aliorū capi tum proportionaliter. Dicitur ergo tertio formaliter, quòd cō cilium integrum gaudet eodem priuilegio officij nō ꝑsonæ quo guaudet ecclesia, & eodem modo.s.ratione partis, puta capitis & similiter gaudet eadem potestate, & eodem modo, sed ex hoc magis habetur intentum. Et concedo gratis, quòd infallibilitas in diffiniendo de fide, conuenit cōcilio integro ratione capitis, & non ab ecclesia, cui etiam hoc non conuenit nisi ratione ca pitis, sed a Domino IESV, cuius caput uices gerit.

Quod autem dicitur de repraesentatione immediata, & remo ta, duo importat, scilicet repraesentationem ecclesiæ per Papā & concilium, & modum repraesentandi. Et quo ad repraesenta tionem dicitur, quòd inter Papam, & concilium tanta est in hoc differentia, quòd concilium repraesentat uniuersalem ecclesiam integram (hoc est corpus cum capite) proportionaliter, sic quod caput concilii repraesentat Christum caput ecclesiæ, & corpus concilij corpus ecclesiæ. Et hic est uerus, & indubitatus sensus, quo concilium, uniuersalem ecclesiam repraesentare dicitur, & a domino immediate potestatem habere. Ecclesiam aūt in terris positā, conciliū integrum quo ad ptātem repraesentare dicitur, pro quanto omnis ecclesiastca ptās in eo inuenitur per

seipsam

seipsam uel in sua uicaria. quo ad uota uero, quia intelligitur in ipsum consentire omnium personarum ecclesiæ uota, ut patet ex autoritate Gregorij supra inducta. Papa autem uniuersalem ecclesiam integram, & in terris ecclesiæ potestatem & uota, difformiter repræsentare inuenitur. nam caput dominū .s. Iesum Christum participatiue, Papatum in seipso formaliter, reliquę ecclesiæ potestatem & uota eminenter representat. De differentia autem obijciendo tacta, totum oppositum est, quia dum ratione prælaturæ concilium ecclesiam repræsentare dicitur, & solus Papa immediate a Christo prælatus est, reliquum autem ecclesiæ corpus a domino mediante Petro munus hoc habet. oportet dicere quòd Papa immediatius repræsentat ecclesiam quàm concilium, quia Papa mediante solo Christo, concilium autem mediante Christo & Papa.

CAPITVLVM VIGESIMVM SECVNDVM.

DIXI in ca. 13. quòd potestas applicatiua papatus ad personam, regulariter & principaliter est in Papa, & non nisi in casu in concilio seu ecclesia. & in ca. 6. idem sub alijs uerbis .s. quòd potestas electiua Papæ, in Papæ potestate est. Et attuli ad hoc utrobiq; duo argumenta. Primum ex facto Petri. 8. q. 1. ca. si Petrus. Secundum ex eo quòd Papa determinat de actu electionis, ita ꝙ contrario modo factus sit irritus.

OBIICITVR contra quatuor .s. contra hoc, quòd talis potestas est in Papa, & contra hoc, in casu tantum est in ecclesia seu concilio, & contra utrunq; argumentum. Primo ergo arguitur cōtra primum ex Occham. Si potestas electiua Papę esset in potestate papæ, sequeretur quòd papa posset relinquere ecclesiam absq; potestate electiua, quod est impossibile, ergo. Et tenet sequela, ponendo ꝙ mortuis, uel priuatis electoribus papa non ordinaret electores, Et si dicatur quod in tali casu deuoluitur ad ecclesiam. Contra, quia tunc sequeretur quod ecclesia esset superior papa, quod tu negas. Et tenet sequela, quia nunquàm potestas aliqua ex negligentia alicuius deuoluitur ad alterum, nisi sit simpliciter & absolute superior, potestas enim papalis, non deuoluitur ad episcopum ex negligentia papę non prouidentis alicui beneficio, sed econuerso. P. Si ecclesia in illo casu habet potestatem electiuam, quæritur a quo habet immediate, cum a seipso nō habeat. Si dicatur a Christo, difficile erit reperire

in sacris literis fundamentum, in quo possit stabiliri quòd in illo casu habeat, & non regulariter. Secundo principaliter arguitur ex armachano. Non est uerisimile, quòd dominus uoluntati unius hominis cõmisisset potestatem electiuam summi pontificis, quia posset euenire, quòd una progenies diceret. hereditate possideamus sanctuarium dei, dum quilibet in fine uitæ suum cõsanguineum subrogaret. Tertio. Quia sequeretur, quòd etiam potestas destitutiua papæ in casu heresis, quo deponi potest, esset in papa, & sic par in parem haberet imperium. Et rursus quòd papa posset constituere, quòd papa hereticus a duobus uel tribus deponi posset. Et tenet sequela, quia per easdem causas habent generari & destrui potestates iste. Quarto. Si in papa esset potestas electiua papæ, uel ergo est in eo potestas illa sic quòd per semetipsum potest successorem eligere, uel solum quia aliquibus potest illam potestatem cõmunicare. Hoc secundum nihil habet apparentie. Ex primo autem si concedatur, sequitur hoc inconueniens quòd esset in potestate duorum facere quòd alternatis uicibus quilibet per annum in ordine suo esset summus pontifex, more Annæ & Cayphę. Et patet consequẽtia, quia unus papa pro sua uoluntate potest eligere alterum in papam; & in fine anni ille alter reeliget eundem, & sic deinceps. Quinto. Christus non contulit papæ aliquam potestatem perniciosam ecclesiæ, sed (ut habet glosa in cap. si petrus) hoc est perniciosum, quòd aliquis eligeret sibi successorem, ergo Christus non contulit illam potestatem.

Contra rationem ex facto petri allatam, dicitur primo, quòd petrus non instituit Clementem, sed instituendum ordinauit. Dicitur secundo, quòd hoc fecit instinctu spiritussancti, quo ẽt præuidit mortem. Dicitur tertio, quòd papa in casu necessitatis quo electores non possent congregari, & pro occurrenti periculo opus sit pastore, potest papa moriens instituere successorem.

Contra rationem autem, ex hoc quòd papa statuit circa actũ electionis ẽt electores determinando, &c. dicitur, quòd papa non dedit potestatem electiuam Cardinalibus, sed ecclesia uniuersalis in sexta synodo in cap. in nomine domini. ubi Nicolaus papa non propria autoritate, sed sanctorum patrum statuit. Et propterea ubi Cardinales potestate sibi tradita abuterentur manifeste, uniuersalis fidelium posset eos priuare potestate electi-

ua papa, & alijs eam committere.

Respondeo. Et primo declaro sensum uerborum meorum in libello illo. secũdo quid in hac materia mihi uidetur. tertio satisfacere curabo obiectis.

Quo ad primum nunquàm dixi, quòd papa potest sibi eligere successorem, nec quòd potestas electiua papæ sit in papa formaliter, nec quòd potestas applicatiua papatus ad personam sit in papa formaliter, sed dixi quòd huiusmodi potestas est in papa regulariter, & principaliter. Constat namque apud uiros doctos, quòd multa sunt in potestate superioris, quę non sunt in illo, & eius potestate formaliter, & quæ etiam non potest per se ipsum immediate facere. Sunt enim in intelligentijs (quas angelos dicimus) formæ inferiorum, & eorum potestates, non tamen formaliter, nec sic, quòd possint earum actus per seipsas exercere. sunt in corporum Cœlestium potestate formæ elementorum, & eorum potestates, non tamen formaliter, nec sic quòd eorum opera possint per seipsa exercere. Stat igitur ꝙ huiusmodi electiua potestas sit in papa regulariter, & principaliter, & non sit in eo formaliter, nec possit per seipsum huiusmodi potestatis actum exercere. Sumantur ergo uerba mea in hoc sensu, ꝙ potestas electiua est in potestate papæ uirtualiter seu eminenter, & hoc quo ad modum essendi. & quod est in potestate papæ regulariter.i.ordinario iure, ad differentiam ecclesiæ uiduæ, in qua est huiusmodi potestas in casu. & principaliter ad differentiam eiusdem ecclesię, in qua est secũdario, pro quãto in casu potest non solum eligere, sed facere electores, & ordinare de modo electionis. Hæc de primo.

Quo ad secundum, quia eius est potentia, cuius est actus (ut dicitur in de sonno, & uigilia) & electionis papę actus simpliciter, & absolutæ non est papæ, ideo potestas electiua papæ non conuenit formaliter papæ. Probatur minor. electio papæ est actus factiuus quantum ex se est tunc papæ, ergo repugnat ei, ꝙ præsupponat pro tunc papam. Et tenet consequentia, quia qđ fit nõ est, si enim esset iam non fieret. Tunc ultra, ergo elector papæ non est papa, & tenet sequela, quia elector præsupponitur secundum naturam electioni, & est simul tempore cum electione. Tunc ultra. ergo actus electionis papæ non est papæ, & tenet sequela, quia electio papę est actus electoris papę. Ex hoc igitur patet, quòd potestas electiua papæ, cuius actus simpliciter, & absolu-

absolute est electio factiua ex natura sua tunc, papæ nõ est in papæ potestate formaliter. Et confirmatur auctoritate consuetudinis ecclesiasticæ, qua fit ut electio nes pastorum non fiant nisi uacationis tempore. necnon diuinæ sapientię suauiter omnia disponentis, quæ dixit. sufficit diei malitia sua, Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. In subiecto igitur opportuni temporis quo potestas electiua eligere debet, locata est formaliter, & nõ in papa: qui solum præueniendo solicitudinem crastini diei eligere posset, ut patet. Subiectum autem huiusmodi electiue potestatis formaliter (iuxta peripateticam, & apostolicam simul auctoritatem, qua inuisibilia ex uisibilibus cognoscenda a nobis sunt) ex ipsius electionis actus exercitatione inuestigandum est. Apparet autem absque omni ambiguitate, quòd electio papæ ad Romanam ecclesiam spectat, computando intra Romanam ecclesiam episcopos Cardinales, qui uelut suffraganei Romani Archiepiscopi introducti uidentur. Et propterea cessante omni humano statuto, certisque existentibus ecclesiæ Romanæ membris, in eadem regulariter est potestas electiua papæ, non minus, quàm in cæteris ecclesijs potestas electiua suorum episcoporum. Ex eo enim quòd Christus dominus Romanam ecclesiã elegit in Petri ecclesiam propriam, dum ipsi ne ex Roma, sicut ex Antiochia papatum transferret inhibuit (dicens. uenio Romam crucifigi) ecclesiæ Romanæ potestatem electiuam papæ non positiue, sed negatiue, hoc est, oppositum non ordinando, concessisse dicitur. In casu autem incertorum electorum, ecclesiæ uniuersali eandem potestatem eadem ratione (quia scilicet, est episcopus uniuersalis ecclesiæ) & eodem modo, scilicet, negatiue dedisse intelligitur. Ex statuto autem humano, apostolica auctoritate contractum per uiam determinationis positiue est subiectum potestatis electiue ad Cardinales Romanę ecclesiæ solos. Papa enim ex eminentia potestatis, cure ac regiminis uniuersalis, potest de electiua potestate decernere, ipsamque sic dirigere, & ordinare, ut contrario modo faciendo irrita sit in suo opere, & subiecto, ut patet in gestis ipsorum pontificum & obseruatione ecclesię. Hæc de secundo.

Quo ad tertiũ respondẽdo obiectis pro quãto militãt aduersus hęc, dicitur ad primũ, ꝙ ĩpossibile est ecclesiã relinqui absq; papa, & ptãte electiua papæ, quoniã decedente papa absq; ullo decreto de hoc, negatiue relinquit potestatẽ electiuã ecclesiæ

Roma-

Romanæ,ſicut Linus ſucceſſor Petri ĩmediatus electus creditur.
Reſponſio quoq; data quod per uiam deuolutionis poteſtas applicatiua Papatus ad perſonam eſſet in eccleſia uniuerſali in caſu,pro quanto ex meo libello aſſumitur, nõ intelligitur de deuolutione propter negligentiam,cõtra quam obijcitur,ſed communiter.& propterea non ſic arctatur deuolutionis uocabulum, quin ſiue deuolutionis,ſiue ſucceſſionis,ſiue ſuppletionis, ſiue cuiuſcunq; alterius modi in hac ſententia uiam includat.Vnde non ſuper negligentia electorum, ſed ſuper defectu ordinariorum electorum fundaui,& in tali non in alio caſu ibi dicta intelligo. Exiſtentibus ſiquidem certis electoribus,qui hodie ſunt Cardinales, non ſuccedit Romana eccleſia, neq; eccleſia uniuerſalis, defunctis autem omnibus Cardinalibus,Romana eccleſia a qua Linus eſt electus ante humana iura nobis nota, immediate ſuccedit. Quia tamen pars clauditur in toto,& in eccleſia uniuerſali clauditur eccleſia Romana,ſi concilium generale cum pace Romanę eccleſiæ eligeret in tali caſu Papam, uerus papa eſſet ille qui electus ſic eſſet. A quo autem eccleſia Romana aut eccleſia uniuerſalis haberet in caſu poteſtatem electiuam Papę & non regulariter,facile patet.Nam conſtat quòd haberet a Chriſto, & eius uicario negatiue,quia .ſ. neuter ordinauit oppoſitum, & Chriſtus dominus ſtatuit Petrum in ſucceſſoribus perpetuum.Stante ſiquidẽ hoc ſecundo,cum ſucceſſio carnalis in nouo teſtamento conſilio caſtitatis,maxime conuenienti perfectiſſimo ſtatui(qualis Papæ eſt) diſſonet,uoluntaria quoq; quaſi adoptio uel inſtitutio ſucceſſoris ſuaui eccleſiæ diſpoſitioni aduerſetur, uia electionis perpetuandus relinquitur ſucceſſor Petri,proculdubio ab eccleſia ſua. quæ quia eſt & Romana & uniuerſalis, niſi ipſe Papa determinet qui Romanam & uniuerſalem eccleſiam repræſentent in eligendo, determinationi ipſius Petri & domini, qua facto morte.ſ. Petri in epiſcopatu Romano determinatũ eſt quòd eccleſia Romana repræſentet eccleſiam uniuerſalem in electiua poteſtate(ut patet ſi ſecludamus omne ius poſitiuũ per intellectum & aſpiciamus ad eccleſiæ antiquæ conſuetudinem) ſtandum eſt. Vnde non oportet ſolicitari de autore poteſtatis electiuæ in caſu, & non regulariter in eccleſia. Ad ſecundum dicitur, quòd non eſt contra ſenſum declaratum.Argumentum tamen non eſt oſtenſiuum,nec ducens ad inconueniens ex natura poteſtatis, ſed ex abuſu,ex quo ſi liceret arguere, neſcio quæ poteſtas uniuerſalis

uersalis recte committi posset uni hoi. Ad tertium dicitur, ꝙ, quia quelibet potestas ecclesiæ est inferior potestate Papę cui reliquæ subiacent potestates, nullum inconueniens uideo concedere, quòd in Papę potestate eminenter continetur potestas etiam depositiua Papæ heretici, & quòd posset constituere, & quòd a collegio Cardinalium posset deponi in casu quo deponēdus est. Nec sequitur quòd par in parem habeat imperium, quia non supra Papam sed supra coniunctionem papatus cum persona, exerceret imperium, in statu in quo coniunctio illa est in corrumpi ex diuino iure. Ad quartum dicitur, quòd proprie loquendo neutro modo est potestas electiua in Papa, sed quia potest determinare electores & modum eligendi. Vnde non oportet ad inconueniens deductum respondere, quod tamen ex abusu potestatis sequæretur. Ad quintum dicitur, quòd non potestas sed abusus potestatis si data esset a Christo, esset perniciosus.

Ad obiecta uero contra rationem ex facto petri, dicitur quòd prima glosa uidetur contra textum dicentem tradente sibi Petro, & non dicit ordinante quòd sibi traderetur. Secunda uero glosa acceptari potest. quàmuis non sit autentica, præsertim quia mortem non instinctu spiritussancti sed domini uoce agnouit, dicentis. uenio Romam iterum crucifigi. Tertia autem glosa si acceptatur, eminentie potestatis Papæ fauet, ut patet. sed quomodo tunc fuerit talis necessitas deberet a periri. Videtur tamen mihi, quòd uel iuxta secundam glosam instinctu spiritussancti Petrus hoc fecerit, uel de eminentia potestatis (propter quod dissolutū a spiritusancto dicitur factū Petri, nō semper erūt Petrus & clemens) uel potius ꝙ tanquàm incertū factum, auctoritatem firmam non faciat. Dico autem incertum, quia ecclesia linum & cletum reputās summos pontifices, computatis annis quibus quilibet eorum rexit ecclesiam Ro. ante Clementem, testari uidetur quòd uerba illa Ioannis Papæ tertij tanquàm natratiua crediti facti accipienda sint, & non ut autorizantia factum quod narratur. propter quod auctoritate illa utimur, ut ualeat quantum ualere potest. Accidit ad hoc uersus in glosa ibidem de clemente dicens. Disputat hoc mundus quartus fuerit, ue secundus. Ad obiecta demum contra rationem ex hoc ꝙ papa statuit de electoribus papæ, dicitur ꝙ manifeste constat ex illo ca. in nomine domini. quòd propria auctoritate papa illud statuit in synodo, ut patet ex illis uerbis, uenerabilis Pontifex decernens

nens

tiens auctoritate apostolica inquit. Mirum est autem, quòd arguentes non aduerterint grammaticam constructionem in sequentibus (ubi dicitur. quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumq; sanctorum patrum auctoritate, decernimus, ut obeunte, &c.) & dixerint propter hæc verba, quòd papa non propria, sed sanctorum patrum auctoritate statuit, cum li auto ritate determinet li instructi, & non li decernimus. unde solidum stat quòd papa auctoritate propria statutum illud fecit. Quàm uis etiam omnia statuta de electione papę, quo summus Pontifex etiam in synodo fecit, propria auctoritate fecerit, & sancti patres in synodo congregati nihil possint sine autoritate Romani Pontificis statuere. Hæc quoq; ex auctoritate papæ fieri comprobantur. dum statutum Gregorij decimi cum cõcilio Lugdunen. (quod habetur in 6. de electio. ubi periculum. disponens de electione Papæ, reuocatum per Adrianum & Io. XXII. ac deinde reassumptum per Celestinum V. & Bonifacium VIII.) robur auctoritatis habet, ut gl. in eodem ca. dicit Clementinã quoq; ne Romani, de electione papæ, a papa non a concilio generali factam esse patet in Clementinis de electione. Multa quoq; circa electionem papæ statuta in di. lxxix. patet a Gratiano referri. Et nouissime Iulius II. qui uiuit & regnat, statutum nouum edidit de electione papæ absq; concilio generali. Vnde negare huiusmo di potestatem in papa, est negare sensum.

CAPITVLVM VICESIMVMTERTIVM.

DIXI in c. 20. 21. & 22. quòd in ecclesia Dei est potestas autoritatiua super coniunctionem Petri, & papatus, non au tem super Papam.

OBIICITVR contra tripliciter. Primo quia contrariantur dictis in libello illo. Secundo quia contrariantur hæc duo inter se. Tertio quia falsum est, potestas depositiua Papæ, quæ est in ecclesia, non sit auctoritatiua supra papam. Primum ostenditur sic. in cap. 6. & 13. dictum est, quòd potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad hanc, uel illam personam est in solo papa, nunc dicitur, quòd potestas auctoritatiua super con iunctionem est in ecclesia, ergo contradictio. Secundum aũt ostenditur exemplo, quo vtor retorquendo in me. Habere enim potestatem super hominem, non est habere potestatẽ super animam, nec corpus, sed super separationem animę a corpore, cũ nihil

nihil aliud faciat occidens hominem. quid ergo aliud est habere potestatem auctoritatiuam super papam, quàm posse papatum ab ipso auctoritatiue separare? Tertium autem (quòd.s.ecclesia auctoritatiua super papam ipsum deponit) probatur tripliciter. Primo, quia aliter papa hereticus citatus non tenebitur comparere, nec erit contumax non comparens, iudicabunt ergo inauditum, aut non obligatum respondere. Secundo omnis actus punitiuus personę ratione proprij peccati, est ab habente iurisdictionem super eum qui punitur. Tertio arguitur ad hominem, meipsum.s. Ecclesia potest excommunicare papam hæreticum antequàm deponat, ergo habet autoritatem iurisdictionis super papam. patet sequela. Et antecedens ex te est, quia cũ tu dicas hanc consequentiam esse bonam non est excommunicatus ipso facto, ergo non est depositus, & ista erit bona, non potest excommunicare, ergo non potest deponere. & ista potest deponere, ergo potest excommunicare.

RESPONDEO. Et ad primum dicitur, quòd nulla est in dictis meis contrarietas, quoniam superius de auctoritate eminentiæ erat sermo, ubi ecclesiæ potestas papæ potestati comparabatur. Vnde dictum est ibi, quòd papa est moderator & director potestatis ecclesiæ, & non econuerso, hoc enim ad eminentiam & non eminentiam potestatis spectat. Hic autem sermo est de auctoritate efficaciæ, dum dicimus quòd potestas ecclesiæ autoritatiue potest super coniunctionem, &c. hoc enim nihil aliud sonat, nisi quòd talis potestas tanquàm superior coniũctione illa, potest efficere illam, agens enim ut sic præstat eo quod fit ut sic. Cum hoc nãq; patet bene stare, quòd potestas applicatiua potestatis ecclesiasticæ, secundum eminentiam est in solo papa.

Ad secundum uero dicitur, quòd hæc duo, scilicet, potestas est super coniunctionem, & non super papam, in nullo repugnãt inter se, quia diuersa sunt. Et papa significat aliquid maius cõiunctione, quoniam significat formam papatus, sicut dominus formam dominij. Propter quod retorsio exempli de homine nihil ualet. nam non conuenit papæ significatum equiparare significato hominis, & simile de utroq; ferre iudicium, quia homo significat formaliter compositum ex anima, & corpore, papa uero significat formaliter purum papatũ, quàmuis in concreto, ut patet. Sed hoc totum Petrus papa se habet ut li hõ. & conceditur quòd ptãs illa põt super Petrum papam, rõne subiecti (ut in

libello

libello dicitur) non autem super papam, quia non potest ex parte formæ. Vnde patet nullam esse repugnantiam, & quòd aliud est posse super papam, & aliud super Petrum papam, sicut aliud est posse super compositum & aliud super formam. Ad primum autem contra tertium (hoc .s. quòd potestas ecclesiæ non est supra papam) respondetur, quòd Petrus papa hereticus tenetur ad omnia quæ sunt necessaria ad iudicium depositionis ipsius, ut in libello ca. 21. expresse dictum est. unde mirandum uidetur de obiectionibus. Dico igitur, quòd petrus papa hereticus ratione subiecti sic dispositi, subditur potestati depositiue ecclesiæ, & in oībus necessario præambulis & consequentibus. Nec ex hoc sequitur, quòd potestas ecclesiæ sit supra papam, sed supra petrum papam sic depositum in hoc tantum. Et per hoc patet solutio primi & secundi. Ad tertium uero dicitur quòd (ut patet in ca. 19. libelli, unde impositum est mihi ꝙ dicam illam cōsequentiam bonam) nunquā ego dixi hoc, nūquā somniaui connexionē inter excōicationem & depōnē, immo oppositū expresse sensi. Ego.n. ex illa communi radice. id quod infligitur a iudicio humano, non incurritur ipso facto ex solo pctō interiori pure, intuli duo. s. negationem excommunicationis, & negationem priuationis. & dixi, quòd si ex hac radice sequitur non esse excommunicatum, multo magis sequitur non esse priuatum, quia ibi non requiritur declaratio apud iuristas. sicut hic. Argumentum autem procedit contra dicentem illationem formalem a negatione excommunicationis ad negationem depositionis, & ideo non est ad propositum.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVARTVM.

Dixi in ca. 21. quòd papa posset committere potestatem depositiuam papæ heretici collegio Cardinalium.

Obiicitvr quòd non possum sic dicendo sustinere, quin par in parem habeat imperium.

Respondeo, quòd facillime patet ex hoc non sequi parem in parem habere imperium, quia potestas depositiua non est supra papam, sed supra cōiunctionem petri cum papatu, quæ coniunctio non est par papæ. Quare autem huiusmodi potestas depositiua papæ, quàmquàm minor papatu, non sit auferibilis ab ecclesia a papa, in promptu causa est, quia diuino iure illi conuenit contra papam hereticum, ut patet ex dictis in libello.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVINTVM.

DIXI in ca. 26. rationem quare papa pro infidelitate sola potest deponi, quia sola infidelitas inter crimina contrariatur ad esse papæ.

OBIICITVR. dupliciter contra hanc rationem. Primo. quia falsum est quòd fides requiratur ad esse papæ, cum papa si fiat hereticus, adhuc sit papa apud me, sufficit enim character baptismalis, Secundo. quia hæc ratio æque fortiter probaret, ꝙ pro heresi deponi non posset, quia heresis non opponitur ad esse Papæ.

RESPONDEO. ꝙ ratio mea nõ est intellecta ut est, studiose namq; non posui inter conditiones requisitas ad esse papæ fidem sed christianitatem, ut excluderem hanc obiectionem. Nec assumpsi, quod infidelitas sola inter uitia contrariatur fidei, sed christianitati seu conditioni requisitæ ad esse papæ, ut patet in libello. Constat enim christianitatis statui (qui membrũ Christi constituit) solam infidelitatem inter uitia opponi, & quod christianitas requiritur necessario ad esse papæ. Et in libello eodem, ca. 27. clare manifestaui differentiam inter christianitatem & fidem, & quod christianitas est status quidam ecclesiasticus ex charactere & fide constitutus. Sed ut melius uis rationis perspiciatur, ex conclusione intenta & directa oppositione infidelitatis, considerandum est, quod non est intenta aut deducta conclusio ex illa ratione, quòd papa habet non esse propter infidelitatem, sed quòd est dispositus propinquissime ad non esse, quod significat conclusio, dicens, ꝙ est deponendus. Et propterea nõ oportet quòd infidelitas sic opponatur christianitati, quòd auferat totaliter esse christianum, si .n. hoc tolleret, non deponendum, sed depositum papam inferret. Sed sat est, quod opponatur christianitati sic quòd constituat christianum hominem quantum est ex parte hominis in non esse christianitatis. Per hoc siquidem non esse christianitatis in Petro papa, constituitur Petrus papa in esse deponibili, quia per tale non esse est dispositus sic ut deponi possit, ut patet ex dictis in libello. Et manifestatur ex officio papæ. cum .n. papæ officium sit pascere doctrina & opere, cum habet fidem formatam uelut sanus uiuit in papatu, dum autem habet fidem informem ob perditam charitatem, nõ pascit amplius exemplo, sed doctrina tantum, ac per hoc uelut eger in papatu est. Si demũ etiam fidem omnino amiserit, iam nec doctrina pa-

scere

ſcere potens eſt,& quaſi mortuus ſicut in extremis uitæ conſtitutus,ad omne opus inualidus,diſpoſitus eſt ut morte depoſitionis auferatur a uita papali. Vnde patet reſponſio ad primum, quia non obſtat rationi,quòd infidelitas ſtat cum eſſe papæ, ut patet ex dictis. Et potes eandem ſententiam unico uerbo dicere, quòd fides eſt neceſſaria ad eſſe Papæ ſimpliciter, quamuis non ſit neceſſaria ad eſſe papæ ſic.ſ.quaſi mortui. immo ex hoc quòd conſtituit papam in eſſe papę ſimpliciter,& eius oppoſitum conſtituit in eſſe papæ quaſi mortui, manifeſte ſequitur, quòd conſtituit papam in eſſe deponibili. Et per hoc patet ſolutio ſecundi.hereſis.n.non ſtat cum eſſe chriſtianum ſimpliciter,nec cum eſſe papam ſimpliciter,quanuis non auferat totaliter utriuſq; eſſe. Sed quia conſtituit non eſſe chriſtianum quantum ex parte hominis,ideo conſtituit diſpoſitum ad non eſſe papæ,quoniam eſſe papam ſimpliciter ſupponit eſſe chriſtianum ſimpliciter. Sed argumentum in hoc fallitur,quia accepit hanc rationem ac ſi inferret non eſſe papæ ſic ꝙ eſſet depoſitus, cuius tamen contrarium patet in litera. Manet ergo ratio illa nō inuenta adhuc minus habens,quamuis in ſtatera poſita,ut deſiderare me dixi.

CAPITVLVM VIGESIMVMSEXTVM.

DIXI in eodem.26. ca. iuncto. 25. quòd ex ſacra ſcriptura ſolus caſus hereſis excipitur ab impunibilitate papæ reſpectu eccleſiæ.

OBIICITVR Quia in ſacra ſcriptura inuenitur etiam,alias criminoſum eſſe ſeparandum,ut patet.1. ad cor.7. Si is qui frater nominatur inter uos eſt fornicator,aut auarus,aut idolis ſeruiēs aut maledicus,aut ebrioſus,aut rapax,cū huiuſmodi nec cibum ſumere. Et dominus matthe. 18. innuit, hominem pro quolibet mortali,cui annexa eſt contumacia, eſſe excōmunicandum. Et ſi gloſati fuerint hi textus de ſubditis in terra,ſimiliter gloſabuntur textus allegati parte de heretico. Et ad dicta ſaluatoris & Petri conceditur,quòd quandiu bene docent & remanent prælati,ſunt audiendi.

RESPONDEO. quòd cum ſacra ſcriptura tota ſit ab uno autore (qui eſt ſpiritusſanctus) & uelut una integra doctrina legis diuinę,non eſt gloſis ſed textui attribuendum,cum ex cōiunctione diuerſorum locorum ſcripturæ,ſenſus unus colligitur. ſic autem eſt in propoſito. Cum.n. propter hereſim maxime,& propter etiam alia crimina ſint diuino iure uitioſi multi ſeparādi ab

eccleſia,

ecclesia, & exceptio fiat de solis prælatis ab ipso diuino iure in criminibus alijs ab infidelitate: manifeste colligitur absq; nostris glosis, quòd reliqui pro multis criminibus, prælatus autem pro sola infidelitate diuino iure separandus ordinatur. Scriptura igitur loquens de heretico, communis est prælatis & subditis, quia nulla fit exceptio in ea de prælato. loquens autem de alijs criminibus, prælatum simpliciter non comprehendit. quia excipit eũ.

Ad responsionem vero datã exceptioni Domini & Petri (quãdo exceptus est prẹlatus Matth. uigesimotertio super cathedrã Moysi. &. 1. Pet. 2. obedite præpositis diiscolis) dicitur quòd responsio illa scilicet quandiu bene docẽt & sunt prælati, potest bene & male intelligi. Bene quidem, si sit sensus, quòd quandiu per se bene docent & sunt prælati. Et sic nihil obstat proposito: quoniam fides christi est, qua fit doctrina, & quæ sustinet prælatum in esse simpliciter. ac per hoc quandiu habent fidem, habent vnde per se recte doceant & sint prælati, quantum est ex iure diuino; vt patet in libello. Male autem si sit sensus, quòd non dicitur prælatus tolerandus, sed si toleretur audiẽdus, quoniam cum in maiori includatur minus, & plus sit malos prælatos audire cũ effectu & obedire eisdem quam tolerare (vt patet) consequens est, quòd mandatum Domini & Petri de obediẽtia prælati male vitæ & bonæ doctrinæ, claudat in se mandatum de toleratione ab eisdem, quibus obedientiam indidit. Et sic auctoritas iuris diuini allata, efficax ad propositum restat, supra firmam petram fundata.

CAPITVLVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

DIXI in eodem. 26. ca. conclusiue, quòd in solo casu hæresis papa subijcitur ecclesię, ita quòd possit deponi.

OBIICITVR primo. Quia in epistola Clementis ad Iacobum, ex ore Petri apostoli ordinatur, quòd clemens Papa deponatur propter negligentiam, ecclesia siquidem non spernit illam epistolam, quod sufficit. Secundo. Quia cum ecclesia in casu hæresis sit iudex Papæ, & talem potestatem non habeat nisi Matt. 18. & ibi non commemoretur magis peccatum hẹresis quã quodcunq; aliud cũ contumacia, sequitur ꝙ non solũ casu hæresis ecclesia sit iudex Papæ. Tertio. Quia si vicarius regis absentis tyrannice regeret, cõitas posset illum deponere, ergo ecclesia potest deponere vicarium Christi domini, si tyrãnice regat.

Respondeo

RESPONDEO, quòd epistola illa eadem facilitate reijcitur qua recipitur, immo maiori reijcitur: vt patet ex opposito decreto 40. di. si papa, vbi manifeste propter negligentiam papa non iudicãdus dicitur, quamuis perniciosam, vnde non sufficit illius auctoritas. Autoritas autem Domini secundo loco allata, potestatem ecclesiæ supra subditos sibi vt sic manifestat. Et propterea cum papa ex alijs locis sacræ scripturæ non sit subditus ecclesiæ nisi in casu hęresis, consequens est, vt ex illa sententia Domini non habeat ecclesia potestatem super eum quia est Papa, nisi in casu hæresis. quod enim ibi non est expressum, sufficit alibi inueniri declaratum. Ad tertium dicitur, quòd similitudo illa deficit dupliciter. Primo quia communitas libera habet potestatem deponendi principem, regem scilicet si tyrannice regat, & ideo non est mirum, si potest deponere etiam vicarium illius. Ecclesia autem serua est principis sui Iesu christi. Secundo. Quia rex purus homo absens supponitur, & solum per vicarium gubernare, rex autem noster sic absens est corpore, vt per seipsum audiat querelas contra vicarium suum ab ecclesia & membris singulis, & propterea non est ab ecclesia eius vicarius deponendus; sed recurrendum est ad principem audientem & optimum vt deponat.

CAPITVLVM VIGESIMVMOCTAVVM.

DIXI in eodem vigesimosexto cap. quòd propter scandalum non est præscindendum caput iuxta domini sententiã Matth. 18.

OBIICITVR quòd licet non sit auferendum caput totaliter sic quòd nunquam sit futurum aliquod caput, tamen auferendum est istud caput, sine quo in corpore remanet vita, immo quod corpus inficit quantum est ex se.

RESPONDEO quòd ex verbis domini negatiue tamen (vt in libello dictum est) sumitur quòd nec totaliter, nec hoc caput prescindendum est, quoniam expresse dicitur, si manus tua, oculus tuus, pès tuus. Pronomen siquidem adiunctum, ostẽdit quòd de membro hoc loquitur, & consequenter de capite isto negatum accipimus quòd prescindatur. Falsum quoque est, quòd sine isto capite sit vita, cum ipsum loco domini salusicet ecclesiam: vt in ca. si papa. di. 40. dicitur.

Nec inficit in hoc caput, sed recte docet, quamuis abusus po testatis capitalis in isto inficiat quantum est ex se ecclesiam, nō hoc caput, sed abusus illius in culpa est, & non est præscindendū caput, sed illius abusui congruis remedijs obuiandum.

CAPITVLVM VIGESIMVM NONVM.

DIXI in cap. 27. quòd Deus optime prouidit ecclesiæ, disponens, quòd orationis remedio contra papam malū uteretur, non autem depositionis potestate.

OBIICITVR, tripliciter. Primoq; quia minus bene instituta esset policia ecclesiastica, quàm ciuilis. Et tenet sequela, quia ciuilis potest principem tyrannice regentem pertinaciter deponere, ecclesiastica autem non posset. Secundo, quia Deus ademisset communitati ecclesiæ potestatem sibi naturaliter conuenientem, & necessariam ad pacificam conuersationem, qualis est potestas depositiua principis in casu tyrannidis. Et tenet sequela, quia talis potestas naturaliter conuenit communitati perfectè, & libere. Tertio, quia cum Deus opportunius remedium quàm orationem ecclesiæ potuerit instituere (.s. potestatem depositiuam) dicere non aliud remedium quàm orationes reliquisse, est dicere politiam ecclesiasticam non bene institutam, & effectam seruam strictissima seruitute.

RESPONDEO quòd Deus longe melius, & eminētius instituit ecclesiasticam rēpublicam quàm ciuilem, quoniam illam instituit cum proximo, & homogeneo capite, uiuo in perpetuū sine potentia errandi, præsente spiritualiter uotis omnium, & singulorum ubique. hæc enim est institutio reipublicæ Christianæ simpliciter. De institutione autem ad tempus, scilicet corporalis absentiæ principis nostri, dicitur ēt quòd optima est, quando consonat primariæ institutioni. Et quoniā respublica Christiana secundum suam primariam institutionem serua est nata, & tota potestas est in suo principe naturali, ideo optime consona institutio ad tempus est, ut non communitati, sed Vicario principis potestas plena committatur (ut prędictum est) & quod respublica quandiu uicarius principis sub principe est simpliciter, (quod fit per esse Christianum) simpliciter recognoscat principem uiuum, recurrat ad audientem & paratum exaudire. Et scito quòd contingit homines in hac re falli, quasi a negatione modi ad negationem rei. Cum enim deponere papam contingat multis modis, scilicet per prouidentiam humanam, & per orationem

tionem ecclesię perseuerātem, & neutro modo opus sit nisi in casu ueræ necessitatis. ex hoc, quòd ecclesiæ non est concessum q̄ possit deponere per uiam prouidentiæ humanæ, non sequitur ecclesiæ non esse concessum, quòd possit deponere papam, quoniam alia uia. s. orationis perseuerantis infallibiliter potest, quę enim per amicos possumus, p nos aliqualiter posse testatur philosophus, quanto magis quæ per patrem possumus.

AD PRIMVM ergo negatur sequela. Et ad probatione dicitur, quòd utraque politia (s. tam ciuilis quàm ecclesiastica) potest deponere tyrannicæ regentem ipsam. sed diuersimode, quia ciuilis perfecta, & libera potestatiue, & per prouidentiam humanam, ecclesiastica autem per potestatem sui patris per orationis perseuerantiam, quando uerè oportet. Et hic modus quidem excellentior, & non potens errare, sicut primus est melior & propterea non minus bene, sed melius prouisum est ecclesiasticę reipub. de modo abiiciendi a se malum ministrum, quàm ciuili. Ad secundum negatur etiam sequela, quia communitas Christiana nata est serua, ac per hoc naturali iure sibi non cō petit potestas super principem suum, & consequenter, nec super principis uicarium, nisi a principe sibi concedatur. Vnde licet uerum sit, quòd ecclesiastica communitas distincta contra principem non habeat super principem, & eius Vicarium tyrannizantem autoritatiuam potestatem, non tamen adempta est sibi a Christo, aut quocunq; alio modo, sed ex natura sua, quia serua nata est, contraxit hanc negationem. Ad tertium autem dicitur, quòd non fuisset opportunius remedium prouidentia humana, quàm oratio ecclesiæ perseuerans. Tum quia prouidentia humana falli potest (cogitationes siquidem mortalium timide, & incerte prouidentiæ nostræ) oratio autem ecclesiæ perseuerans falli non potest. Deponeremus forte quando non oportet, non præuidentes futura, nec occulta scrutantes. Oratio autem ecclesiæ perseuerans non deponet, quando nō oportet, quia bonus dominus negat quod uolumus, ut tribuat quod mallemus. Tum quia facilior, minus impedibilis, & efficacior causa est oratio ecclesiæ perseuerans pro se in necessariis ad salutē ecclesiæ, quàm tota omnium hominum prouidentia. hæc. n. difficile consonat, potentia impediri potest, & omnia subiecta nō habet: descripta autem oratio facile consonat, non potest potentia aliqua humana impediri, & omnia sub Deo subiecta habet.

Mirum est autem de subiunctis.s. quòd dicere Deum solum orationis remedium reliquisse, &c. solum.n.hoc remedium tanquã supremum, & efficax simpliciter, relictũ dicimus, existentibus multis alijs remedijs per uiam admonitionis, &c. Mirum autem dico, quia cum naturaliter ex eisdem tueamur ex quibus sumus & conseruamur, & christiana respub. ex oratione sit adaucta, & in uno ouili constituta (dicente patre ad Christum.postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam) & ex oratione conseruetur (dicente te Christo ad Petrum.ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua) naturali quoque ordine oratione defendẽda est, contra tyrannice regentem. Mirum dico, nisi quis putet orationem ecclesiæ perseuerantię pro se in uera sui necessitate posse deficere. quod prope infidelitatem, esse si infidelitas non est, paulo meo iudicio uidetur, diuinę siquidem prouidentię quam in specie de ecclesia sua habet, derogare uidetur. Si.n.natura non deficit in necessarijs, quomodo Deus qui dedit semetipsum ecclesiæ, deficiet illi in necessarijs, seruatis ex parte ecclesiæ seruãdis, ut patet ex descriptis conditionibus orationis? Mirum demum dico, quoniam si efficax hoc orationis ecclesię, &c. remedium indubie creditur, cur insufficienter prouisum ecclesiæ dicitur de remedio opportuno? Et per hunc modum excludendi papam tyrannum ab ecclesia, satisfit omnibus, quæ obijciuntur de corpore respectu membri contagiosi, & similibus. ad omnia siquidem sat est oratio perseuerans ecclesiæ. Pro cuius zelo hanc respondendi curam suscepi, arbitratus quibusdã licet non omnibus friuolis obiectis respondisse, uituperandum non esse hac uice. Rogo igitur lectores. ut ęquos se præbeant interpretes, aut censores, nisi.n.hic aut alibi mihi, sed rationi uel auctoritati allatæ tribui uolo, & hoc etiam ubique & semper sub sacro san. Rom.eccle. correctione. Romæ die. 26. Nouemb. M. D. XII. Ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, Amen.

FINIS.

DE DIVINA INSTITVTIONE PONTIFICATVS TOTIVS ECCLESIAE

IN PERSONA PETRI APOSTOLI: libellus *Thomæ de Vio Caietani Cardinalis Sancti Syſti.*

QVID, QVOMODO, ET QVO ORDINE *tractandum eſt. Cap. 1.*

RINCIPATVS Romani pontificis ſuper uniuerſas Chriſti eccleſias,quanuis queſtióibus multis pulſatus fuerit,noſtro tamen propoſito unica inueſtigatione abſoluendus occurrit.Non.n.uertitur hic in dubium an Ro. pontifex ſit de facto caput eccleſiæ, nec an idem poteſtatem habeat a deo eo modo quo,iuxta apoſtolum Ro.13. non eſt poteſtas niſi a deo,& quæ a deo ſunt, ordinata ſunt, & ſicut poteſtas regia in ueteri teſtamento erat a deo,iuxta illud primi Regum.8.audi uocem eorum,& conſtitue ſuper eos regem.eiuſmodi.n.omnia aduerſariorum multi affirmant. Sed uertitur in queſtionem an a Chriſto inſtitutus fuerit Ro. pontificis ſuper omnes eccleſias principatus in beato Petro,ita quòd inſtituerit Chriſtus petrum cum eius ſucceſſoribus ſuum uicarium ad gubernandum omnes Chriſti eccleſias.Quo fit,ut loca a rationibus & autoritatibus affirmantibus petrum ſeu Romanum pontificem fuiſſe ſeu eſſe caput omnium eccleſiarum, a præſenti ſecreta ſint intentione,& eadumtaxat afferenda ſint,ex quibus Chriſtum dominum contuliſſet huiuſmodi principatum petro ſoli habetur.

QVIA VERO ex ſacris literis pendet omnis quæſtionis huius ueritas,& duo ſunt præcipui textus, ſcilicet Math. 16. & Io. ulti. expræſſe de hoc myſterio loquẽtes.ideo primo iuxta utrũq; textum inueſtigandum eſt, an ſoli petro uerba Chriſti dicta ſint. ſecundo,an per hæc ſoli petro pontificatus totius eccleſiæ a Chriſto conmiſſus ſit. tertio an hic totius eccleſiæ põtificatus petro a Chriſto cõmiſſus,ſit ab eodem domino datus ſucceſſori petri. quarto an ſit a Chriſto hic pontificatus datus Ro. pontifici ut petri ſucceſſori. Vt autem primi clauſula ſit abſolutio,Matthei textus primus diſcutiendus ſic eſt,ut in primis tractetur opinio

dicentium uerba Christi nō Petro,sed personæ qualificatæ,deinde dicentium non petro sed ecclesiæ,postea dicentium petro & apostolis alijs, demun negantium soli petro,quia ecclesiæ dicta esse.Multifariam siquidem obnubilare conati sunt dominicam promissionem Matth.16.relatam,tibi dabo claues &c. Quidam nanq; adeo restrinxerunt uerba hæc,ut personam etiam petri ab illis eximerent,& ad solum diuinum donum in petro directa intelligunt.Alij etiam restringentes & eximentes petri personam, ad solam ecclesiam in petro significatam,Christi uerba dirigunt. Multi autem extenderunt domini promissionem ad alios apostolos,ita quòd petro in persona omnium apostolorum dicta accipiunt.Sed & nonnulli sunt admittentes soli petro hæc dicta, principatus tamen singularitatem collatam petro negant,eo quòd similis potestas alijs apostolis a Christo collata alibi legitur, puta Math.18. quæcunq; alligaueritis super terram,& alibi. Hesitant deniq; aliqui,quo pacto soli petro claues datas esse uerificatur, & tamen datas quoq; ecclesiæ esse claues omnes affirmamus. Quocirca, ordine quo numerata sunt quinq; hæc , sigillatim tractanda sunt.Preponendo ubiq; rationes dubitandi , ut opposita iuxta se magis elucescant.

PETRI PERSONE ET NON DONO REVELATIOnis aut beatitudinis promissæ sunt claues &c. cap.2.

NON desunt dogmatizantes pontificiam potestatem homini non imediate collatam,sed dono uirtutis mediante, ita quòd perdito uirtutis dono , perire simul pontificiam potestatem necesse sit, tanquàm uirtus glutinum quoddam sit iungens homini pontificatum.Quo fit,ut horum iudicio claues non petri personę sed eius dono collatæ sint in aliquo singulari ministro,puta sacerdote seu iusto quocunq;.

ARGVMENTANTVR autem hi ex huius euangelij textu multipliciter. Primo,quia ante omnia dominus beatitudinem petri affirmat,dicens, beatus es,proculdubio in spe ueræ fidei, non inchoasset.n. a Simonis beatitudine,nisi ad subsequentem pontificatum spectaret huiusmodi beatitudo, nihil.n. impertinens dixisse Christum decet. Secundo ex eo quòd dominus adiungit Simō bariona,hoc est filius colūbæ,ut Hiero.exponit.Quorsum n. petrus accepturus pontificatum,filius colūbæ prænominatur,

nisi

nisi uel eius simplicitas columba significata (iuxta illud, estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbę) uel spiritus sanctus (qui columba designatur, eo quòd in columbę specie apparuit in Christi baptismo) ad ecclesiasticũ principatum pertineret? Tertio ex ratione subiuncta. quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Ministrant.n. hæc non a carne & sanguine, sed diuina reuelatione instruendum esse qui alijs præficitur in christiana fide erudiendis. Quarto ex eo quòd dominus addidit tu es petrus, & non dixit tu uocaris petrus (ut glo. ibi notat) ob fortitudinem fidei & confessionis constantiam. Hoc.n. cum omnibus præcedentibus ad uirtutum munera spectant, quæ ut dictum est, aut impertinenter præposita sunt, aut ad principatum, tunc subsequenter promissum opportuna memoria sunt. Vnde & quinto arguunt ex subiuncta prima promissione, super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Cum n. ista sit prima promissio petro facta, quoniam ut Cypria. Hiero. & Aug. exponunt, per hanc petram demonstratur ipse petrus, inquit.n. Hiero. super Matth. edificabo ecclesiam meam super te, Aug. in li. retrac. refert. seipsum dixisse quòd in apostolo petro tanquàm in petra edificata est ecclesia, nec retractat hanc sententiam. Cyp. quoq; ubi supra dic. loquitur dominus ad petrũ ego dico tibi, quia tu es petrus & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, super unum edificat ecclesiam &c. Cum inquam hæc sit prima promissio facta petro, & hæc promissio non immediate sed mediante dono firmitatis & soliditatis ad personam petri pertineat (ut ipsa domini uerba testantur, dum non dicit super te, sed super hanc petram, hoc est super te petram edificabo ecclesiam meam) consequens est, ut subsequentes quoq; promissiones intelligantur factæ personę Simonis, quatenus erat petrus & filius columbæ & beatus &c. Et cõfirmatur, quia ista promissio non solum est prima sed principalis, nam præcipuum donum petro collatum est esse fundamentum ecclesiæ. Ex hoc autem quòd hæc promissio est prima & principalis, consequens est ut alię promissiones consequentes sequantur naturam principalis, ac per hoc nulla promissio est facta personæ humanæ nisi mediãte dono uirtutis, quod erat intentum manifestandum.

NON est difficile catholico doctori monstrare falsam esse relatam sententiam, dubitando ad damnata inconuenientia. Nihil n. aliud est huiusmodi dogma, quam heræsis quorũcunq; dicentium

tium in malis miniſtris non inueniri eccleſiaſticam poteſtatem, clauesq; eccleſiæ in ſolis & omnibus iuſtis haberi. eccleſiamq; ex ſolis iuſtis conſtare, quæ omnia reprobata & damnata eſſe conſtat. Verum ne heretici cauſentur ſe opprimi auctoritate prælatorum & non euangelij, ex ipſo euangelij textu catholicæ doctrinæ reddenda eſt ratio. Ad cuius euidentiam aduerte duas eſſe in hoc domini ſermone ad petrum partes. quarum prima ſecundum planum euangelij contextum ac ſenſum, ad confeſſionem quam petrus fecerat pertinet. Nam nihil aliud continet niſi reuelate confeſſiõis actorem, fructum ſeu præmium, & perſonam ſeu perſonę conditionem cui reuelatio facta eſt. Dicendo beatus es, fructum ſeu præmium pronunciat, dicendo Simon bariona, perſonam ad literam ſeu conditionem perſonæ myſtice puta ſimplicitatem ſeu ſpiritualitatem aperit, & dicendo quia caro & ſanguis non reuelauit ſed pater meus, actorẽ reuelationis monſtrat. tota ergo prima pars ſermonis ad reuelatam confeſſionem ſpectat, & non ad futurum principatum. Quod ut plenius intelligas, uide ſingula. Merito ex accepta reuelatione Simon beatus dicitur, quoniam ſi ſecundum philoſophiã beatus in hac uita eſt, qui ad cognitionem ſupernarum ſubſtantiarũ peruenit, & ſecundum euangelicam ueritatem beatitudo uiatorum in ſpe uerę fidei conſiſtit (iuxta illud, beati qui non uiderunt & crediderunt) longe magis Simon beatus fuit cum ad cognoſcendum trinitatis myſterium peruenit, non innixus reuelationi alijs factæ (ut nobis contingit) ſed reuelationi ſibiipſi interius factę. Ad hanc.n. cognitionem petrũ perueniſſe teſtantur uerba petri, teſtatur & dominus, confeſſus eſt.n. petrus, tu es Chriſtus filius dei uiui, confeſſus fuerat olim Nathanael tu es filius dei. Io. primo confeſſi fuerant qui erant in nauicula, uere filius dei es, Math. 14. confeſſus fuerat & petrus in perſona omnium, & nos credimus & cognouimus quia tu es Chriſtus filius dei Io. 6. Nunquam tamen dominus beatitudinis præmium appoſuit niſi nunc, quia nunquam cõfeſſio facta fuerat ꝙ eſſet filius dei naturalis, qualẽ modo petrus explicauit, ad iungẽdo illud adiectiuum uiui. hoc.n. dupliciter poteſt intelligi. primo ut ſit adiectiuum determinans ſuum ſubſtantiuum abſolute, ut ita dictum ſit dei uiui, tanquàm dictum fuiſſet dei ueri aut dei omnipotentis. & ſic per accidens adiungeretur petri confeſſioni ad maiorem expræſſionẽ ueri dei, ad differentiam deorũ lapideorũ ſeu mortuorum, ut Saturni, Iouis & reliquorũ.

Alio

Alio modo, ut determinet suum substantiuum. s. dei in ordine ad filium, cuius enũciatur pater, dum dicitur filius dei viui, & sic per se & essentialiter apponitur confessioni Petri, & constituit Petri confessionem esse per se essentialiter ac formaliter veram, & altissimi sensus. significatur siquidem hinc plenissime & formaliter modus quo christus est filius dei. s. quòd est naturalis filius dei. Et ne altitudo sensus sententiam claram obumbret, manifestatur quod dicimus ex differenti filiatione nostra & christi, commune nanque est christo & nobis quòd sumus filij dei (secundum quòd de nobis scriptum est Io. primo, dedit eis potestatem filios dei fieri) sed nos sumus filij dei quia uult, iuxta illud Io. primo voluntarie enim genuit nos verbo ueritatis, christus autem est filius dei non quia uult, sed quia est. Ratio siquidem quare deus nos genuit filios, est sua voluntas, qua elegit nos, ratio autẽ quare deus genuit christum est sua essentia, qua genuit vnigenitum deum, qua & ipse deus est. Hoc autem vocando ancillas ad theologicã arcem (quia viuere viuentibus est esse, vt dicitur. 2. de anima) significatum est per deum viuum, ex eo nanque quòd uiuere viuentibus est esse, idem est filius dei viui inquantum viuit, & filius dei inquantum est. Meminit tamen Petrus non dei esse, neq; dei naturę, sed dei vitæ, quoniam cuicunque est filius, cõuenit generare filium, non ea ratione qua est, nec ea ratione qua res naturalis est, sed ea ratione qua uiuit. Quod si altius perspicere cupis, iunge hæc simul. s. filius dei uiui, cum enim constet ex una parte filium sonare genitum talem, qualis eius parens est, & ex altera parte parentem significari deũ uiuum, si cointellecta fuerit phylosophica traditio scilicet, naturalissimum operũ esse oibus uiuẽtibus facere tale, quale ipsum est, ut habetur. 2. de anima, manifeste uidebis quòd dicendo filius dei uiui, significatur naturalis filius dei, ex eo enim quòd filius dei ponitur, genitus a deo dicitur, ex eo autem quòd filius dei, inquãtum est uiuus ponitur, per naturalissimum opus uiuenti quatenus uiuens est genitus significatur. Acutissime ergo & formalissime Petri cõfessio christum non adoptiuum dei filium, sed naturalem dei filium manifestat, dicendo christum filium dei uiui. Et si altius adhuc intuiti fuerimus, percipiemus in hac responsione claudi non solum duas trinitatis personas filium scilicet & patrem, & rationem ac modũ generationis scilicet, quòd ille naturalis pater & iste naturalis filius (ut declaratum est) sed consubstãtialitatem, coeternitatem,

ac

ac coequalitatem utriusque, natura ex eo quòd naturalis filius est talis ęqualis est pater,& christus dicitur filius dei uiui,significatur quoque quòd ipse est deus uiuus, & cum nõ sint multi dij, consignificatur quòd est unus deus cum patre, ac per hoc cõsubstantialis,coeternus & co equalis. Nec spiritussancti persona omissa est. christus enim sonat unctũ spiritusan.ut ipsemet Petrus declarauit Act.10.Quo fit,vt hac confessione Petrus non minus diuinæ trinitatis ac generationis mysterium docuerit, quã Ioannes dicendo,in principio erat uerbum & uerbum erat apud deũ &c.immo licet Ioannes spiritualius,dum ad immaterialem intelligibilemq; gradum penetrauit, Petrus tamen personas nominibus proprijs filij ac per hoc patris & generationem naturalem cum ratione generandi clarius significauit,dicens, tu es christus filius dei uiui, & ideo iure a saluatore mundi beatus affirmatur.

Ad hunc tam altum huius cõfessionis sensum tendisse inuenies Origenem,Chry.atque Hyla. Hunc tam altũ istius confessionis sensum testatur ecclesia, quotidiana ueneratione repetens prima diei hora, christe fili dei uiui &c. Merito quoque ad eandem reuenerationem spectat Bar Iona, dupliciter siquidem vt Hierõn.dicit,potest intelligi,uel legendo Bar Iona,id est filius Ionæ (Bar enim idem sonat quod filius) uel quòd uitio scriptorum detracta sit media syllaba, cum deberet legi Bar Ioanna.i.filius Ioannis,Simon siquidem creditur a multis filius Ioannis, secundum tamen ueritatem fuit filius Ione,ut patet Ioan.primo Simõ filius Iona,tu vocaberis cephas, licet uitio scriptorum latini codices sint corrupti. Est ergo primus sensus, mysticus tamen, tu es filius Iona.i.columbæ,secundus autem literalis, tu es filius Iona seu Ioanna. Vterque autem sensus propositum fouet, nam si filius exponitur columbæ, simplicitatem ac spiritualitatem personæ ipsius Petri tanquam habilis ad reuelationem suscipiendã indicat.) ad reuelationem nanque diuinam suscipiendam simplicitas & spiritualitas maxime præparant,spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum (vt dicitur Sap.primo) & animalis homo non percipit quę sunt spiritus dei, prime Cor.2. Si autem filius Iona uel Ioanna intelligitur,ad confirmationem confessę ueritatis ualde spectat,quoniam pertinet ad hæc quòd ideo dominus naturalis patris ipsius nõ Petri,sed Simonis meminit,ut subiungendo,quia caro & sanguis non reuelauit sed pater meus, ex hoc ipso quòd patrem suum & naturalem patrem Simonis e regione

gione ponit, tanquàm diceret, beatus es Simon filius Ione ſeu Ioannis, quia non pater tuus ſecundum carnem, & ſanguinem reuelauit tibi ſed pater meus qui in Celis eſt, ex hoc inquàm ipſo eruditus quiſque intelligat patrem qui in Celis eſt, ita eſſe naturaliter patrem meum, ſicut Ionas eſt naturaliter pater tuus. Et hoc iam notauit Chryſoſto. dicens. uanum eſt dicere, tu es filius Ione, uel Ioanna, niſi ut oſtendat, quoniam ita natutaliter Chriſtus eſt filius Dei ſicut Petrus filius Ione, eiuſdem ſubſtantiæ cum eo qui genuit. Oportuit autem Saluatorem noſtrum commendare Petri confeſsionem, manifeſtando illius actorem, & præmium, & cætera, ut Petri confeſſio uera habeatur, & ſic ipſe uerus ac naturalis filius Dei credatur ex Petri confeſſione nō a carne, ſanguine, ſed a celeſti patre deriuata. niſi. n. hoc manifeſtaſſet, confeſſionem Petri ut humanum uerbum acciperemus, nunc autem ut a Deo prolatam ſentētiam habemus. Ex quibus omnibus clare patere poteſt, quòd hucuſque nihil ad principatum Petri pertinens dictum eſt. Tota igitur prima pars Dominici ad Petri ſermonis, circa illius confeſſionem uerſatur, & ad approbationem fidei de ſeipſo Chriſto filio Dei uiui pertinet. ſecunda autem ad Petro promittendum conuertitur, unde, & inchoat a reddendo uices ipſi Simoni Petro, & ego dico tibi. tanquàm diceret (ut Hiero. notauit) tu mihi dixiſti, tu es Chriſtus filius Dei uiui, & ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper, &c. Vbi aduerte non ſolum diuerſas, uerum non unius, ſed diuerſorum generum promiſsiones Petro factas eſſe: nam prima promiſſio cōſtructionem reſpicit eccleſiæ, edificabo eccleſiam meam: ſecunda autem auctoritatem, dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ſolueris, &c. illa ad eccleſiæ ſubſtantiam? iſta ad officium reſpicit: tantumq; inter ſe differunt quātum eſt inter ſubſtantiā, & officium diſtantia. Et licet in prima promiſſione triplex inueniatur intellectus, exponendo per hanc petram uel Chriſtum, uel Petrum, uel confeſſionem Petri: ut Chryſo. exponit: ſi tamen ſubtilius perſpexerimus, unicus eſt ſenſus literalis, hoc eſt quòd per hanc petram demonſtratur Petrus. Aug. enim in lib. primo retractationum c. xxj. lectoris iudicio relinquit quæ duarum ſententiarum ſit probabilior, Petrus ne an Chriſtus demonſtretur per hanc petram. Vnde hac libertate freti, ex ipſo Euangelij textu dicimus per hanc petram Petrum demonſtrari, ut patet ex eo, quòd dominus dixit, ſuper hanc petram edificabo. Si enim

FF ſeip-

ſeipſum demonſtraſſet, non dixiſſet edificabo, quoniam tunc uerè ſuper ſeipſum edificabat faciendo de Simone Petrũ, ſuper Petrum autem non tunc, ſed poſt reſurrectionem edificare ce pit, & propterea dixit in futuro edificabo, ac ſi aperte diceret, te quem nunc facio Petrum,poſtea faciam fundamentum eccleſiæ meę. Confirmaturq; hic ſenſus, quia aliter ĩpertinenter præ miſiſſet tu es Petrus, cum tamen pro maxima re hoc Petro dictũ Euangelium inſinuet, cum dominus quaſi reddens uices Petro (ut prædictum eſt) dixerit tu es Petrus. quid enim tam magnũ ſonaret eſſe Petrum aut quorſum tu es Petrus, niſi ſubſequenter demonſtrare, ſuper hauc petram edificabo eccleſiam meam? Vnde Hieronym. exponens hunc locum ait. ſecundum autẽ me taphoram petræ rectè diciturei edificabo eccleſiam meã ſuper te. Expoſitio autem Chryſo.de confeſſione Petri, in idem redit, quoniam confeſsio fidei in idem redit cum ſoliditate ſeu fir mitate fidei quam donat Petrus, non enim differt ab ea niſi tanquam actus ab habitu, & rurſus conſtat quòd eccleſia magis ha bet pro fundamento fidem quàm fidei confeſsionem. Vnde relinquitur quòd ad literam per hanc petram demõſtratur Petrus. Exactius autem loquendo dic,hanc petram,id eſt in te petram, in te ſoliditatem fidei, in te Chriſtum creditum, in te Chriſtum confeſſum, ut complectaris omnes ſanctorum expoſitiones. nã ſingulæ ueræ quidem ſunt, ſed partem tantum ueritatis explicarunt,fidem ſeu confeſſionem, aut Petrum, uel Chriſtum exponentes. Cum autem utrumq; ſimul iungitur, ita quòd & Petri perſonam, & Chriſti ſeu fidem ſimul ſignificari exponitur, integra ueritas, integer ſenſus habetur literæ, dicentis, non ſuper petram, ſed ſuper hanc petram. Indiuiduatur ſiquidem metaphorica petra, & fit hæc, quia eſt in hoc demonſtrato ſuppoſito, ſicut quodlibet aliud in Petro exiſtens indiuiduatur, & ſit hoc, quia eſt in ipſa Petri perſona.

Hoc igitur integro ſenſu literali patefacto, & admiſſo, amplius aperiendo, ſcito ex Euangelio omnes promiſſiones Petro factas conuenire in hoc quòd, omnes ſunt factæ unicæ perſonæ ipſius Simonis, qui dicitur Petrus, cui dictum eſt,tu es Petrus. Manifeſtaturque ſic eſſe primo de prima promiſſione, & deinde de ſecunda. In prima promiſſione tria reſpice. primo tu, ſecundo es Petrus, tertio ſuper hanc petram. Ex pronomine tu, demonſtratur perſona illa cui Chri-

ſtus

ſtus loquebatur, perſona dico, non qualitas aliqua, nam conſtat pronomen tu, demonſtrare ſubſtantiam ſine qualitate etiam apud grammaticos. Rurſus ex pronomine tu, monſtratur unica perſona, ut patet. Et coniunctione propterea huius quod eſt eſſe petrum ad ſi tu, cum dicitur, tu es petrus, ſignificatur aperte affirmari a domino illam unicam perſonam eſſe petrum, & quia per hanc petram demonſtrat illam eandem petram quam tunc pronomine demonſtratiuo monſtrabat tu es petrus. Significantiſſime ſiquidem ille articulus hanc, exprimit eandem monſtrari petram de qua tunc erat ſermo, quæ & per pronomen tu es petrus monſtrabatur, & hoc tanto clarius, quanto nulla alia petra tunc monſtrata aut nominata inuenitur in euangelio. Eſſe igitur futurum chriſti eccleſiæ fundamentum, iungitur huic petræ, quæ quia iungitur perſonæ monſtratæ pronomine tu, oportet intelligere quòd eſſe Chriſti eccleſiæ fundamentum promittitur unice perſonę demonſtratę per tu, cui tunc datum eſt quòd eſſet petrus. Et ut hoc magis ac magis notares, inchoauit dominus, & ego dico tibi, non beatitudini tuę, non filio columbæ, nō filio reuelationi, ſed tibi. De ſecunda autem promiſſione clariſſime patet, quia exprimitur pronomen demonſtratiuum ſubſtantiæ, dicendo, & tibi dabo claues. Oportet namq; hæc ualde notare, quoniam hic commenta hereticorum & ſchiſmaticorum ſpētenus ſancta, ſed reuenenoſa confutantur, aiunt. n. ſuper petram. i. fidei firmitatem eccleſiam fundatam. Verū dicunt, ſed diminutum, quoniam dominus dixit quidem ſuper petram, ſed non hoc ſolum dixit, ſed addidit articulum hanc, dicens ſuper hanc petram, quam proculdubio tunc monſtrabat dicens tu es petrus, ſi. n. ſuper fidei ſoliditatem abſolute edificaturus eſſet, nō dearticulaſſet ſoliditatem ad perſonam illam. Sed ſchiſmatici perſonalis fundamenti unitatem a Chriſti eccleſia tollere per hæc commenta nituntur. Dominus autem hos omnes præueniens, ſermonem ad Simonem petrum ſub pronomine direxit inchoans & ego dico tibi, & ſubdens tu es petrus, tu, non beatitudo tua aut aliquid eiuſmodi, tu, nō uos, ut unitas fundamenti, eccleſiæ, unitas quoq; perſonalis a Chriſto affirmata intelligatur, dum dicitur, tu es petrus, tu unus es petrus futurum poſtea fundamentum, quando ſuper hanc petram. i. te petrum edificabo eccleſiam meam. Duplex autem aduertenda eſt inter has promiſſiones differentia, prima eſt. quòd eſſe fundamentum eccleſiæ nō promittitur perſonę petri abſolute, ſed qua-

tenus est petrus seu petra, claues autem regni cœlorum promittuntur personæ petri absolute. Et habes hanc differentiam ex euangelio, dum de primo dicitur, & super hanc petrā edificabo ecclesiam meam, & nō dixit super te edificabo ecclesiam meam. per hanc.n. petram demonstrauit totum quod dixerat, tu es petrus, nam petram reddidit ad li petrus, & articulum hanc, reddidit ad pronomen tu, tanquàm si diceret, tu es petrus & super te petrum edificabo ecclesiam meam. De clauibus autem regni cœlorum non dicitur & tibi petro neq; huic petræ, sed simpliciter & absolute tibi dabo claues, monstrans per hoc quòd dixit tibi, quòd personæ non qualitati per petram significatæ puta fidei promittebat claues. personæ ergo qualificatæ promissum est fore Christi ecclesiæ fundamentum, personæ uero nudæ promisse sunt claues regni cœlorum. Altera differentia est quòd in prima promissione petro promittitur ecclesiam sustinēdi officium, non se petro sed Christo actore, nam, non dixit & super hanc petram edificabis ecclesiam meam, sed dixit, super hanc petram edificabo ecclesiam meam, tanquam si diceret, tu sustinebis tanquàm petra me edificante ecclesiam meam super te petra. In promissione uero clauium aperiendi officium & claudendi non sibi reseruauit dominus, sed se daturum claues promisit, ut ille cui dantur agat aperiendo uel claudendo regnum cœlorum. Hę ex euangelij pleno sensu differentiæ constāt. Ex quibus euidenter colligitur differentia inter officium petri quo ad potestatem utendi clauibus & soluēdi atq; ligandi, & officium eiusdem ad sustinendam ecclesiam in fide, dum officium clauium homini conmittitur, officium uero sustinendi ecclesiam in fide, ad Christum ut actorem, ad petram ut rationem sustinendi, ad hominem uero petrum ut fundamentum suppositumq; spectare dicitur. Oportet siquidem hæc diligentius contemplari, ut sciamus hic rationem reddere poscentibus nos de ea quæ in nobis est fide. ex his.n. facile est perspicere ꝙ claues regni cœlorū non sunt datæ sanctitati seu iustitie hominis, sed promissæ sunt homini futuro pastori ouium Christi Siquis autem contra huiusmodi exactam expositionem uerborum euangelij obijciat, eo quòd petrus non fuit ex tunc re & nomine petrus, quoniam non perseuerauit solidus ac firmus in fide, ter siquidem postea dominum negauit, ac per hoc uerba domini sonantia in præsenti tu es petrus, non sunt sic exacte intelligenda. Aduertat sic obijciens se falli confundendo

do

do firmitatem fidei & firmitatem charitatis, petrus quidem ex tunc factus est firmus in fide, dicête Christo, tu es petrus, ut Hiero. testatur, exponens & ego dico tibi non sermone casso & nullum opus habente, sed dico tibi quia meum dixisse fecisse est, quia tu es petrus. Nec defecit negando dominum in fide quae in corde est, quanuis defecerit in confessione fidei, horum enim distinctio a Paulo apostolo manifestata est ad Ro. 10. corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Testatur siquidem dominus petrum nô defecisse in fide, Luc. 22. dicens. ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua, constat .n. Christum in omnibus exauditum fuisse pro sua reuerentia, ut dicitur Hebr. ca. 5. Defecisse autê ipsum in charitate & periurium manifestat, & dominus testatur subiungens, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, auersus.n. fuit a charitate Christi, non a fide. perseuerauit ergo semper Petrus.

HIS PRAEMISSIS ad obiectiones in oppositum dicêdum est. Et circa tres primas non oportet insistere, quia iam declaratum est quòd impertinentes sunt, nam ad confessionem petri spectant omnia quae in eis afferuntur. Ad alias uero obiectiones, ex illis uerbis, tu es petrus & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, dicitur quòd, haec quidem spectant ad pontificalem gradum, non secundum officium clauium, sed secûdum officium fundamenti. Et ex proposito dominus dixit non tu uocaberis petrus, sed tu es petrus, ut affirmaret, tu es petrus re & nomine, hoc est, tu es solidus firmus constans &c. in fide tanquàm petra, ut Leo, Greg. Bedaq; exponunt. Nec ex his aliud pôt inferri nisi quòd soli habenti fidem conuenit esse fundamentum sustinendi ecclesiam in fide. quod gratis concedimus, nam ex hoc non habetur quòd esse fundamentum mediante charitate seu iustia conueniat petro, sed mediante fide. Et rursus hinc nô habetur quòd esse fundamentum promissum sit fidei simpliciter & absolute, ac per hoc promissum sit cuicunq; in quo inuenitur fides, quoniam Christus non dixit & super petram, sed dearticulauit eam ad personam, adiungens li hanc, dicendo super hanc petram, proculdubio .n. petra tunc demonstrata per praemissa uerba, tu es Petrus, repetitur, ut qui modo est Petrus futurum sit fundamentum. Quocirca clare patet, quòd sicut solus Simon dêmonstratus est dicendo tu es Petrus, solus quoque repetitus est domino, & super hanc petram edificabo ec-
clesiam

clesiam meam. Nulla ergo promissio facta est dono virtutis absolute, sed sola prima inter eas. s. edificatio ecclesiæ facta est dono fidei, non in quocunque sed in persona futuri pastoris ouium christi. Ad confirmationem autem inferentem simile esse iudicium de officio clauium & officio fundamenti, respōdetur quòd ex differentibus uerbis domini manifeste declaratum est nō esse simile de utroque iudicium. Et licet accessorium sequatur naturam principalis cæteris paribus, ubi tamen (ut in proposito) maxima est in cæteris disparitas, non oportet secundarium assimilari principali. Manifestatur autem maxima disparitas in hoc, quòd in officio fundamenti homo se habet quasi totaliter passiue, dicente christo, ego edificabo super te Petro, in officio antem clauium non dixit, ego aperiam aut claudam, sed absolute tibi dabo claues regni cœlorum. Non est propterea mirū si aliter promissum est fundamenti officium & aliter officium clauium, illud mediante firmitate fidei, istud homini absolute. Consentanea est autem huiusmodi differentia a christo instituta humanæ etiam rationi. nam vsus clauium siue rectus siue abusus fuerit non in vniuersalem redundat ecclesiam, officium autem sustinendi fidē si aberraret, ecclesia uniuersalis rueret, de qua tamen dominus dicit & portæ inferi non prçualebunt aduersus eam. Promisse sunt ergo claues regni cœlorum non dono uirtutis (ut hæretici fingunt) sed personæ Simonis Petri futuri pastoris ouium & agnorum christi.

PERSONAE PETRI IN SE ET NON SOLVM IN PERsona ecclesiæ promissas esse claues. Cap. 3.

NON longe a prioribus recedunt affirmantes claues regni cœlorum, non Petro, sed ecclesiæ a christo promissas, dicēte tibi dabo claues regni cœlorum. tanquam dixerit tibi hoc est ecclesię significate parte, non tibi dabo claues regni cœlorum. Nam istis cum prioribus commune est & eximere Petrum ab hac domini promissione, & nulli singulari homini datas esse claues, sed dono dei promissas esse claues, solum in hoc differunt, quòd priores dono dei in quolibet iusto aut saltē in quolibet sacerdote, isti dono dei in ecclesia inuento claues datas asseuerant, eo quòd Petro non ut uni homini, sed vt personam ge

rebat ecclesiæ christum dixisse contendunt tibi dabo claues regni cœlorum, nitunturq; hoc multis argumentis astruere.

Vnde primo arguunt. Christus exponit seipsum in euangelio cui loquitur & cui tradat claues dicens, beatus es Simon Bar Iona, caro & sanguis non reuelauit, sed pater meus qui est in celis. Vbi aperte Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro neque sanguis, non Simon Bar Iona, omnino Petrus extra hominem ponitur, & iam non est ulla persona per se, sed reuelantis patris auditor cui dantur claues. Nulli ergo priuatio homini datæ sunt claues, sed soli ecclesiæ: quia de nullo priuato homine certi sumus habeat necne reuelationem patris, ecclesia autem ipsa est de qua dubitare non licet, ipsa est ergo ille Petrus auditor reuelationis & acceptator clauium. Secundo ex cohærentibus. Christus enim post gloriosam istam Petri commendationem cũ ei Petrus prohibuit ne moreretur reprehendit Petrum, vade post me Sathana, nõ enim sapis ea quæ Dei sunt. Vt ex subsecuta post commendationem uituperatione clarum fiat illum superiorem Petrum qui claues accepit, non fuisse Petrum filium Bar Iona, sed ecclesiam filiam dei, quæ verbo dei genita verbum dei audit & confitetur perseueranter in finem, non aliquando non sapiens quæ dei sunt, nec vnquam retro abire iussa sicut Petrus.

Tertio ex eo quòd christus dixit. super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, hoc est super fidem a Petro totius ecclesiæ persona confessam, ac per hoc in qualibet ecclesia vbi est fidei Petra illic & claues. Firmatur autem hoc, quia nec ipse Petrus Petra fuit in eadem perseuerans cõfessione, quoniam mox post acceptas claues errauit, & tamen non sunt ei claues rursum allatæ, quare non in sua, sed ecclesiæ persona eas accepit.

Quarto. Quando papa eligitur an secum affert claues uel nõ? si affert, ergo erat papa antequam eligeretur, si non affert, a quo accepit? nunquid ab angelo de cœlo? nonne ab ecclesia? Item quando papa moritur cui relinquit claues, nisi ecclesiæ a qua accepit? quid igitur potest dici contra hanc euidentissimam experientiam, optimam euangelij interpretem claues nec Petro, nec successori, sed soli ecclesiæ datas? a qua tanquam minister accepit usurus eis sacerdos in qualibet ecclesia. Quinto formatur argumentum similis formæ argumento quo Paulus Rom. 4. & Gal. 4. vtitur dicens, quòd sicut Abrahæ ex fide reputata est iustitia, ita & omnibus qui credunt reputabitur ad iustitiam. Quare

etiam

etiam hic similiter, si Petro habenti reuelationem patris & christum confitenti claues dantur, ita necesse est homini similiter cõfitenti & reuelationem habenti claues donatas esse, quod nulli nisi ecclesiæ conuenire potest, cum nullus singularis fidelis constanter certo ac perseueranter habere posit hanc confessioné, vt etiam de ipso Petro patet. Sexto, quia non solum (ut Aug. 1.li.de doc.christia.ca.17. testatur) has claues christus dedit ecclesię suæ, vt quæcunq; solueret in terra soluta essent & in cœlis, sed etiã ut ipse testatur super Io. Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum ecclesiæ gerebat figurata generalitate p̃sonam, in persona ergo non sua, sed ecclesiæ claues accepit.

Quod ex Aug. verbis ibidem amplius firmatur, cũ dicit. Quod enim ad ipsum Petrũ proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia vnus christianus, abundantiore gratia unus idemq; primus apostolus, sed quando ei dictum est tibi dabo claues regni cœlorum, vniuersam significabat ecclesiam. Confirmaturq; eadem sententia ex uerbis eiusdem Aug. psal. 108. Sicut quædã dicuntur quę ad apostolum Petrum pertinere videntur, neque tamen habent illustrem intellectum nisi cum referuntur ad ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gesisse personam propter primatum quẽ in discipulis habuit, sicut est tibi dabo claues regni cœlorum, ita Iudas personam sustinet inimicorum christi. Ex his enim uerbis apparet Petrum non in sua, sed ecclesiæ figurata persona claues suscepisse, dum hic dicitur non haberi illustrem intellectum nisi ad ecclesiam referatur, & ibi contra personales conditiones Petri aduersatiua coniunctione subditur, sed quando ei dictum est tibi dabo, ecclesiã significauit. Et con firmatur rursus auctoritate euangelistę describentis interrogan ti christo quem dicunt homines esse filium hominis? nullum cer tum discipulum respondisse opiniones quæ de eo erant. interro ganti vero de se apostolos unum certum Petrum respondere & constanter absoluere ac pronunciare fidei confessionem, ut ueram christi cognitionem in vnitate & firmitate consistere, non multorum opinionibus uelut arũdinem agitari doceret. Tenet ergo Petrus ecclesię unitatis figuram. Accedit ad hæc Cypria. auctoritas habita. 24.q.1. loquitur dominus. dicentis. quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipienté auctoritate sua disposuit, hæc utiq;

erant

erant cęteri apoſtoli quod Petrus fuit, pari conſortio præditi,& honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur,ut eccleſia Chriſti una monſtretur. Vnde non unus, ſed unitas claues accepit, ut atteſtantur etiam capitula omnibus. & quodcunque xxiiij.q.j.ex Hiero.& Aug.

Ad evidentiam horum conſiderandum eſt unum dici a ſanctis.ſ.Petrum ſignificaſſe eccleſiam cum claues accepit. Duo autem exponi ſeu deduci. primum eſt, eccleſia accepit claues cum Petrus claues accepit. ſecundum eſt, quòd perſona Petri non accepit claues. Vnde dupliciter contingit hic errare, uel negando primum, uel affirmando ſecundum. Et negare quidem Petrum eccleſiam ſignificaſſe, eſt contradicere expoſitioni ſanctorum. Affirmare autem eccleſia ſic accepiſſe claues quòd perſona Petri non acceperit, error eſt pluſquàm hereticus, quoniã euangelica per hoc negatur hiſtoria, & hiſtoria in parabolã uertitur. Parum dixi, quoniam omnis etiam ueteris teſtamenti hiſtoria in parabolam uerteretur. Declaro ſingula. ſi.n. Petro non in perſona propria ſolùmodo in perſona ſignificatę per eũ eccleſiæ promiſſæ ſunt claues cum dictum eſt ei,& tibi dabo claues, &c. parabolicus Petrus inducitur, & non narratur hiſtoria ſed parabola, cum dicitur. uenit Ieſus in partes cæſareæ Philippi, & interrogauit diſcipulos ſuos. cum reliquis, quæ ſequũtur. Et eadem licentia qua hæc hiſtoria uertitur in parabolam, omnis alia hiſtoria non ſolum noui, ſed etiam ueteris teſtamenti in parabolam uerti poteſt, ſcriptum eſt.n.omnia in figuram contingebant illis. Si enim quia Petrus figuram gerebat eccleſiæ parabolicus ponitur, & non in propria perſona circa claues, parabolam, quoque neceſſe eſt fateri de Martha, & Maria, quæ figuram gerebant uitæ actiuæ, & contemplatiuæ, parabolæ quoque erunt reſuſcitationes trium mortuorum a Chriſto, quia fi-ram gerebant trium generũ peccatorum ſpiritualiter reſurgentium. quinimmo, & mors Chriſti, & reſurrectio parabola erit quia illa nos mortuos peccato, iſta nos ĩ nouitate uitæ ſignificat. & breuiter uniuerſa ruit rerũ geſtarum fides in ſacra ſcriptura ex hac licentia. Vera autem, probata ſententia eſt, dupliciter aliquid ſignificari. uno modo per modum parabolæ, ſicut filius prodigus ſignificat peccatorem, & operarii conducti ad uineam ſignificant cultores Dei in Chriſt i in eccleſia, & ſic de alijs. Alio modo per modum rei geſtæ, ita quòd res uera geſta ſignificat rem aliam. ſicut tranſitus Hebreorum per mare rubrum ſignifi-

cat transitum nostrum de uitijs ad uirtutem,& aduentus magorum adorantium Christum, significat uiatorum progressum ad celestem patriam. Inter hos autem significādi modos hęc est ad propositum disparitas, quòd in parabolica significatione nulla est cura de significantibus personis secundum seipsas, quoniam ad significandum tantum describuntur: quemadmodum apud poetas fit in comedijs,& tragedijs. Cū autem res gesta significat oportet primo omnem curam adhiberi ad rē quæ geritur, & ad personas secundum seipsas, quia sensus literalis in hoc consistit, ex quo solo secundum Dio. & Aug. efficax trahitur argumentū. Vnde oportet primo uerificare in historijs res gestas, & dictas de personis secundum seipsas ad ueritatem fidei, & deinde pōt superaddi sensus spiritualis, quo res gesta significat aliam, quo persona historica figurat aliquid aliud. & hoc ad edificationem Christi fideliū, nō ad cōprobandū ea fidei quæ in controuersiam ueniunt. Quocirca, oportet primo ad ueritatem fidei saluandā sensum historicum tenere, & personam Petri non vertere in personam parabolicam, cum de fide agitur historiæ, & sensus literalis inuestigatur euangelicę historię quando uenit Iesus in partes cæsareæ Philippi, & interrogauit primo, ac secundo, audiuit responsiones primo discipulorum. deinde Petri, respondit Petro dixit promisitque claues regni cœlorum. Et firmata ueritate sensus literalis, quod personæ Petri dictum promissumq; est, superaddere licet sensum mysticum quo Petrus figurat ecclesiam, sicut apparet in similibus, puta in significatione uitæ actiuæ p Marthā (cui dictum est, solicita es, & turbaris erga plurima) & contemplatione per Mariam, de qua dictum est, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, & sic de alijs. Patet ergo quòd Petro in persona ecclesię promissas esse claues uerum est sic, ut personę ipsius Petri primo, & ad literam promissæ sint, quia illud uerificatur secundum sensum mysticum, hoc autem secundum sensum literalem.

Ad primū ergo in oppositum dicitur, clarum ex antedictis eē uerba illa Domini (beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit, sed pater meus) non ad Petri primatū, sed ad ipsius confessionem, & confessionis fructum spectare, & propterea tanquam impertinentia longe sunt a proposito secundū literalē sensum. Has aūt Petri condōnes trahere mystica interpretatione ad ecclesiā, quāuis sustineri possit, intolerabile tamē est ut sensus mysticus excludat literalē, Petrus excludat seipsum, auditor

tor excludat eum qui audit, & Simon Ioannis uertatur in parabolicam personam. Ad secundum uero dicitur, falso interpretari finem cur post tantam commendationem, Petrus reprehensus fuerit, nam secundum planum literæ sensum commendatur primo persona Petri ratione diuini doni, deinde reprehenditur ratione proprij sensus, neutrum autem secundum historię fidem spectat ad alium quam ad Petrum, quoniam tam commendatio quam reprehensio personalis fuit. Secus autem est secundum sensum mysticū, quo quilibet proprij sensus & affectus in Petro reprehenditur, & quilibet diuinę reuelationis sectator in Petro cōmendatur.

Ad tertium dicitur, per hanc Petram demonstrari ad literam fidem in hoc, id est Petro, ut ex dictis patet. Et propterea non sequitur quòd cuilibet partiali ecclesiæ vbi est fides, equaliter datæ sint claues, sed sufficit cuilibet fideli ecclesię datas esse in totius ecclesiæ capite, quod est hæc petra super quam christus ædificat ecclesiam suam. Et ad confirmationem dicitur, quòd licet petrus errauerit, non tamē desijt esse petra, tum quia per illa verba quæ obijciuntur, absit a te domine non erit tibi hoc, petrus, nec fidem, nec charitatem perdidit. Vnde & dominus non dixit ei uade Sathana (vt tentatori dixerat) sed modificauit dicens, vade post me Sathana, tanquam diceret, sequi tu me debes non ego affectum tuum. Tum quia ut prædictum est, cum postea christum negauit fidem non perdidit, sed petra fidei perseuerauit in corde. Et tamē ut Theop. Lu. 22. notauit, christus iterum ipsum in apostolico gradu restituit dicens, confirma fratres tuos. Ad quartum dicitur, quòd cum papa eligitur, nec secum claues affert, neque ab ecclesia illas accipit, sed a christo, non noua traditione, sed antiqua illamet qua tradidit petro. Ecclesia siquidem ministerio electionis personam deputat quæ petro succedat, christus autem ipse in beato petro cuilibet successori claues tradidit. & propterea uana est quæstio a quo accipit aut cui relinquit moriens? verbum enim christi semper uiuum dat claues cuilibet succedenti, & non vnus alteri relinquit.

Ad quintum dicitur, argumentum esse similis formę, sed dissimilis materiæ, & propterea non tenere. Iustitia siquidem & fides bona sunt animæ, ad utilitatem ipsius credentis & iusti, claues autem potestatem significant, ad aliorum regimen ordinatam, & ideo licet cuilibet credenti imitanti Abraham reputetur fides

ad iustitiam sicut Abrahæ, non tamen cuilibet credenti & confitenti christum, immo nec cuilibet petri imitanti petrum in fide dari oportet claues, id est potestatem aperiendi & claudendi alijs, sicut nec cuilibet imitanti fidem Abrahæ datur, quòd sit pater multarum gentium, quòd in semine suo benedicantur omnes gentes, quæ tamen Abrahæ credenti data sunt. Quod autem additur nulli nisi ecclesiæ conuenire posse constanter certò ac perseueranter habere petri confessionem, si ad singulares personas refertur Paulus apostolus ad Ro. 8. confutat dicens, quis nos separabit a charitate christi? tribulatio an angustia &c. & subdit, certus sum enim &cet. loquens ad literam de electis. Quòd si non contra rem, sed contra notitiam nostram argueret quia nos nescimus quis perseuerabit, facile satisfit per hoc, quòd deus suauiter disponens omnia, non exigit ab homine maiorem certitudinem ea quæ est fidei & humani moris, a fructibus scilicet eorum cognoscendo homines.

Ad sextum dicitur verũ esse & ꝙ ecclesiæ datæ sunt claues, & quòd petrus personam ecclesiæ figuratæ gerebat, & quòd unitas petri vnitatem ecclesiæ significauit. Sed in hoc falluntur argumenta, quòd ex his ueritatibus in aliam ueritatem insurgunt, hę siquidem veritates non contrariantur huic alij veritati, quòd petrus in propria persona accepit claues, sunt hęc enim omnia simul uera. Et primum quidem & vltimum, ut sexto, patebit ca. ad ueritatem sensus literalis spectant, quoniam ad literam petrus in propria persona sic accepit claues, quòd etiam ecclesia accepit easdem. Reliqua autem ad mystici sensus ueritatem spectant, secundum spiritualem siquidem sensum unus petrus unitatem ecclesiæ significat, & uniuersalem ecclesiam representat. Vnde Cyprian. Hieron. & August. dicta quæ obijciendo allata sunt, verissima sunt, sed iuxta sensum mysticum. Sed non aduersantur sensui literali, quo (ut euangelica testatur historia) ipse petrus in propria persona cui reuelatio facta est respondit, clauiumq; promissionem accepit. Ad clariorem tamen notitiam habendam uerborum Aug. scito duplicem euangelij sensum, hoc est literalem (quo uerificatur tibi, id est petro dabo claues regni cœlorum) & mysticum (quo uerificatur tibi, id est ecclesiæ significatæ per te, dabo claues regni cœlorum) esse ab Augu. comparatum non penes uerum, uel falsum, sed penes clarum uel minus clarum. Ad sensum siquidem mysticum spectat, quòd

Petrus gerat in figura personam ecclesiæ, sicut ad sensum mysticum pertinet quòd Iudas gerat personam inimicorum christi. ad literam autem ipse Iudas erat christi inimicus, & ipse petrus est cui promisse sunt claues. Vnde Aug quia sensus mysticus clarior est quam sensus literalis in proposito (ut testantur tot quæstiones quæ circa sensum literalem emergunt) & sensus mysticus ita est omnibus manifestus, ut etiam uulgares sciant claues esse ecclesię, comparauit sensum literalem (iuxta quem claues promisse sunt personæ petri futuri pastoris totius ecclesię) ad sensum mysticum iuxta quem claues promisse sunt petro in figura ecclesiæ, & dixit quòd mysticus sensus est clarior, hoc enim sonant illa uerba, non habent illustrem intellectum nisi ad ecclesiam referantur, cuius ille gessit in figura personam. Negauit siquidem illustrem & non negauit uerum intellectum nisi ad ecclesiam referantur, constat enim illustre ad claritatem pertinere.) Et hoc intendere August. patet ex contextu, uolens enim exponere psal. illum, deus laudem meā, partim de Iuda partim de populo iudæorum inimico christi, promittit. si autem de tali genere malorum. i. inimicorum christi ingratorum Iudæorum oīa mihi uidentur posse clarius aperiri, & statī subdit uerba allata. Vbi clare uidere quilibet potest nō derogari ueritati sensus literalis (quo personæ petri sunt claues promisse) ex hoc ꝙ sensus iste nō est ita clarus sicut mysticus, neq; enim solus est tex. iste talis, sed innumeros habet in sacra scriptura consodales, quorum sensus illustris non nisi mysticus est. Allata quoque uerba August. super Ioan. non negant petro secundum propriam personam dictum esse, tibi dabo claues, sed affirmant petro in persona ecclesiæ significatę dictum esse tibi dabo claues. Ex hac autem uera affirmatione non sequi negationem illius alterius ueritatis satis patet. Ad uim autem quæ fit in coniunctione aduersatiua, respondetur quòd coniunctio illa augmentatiua est, iuxta frequentissimum loquendi usum, quo dicimus aliquem uirtute bonum uirum, sed officio bonum ciuem, & similia. Tanquam enumeratis August. quibusdam personalibus petri conditionibus auxerit conditionem petri, transeundo ad extensionem eius in uniuersam ecclesiā significatiue, cū qua figura cōditione stat quòd per proprietatem pastoralis officij idem petrus ad uniuersam sꝫ extendat ecclesiam, quamuis hoc non sit ibi ab Augu. explicatum, qui de petro & Ioanne mystice tractabat, ut ille

actiue

actiue iste contemplatiuæ uitæ personam gerebat. Vnde cum infertur quòd non unus sed unitas claues accepit, pro quanto affirmatur unitatem claues accepisse, uerum dicitur, sicut uerum est ecclesiam accepisse claues, quatenus uero negatur unum petrum accepisse claues, aut falsum dicitur, aut pie exponēdum est. Nam si ideo negatur unus ut negetur petrus, falsum dicitur cōtra euangelicam historiam, si autem ideo negatur unus ut negetur solitudo personalis, hoc est, ut petrus non acceperit claues secum sepeliendas, sed ut in ipso ecclesia usq; ad finem seculi duratura claues acceperit, uerum dicitur, sic .n. non unus .i. pro se tantum, sed unitas ecclesiæ in illo uno claues accepit. In nullo tamen citatorum locorum habetur negatiua ista, non unus claues accepit. Et ex ijs quæ diximus, soluēdas similes obiectiones relinquimus, ut non sit opus omnia quæ obijci possunt afferre. Reliqua ex Cypria. allata de paritate Apostolorum, inferius loco suo patebunt.

VERBA CHRISTI, TIBI DABO CLAVES, PETRO *non in personam omnium apostolorum dicta esse.* cap. 4.

EXCLVSIS prioribus erroribus, tractanda est eorum opinio qui petro intelligunt in persona omnium apostolorum dictum a Christo, tibi dabo claues &c.

Afferunt autem ad hoc argumenta quatuor. Primum ex interrogatione domini, nam non petrum solum, sed communiter omnes interrogauit, uos autem quem me esse dicitis? Secundum ex persona petri, quia petrus primus omnium erat apostolorum & personam omnium induit pro omnibus respondendo. Vnde Chryso. dic. omnibus discipulis interrogatis, petrus tāquàm os apostolorum & caput pro omnibus respondet. Et confirmatur, quia nisi in persona omnium petrus respondisset, fuisset expectanda aliorum respōsio, aut rei fuissent alij apostoli omissæ responsionis ad interrogationem domini, uos autem quem me esse dicitis? Tertium ex fructu, quia claues regni cœlorum datæ sunt omnibus apostolis. quartum ex communibus, quia Christus dixit. quod uni dico, omnibus dico.

ANTEQVAM autem ad hæc respondeatur, ex plano sensu tex. euangelici monstrandū est directa esse hæc domini uerba ad petrum solum: Patet siquidem hoc primo ex principio sermonis

nis dominici ad petrum quum dixit, beatus es Simon bar Iona, hoc.n. non potest referri uere ad omnes. Tum quia exprimitur proprium nomen Simonis, & explicatur cuius sit secundum carnem filius dicendo bar Ioan.i. filius Ione. Tum quia falsum hoc fuisset de Iuda, quoniam non credidit in christum, ut testatur Io. 6. ca. quum refert dominum dixisse, sed sunt quidam ex uobis qui non credunt, & statim subdit rationem dicti, sciebat.n. ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et rursus in calce eiusdem ca. dicente petro pro. 12. apostolis, & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius dei, respondit eis Iesus, nonnè ego uos. 12. elegi, & ex uobis unus diabolus est? non potest ergo uerificari quòd ad omnes apostolos dictum sit beatus es, quum unus eorum non crederet & diabolus esset.

Secundo ex subiuncta ratione, quia caro & sanguis non reuelauit, tibi sed pater meus qui est in cœlis. nam ex his domini uerbis constat petro reuelationem factam esse a cœlesti patre, ita quòd hoc negare, esset contrarium fidei. sed non propterea hic constat alijs apostolis huiusmodi reuelationem esse factam, scriptura.n. hoc non tradit, & propterea eadem facilitate contemnitur qua affirmatur. Constat igitur hic quòd ad petrum uerba diriguntur, & non constat quòd ad alios extenduntur. Tertio ex subiuncta affirmatione, tu es petrus, monstrat.n. & pronomen tu & nomen sibi primus impositum a Christo Io. primo. tu uocabèris cephas, quod interpretatur petrus, quòd ad solum petrum sermo dirigitur. Nam si per pronomen demonstratiuum ad sensum, adiunctis & nomine proprio a natiuitate. s. Simon, & nomine patris carnalis, & nomine quo solus cognominatus est a Christo a principio discipulatus. s. petrus, & interiori dono reuelationis quod non constat alijs fuisse concessum, nun sufficienter significatũ est quòd ad ipsum solum est sermo, quibus quæso uerbis describendum fuit ab euangelista quòd ad solũ petrum erat sermo? Et confirmatur, quia eodem pronomine demonstratiuo ad sensum usus est dominus subiungens, & tibi dabo &c. Et confirmatur ex eo quòd non pluribus nec maioribus circunstantijs describuntur & nominantur a notarijs personę hæredes aut legatariæ quàm persona petri in hoc textu descripta ac nominata est, ut patet colligendo, Simonem filium Ione, petrum ex interna reuelatiõe commendatum. Ex uerbis igitur & ex sensu uerborum clara luce patet soli petro dictum esse, tibi dabo claues &c.

AD

AD PRIMAM autem obiectionem in oppositum dicitur, ex hoc quòd dominus interrogauit omnes non cogi reliquum sermonem dirigi ad omnes, frequenter.n. diuertitur sermo a pluribus ad unum aut econuerso. Mater siquidem filiorum Zebedei petijt ut sederent duo filij sui, unus ad dexteram & alter ad sinistram, dominus autem ad filios respondendo, sermonem dirigit, potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et si diligenter perspectus fuerit euangelicus tex. ipsa conuersio sermonis attestatur, quòd non omnem sermonem ad omnes dirigebat, inquit. n. Math. quòd primo & secundo interrogauit discipulos communiter, deinde ad petrum sermonem uertit, & rursus ad discipulos sermonem conuertit, nam subditur. tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus &c. Si.n. totus iste sermo ad omnes fuisset directus, non narrasset euangelista huiusmodi uariam conuersionem sermonis. Nec officit quòd communis petro & alijs causa, effecta domini interrogatione sit. cum hac.n. communitate stat ꝙ appropriata sit petro. nam in maiori causa, communis.s. tentationis, solius petri ratio habita est, ut ipse dominus testatur Luc. 22. dicens. Simon ecce Sathanas expetiuit uos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus cõfirma fratres tuos. Vbi patet omnes expetitos a Sathana, & tamen dominum pro solo petro orasse, oraui inquit pro te, non pro uobis, immo alios petro commendauit. Ad secundam obiectionem ex persona petri dicitur, quòd gerere personam communem seu respondere pro omnibus apostolis, potest intelligi tripliciter. Vel ex officio, puta quia habet curam eorum. Vel per uiam commissionis, puta quia apostoli cõmiserunt petro ut in persona omnium pro omnibus responderet. Vel per uiam ratificationis, ut quia responsio data a petro grata fuit communiter apostolis, ut pote congrua ac eximia. Et quidem quòd petrus non gereret personam communem ex officio, ex eo patet quòd nondum erat constitutus pastor eorum, neq; propriè erat caput eorum nisi sicut primus inter canonicos, potest dici caput canicorũ. Similiter quòd non ex commissione apostolorum responderet, non solum ex eo patet quòd huiusmodi cõmissio uolontariè affirmaretur (quoniam ex scriptura non habetur) sed ex eo conuincitur quòd dominus expræsse testatur quòd caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus. Vbi excludit non solum omne humanum cõsilium, sed

etiam

etiam disciplinam ex sententiali auditu doctrinæ ipsius Christi, dum interiori spirituali reuelationi patris qui in celis est, Petri notitiam qua Christum filium Dei uiui confessus est attribuit. Si enim ex consultatione cum alijs apostolis responsum dedisset non sibi dictum fuisset, quòd caro, & sanguis non reuelauit tibi quum inter eos esset consanguinitas, & carnalis propinquitas, & similiter non fuisset recursum ad actorem omnino spirituale, & designatum tam a remotis, s. in cælis. Hæc. n. omnia manifeste testantur Petri confessionem non ex apostolorum commissione, sed ex interiori ipsi Petro facta reuelatione processisse.

Et confirmatur hoc ex contextu euagelij, nam præposita domini interrogatione prima discipulorum (quem dicunt homines esse filium hominis?) quia responsio fuit communis euangelista dicit, at illi dixerūt, in secunda uero interrogatione eorundem (uos autem quem me esse dicitis?) quia responsio propria fuit Petro, euangelista dicit. respondens Simon Petrus dixit.

Et confirmatur rursus ex Ioan. 6. cap. Vbi dicitur iam aperte notare possumus inter Petrum in persona omnium loquentem, uel in persona propria, nam ibidē loquens Petrus in persona omnium Christo domino dicenti nunquid, & uos uultis abire? respondit ei Simon Petrus in persona omnium. domine ad quem ibimus? uerba uitæ eternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Et subdit euangelista, respōdit eis Iesus, nonne ego uos. 12. elegi, & unus ex uobis Diabolus est? Vbi conferendo textum Ioannis textui Matthei, aperte apparet, quòd tunc cum apud Ioannem in persona omnium Petrus respondit. locutus est in numero plurali primæ personæ, dicens ad quem ibimus? & nos credimus, & cognouimus. & similiter dominus respondit non Petro, sed eis, hic uero apud Matth. omnia sunt in numero singulari cū pronominibus demonstratiuis solius Petri tam in responsione Petri, quàm in replicatione domini, & promissionibus ac assertionibus. tibi inquit dabo, non uobis, quodcunque ligaueris, non quodcunque ligaueritis, tu es Petrus, non uos estis Petrus, ut patet in litera. Huiusmodi enim differentia manifestat, quòd Petrus ex proprijs intus a celesti patre habitis solus respondet, solusque a Christo monstratur. Nec putes propterea hanc eandem esse lectionem apud Matthæum, & Ioannem, quoniam ista Matthæi fuit post ea quæ referuntur a Ioanne. Quod ex multis patet, illa. n. Ioannis fuit

HH post

post miraculum de quinque panibus,& in capharnaum, ut ibidē apparet. quod autem refert Matthæus, fuit non solum post miraculum de quinque panibus,sed etiam post aliud miraculum de 7. panibus, ut patet Matth. 16. & fuit in partibus cæsareæ Philippi. Dicendum est ergo, quòd responsio Petri tanquàm grata, & rata pro omnibus, dicitur fuisse in persona omnium, sicut frequenter contingit, quòd collegis pluribus interrogatis, primo bene respondente,ab omnibus ut rata habetur responsio,& pro omnibus respondisse primum frequentissimo usu dicimus. Et sic intelligenda sunt uerba Chry.& Gl.interli.& quorūcunq; aliorū dicentium,quòd Petrus respondet pro omnibus, erat.n. os omnium tanquàm ratificatum ab omnibus.Vnde Chry. Homel.55. super Matth.subdit.solus Petrus respondet, & confestim præsiliuit ac præueniens ait.Tu es Christus, &c.Vbi uides non consilio aut commissione aliorum respondisse,sed præuenisse.Et Aug. de uerbis apostoli sermone 31. ait.respondit Petrus unus pro omnibus,quia unitas in omnibus. vbi videre potes quare dicitur Petrum respondisse pro omnibus,nō ex commissione omnium, nō ex officio,sed ex unitate omnium,quia.s.oēs erant fratres. & q̄d primus eorum optime respondit, unitas omnibus placere fecit. Sicut inter fratres unitos ac unanimes quod ab uno bene dicitur, ab omnibus ratum habetur, & ut ab omnibus dictum sumitur. Et hinc patet responsio ad confirmationem subiunctam, ex eo enim quòd Christus Petri responsionem approbauit, & cōmendauit Petrumque beauit, ac illi tot promisit, uanum apparet expectationem ingerere, ut audiantur alij, quis enim aliud dicturus esset quàm quod diuinitus reuelatum? & sic remuneratum uidet. Vnde nec rei mãserunt non respondentes alij, quia gratam eis esse Petri responsionem suffecit. Insinuatur autem Petri responsionem aliis apostolis gratam fuisse non solum ex hoc quòd est rationi consentaneum iuxta humanum morem, sed ex subiunctis statim euangelistę uerbis. tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus. Hoc siquidē præcepto monstratur discipulos Petri confessionem tenuisse, ideo enim ne aliis dicant inhibentur.

Ad tertiam autem dicitur quòd, si intendit argumentum promissas per uerba hæc omnibus apostolis claues, principium petit, hoc enim est, quod probandum erat.
Si uero intēdit ꝙ per alia uerba dominus apostolis alijs claues re

gni

gni cœlorũ tradiderit,ad sequens spectat capitulũ,ubi hoc tracta bitur. Ad quartam obiectionem dicitur, ꝙ auctoritatem illam quod uni dico,nullibi inuenio in euangelio.Veruntamen ubicun quæ inueniatur dicitur, quòd ad literam intelligitur de dicere doctrinali,ut Marcus testatur in simili ca. 13. quod uobis dico, omnibus dico, uigilate. Potest nihilominus ad proteruos dici quòd in hac auctoritate non habetur quod uni do omnibus do, aliud est.n. dicere & aliud dare. præsens autem sermo non de dicere sed de dare est. inquit.n. dominus,tibi dabo claues regni cœlorum. & propterea auctoritas non est ad propositum. Ex quibus omnibus patere potest, quòd ex his domini uerbis Matth. 16. solus petrus promissionem accepit clauium regni cœlorum.

APOSTOLIS ALIIS NON ESSE ALIAS *collatum quod Petro.* *Cap. 5.*

QVAMVIS fateantur multi præmissum textum euangelij ad solum petrum pertinere,affirmant tamen nonnulli totum id,quod petro promissum est, datum esse a Christo aliàs reliquis apostolis,idq; uerum esse multis affirmãt argumentis ex sacra scriptura Primo Matth. 18. apostolis communiter dicitur. quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo,& quæcũq; solueritis super terram,erunt soluta & in cœlo. Vbi apparet potestatem prius petro promissam,ad omnes extensam esse. Secundo Io. 20. apostolis communiter exhibentur claues petro promissę,dicendo.quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,& quorum retinueritis retenta sunt. Tertio Io. quoq; 20. apostolis communiter dicit Christus. sicut misit me pater & ego mitto uos. & similiter Mar. ulti. & Matth. ulti. omnes communiter misit ad docendum,prædicandum &c.
Deinde manifestatur idem ex facto, nam Act. 8. petrus missus cum Ioanne legitur in Samariam ab apostolis, qui erant Hierosolymis. Et Act. 15. in Synodo de legalium obseruatione præsente Petro, Iacobus dedit sententiam, dum dixit. ego iudico non inquietari eos &c. Ad Gala. quoquæ. 2. petrus & Iaco. & Io. qui uidebantur columnę esse,dextras dederunt paulo & Barnabæ societatis. Ex quibus gestis æqualitas comprobatur Petri

& aliorum apoſtolorum. Afferuntur demum mille auctoritates ſanctorum, ſonantes equalitatem petri & aliorum apoſtolorum, ut eſt illa Cypria. & habetur. 24. q. 1. loquitur dominus. dicentis quòd parem poteſtatem omnibus apoſtolis tribuit, & hoc utiquæ erant cæteri apoſtoli quod petrus fuit, pari conſortio prædití & honoris & poteſtatis. Et illa Hiero. contra Iouinianum lib. 1. ca. 14. At ſi tu dicis ſuper petrum fundatur eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes apoſtolos fiat, & claues regni cœlorum cuncti accipiant, & ex æquo ſuper eos eccleſiæ fortitudo ſolidetur. Et quæcunq; aliæ ſimiles.

Ad evidentiam horum ſcito ex euangelico textu duo iueniri ſingulariter promiſſa petro, quibus Origenes addidit tertium, primum eſt. Super hanc petram edificabo eccleſiam meam, hoc. n. ſoli petro promiſſum legimus. ſecundum eſt. Tibi dabo claues regni cœlorum, quod nulli alij inuenitur promiſſum. tertium ab Orige. notatum eſt, quòd petro dicitur. Quodcunq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, in numero plurali, & ſimiliter quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, apoſtolis autem communiter dicitur, quòd erunt ligata aut ſoluta in cœlo, in numero ſingulari. Et rationem ſubdit, quia non ſunt tantæ perfectionis ſicut petrus.

Inter quatuor ergò promiſſiones petro factas, primæ ab alijs differentia clara eſt, nam conſtat aliud ſignificari per fore eccleſiæ fundamentum (quod explicat, ſuper hanc petram edificabo eccleſiam meam) & aliud per habiturum claues & ſoluere & ligare. Sed differentia inter ſecundam (.i. inter claues regni cœlorum) & tertiam ac quartam, hoc eſt ligare & ſoluere, non eſt uſquæquaq; nota. apparet ſiquidem iuxta literæ ſuperficiem per claues poteſtatem, per ligare autem & ſoluere explicatos eſſe actus poteſtatis, ut eſſicacia clauium declararetur, quo pacto. ſ. ad cœlorum regnum pertingerent. Huiuſmodi. n. efficacia manifeſtatur dicendo, quodcunq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. & quia pluraliter cœlorum regnum præmiſerat, ideo pluraliter dixit in cœlis. Et iuxta hunc ſenſum promiſſio clauium a promiſſione ſoluendi & ligandi differunt, ſicut promiſſio poteſtatis a promiſſione actuum illius explicatiua.

Sed hæc ueram quidem, ſed non totam continent euangelij ſententiam. Quod ut plenius intelligas, ſcito duplicis generis inueniri actus clauium, quidam. n. ſunt actus adæquati ipſis clauibus,

bus, quidam uero minores ipsis. Illi sunt uelut actus totales, isti actus partiales. Adæquati autem clauibus actus sunt aperire & claudere, partiales autem sunt ligare & soluere. Declaro singula. Quod aperire & claudere sint actus adæquantes claues, uoces sonant, & officium clauium clarissimè testatur, claues .n. solummodo ad aperiendum & claudendum sunt. Nec desunt scripturarum testimonia tam ex ueteri quàm ex nouo testametno. Esa. n. 22. cum dictum esset. & dabo clauem domus dauid, subditur & apatiet & claudet, & similiter Apoc. 3. idem repetitur. Quod uero soluere & ligare sint actus clauium, doctores omnes testantur. Quod autem sint actus partiales & nō adæquati clauibus, ex hoc patet, quòd soluere & ligare se habent ad aperire & claudere ut partes ad totum, omnis .n. qui soluit aliquem, aperit illi regnum cœlorum, sed non omnis qui aperit alicui regnum cœlorum, soluit illum, & similiter omnis qui ligat claudit, sed non omnis qui claudit ligat.

Et ne per multa diutius uagemur, sed solida ratio simul cum ueritate pateat, soluere & ligare actus sunt iudiciales, siue, in sacramento pœnitentiæ, siue in foro ecclesiastico, aperire & claudere actus sunt superiores, compræhendentes sub se & actus iudiciales & actus non iudiciales, utrisq; .n. clauditur & aperitur regnum cœlorum. Et quidē ꝙ cœlorum regnum multi claudāt alijs absq; uinculo iudiciali, testatur dominus Luc. xj. dicens. ue uobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introijstis, & eos qui introibāt prohibuistis. Quod uero regnū cœlorum aperiāt absq; actu iudicij, magistra rerum experientia monstrat, dum pastoris prouidentia, gubernatione, ordinatione, doctrina, dispensatione, commutatione &c. continue aperitur ecclesiæ regnum cœlorum. Differt ergo promissio clauium (tibi dabo claues regni cœlorum) a subiunctis duabus reliquis (quodcunq; ligaueris & qđcūq; solueris) secūdū rē promissam nō solum sicut ptās ab actibus, sed sicut ptās ab actibus inadequatis, seu minoribus & partialibus, ita ꝙ cū promissæ sunt claues petro, promissa est potestas aperiendi & claudendi regnum cœlorum, cum autē promissum est eidem, & quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, explicata est clauium efficacia in actibus minoribus, ut perciperemus, quòd si partialium actuum tanta est efficacia, multo magis adæquatorum actuum efficacia pertinget ad cœlos. Quocirca, promittendo claues, promittitur totum, promittendo

do autem actus soluendi & ligandi, non promittitur totum, sed promittuntur actus partiales. Et propterea ex hoc quòd soli petro promissæ sunt claues regni cœlorum, fateri oportet soli petro promissam esse potestatē aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, nō quòd solus aperire & claudere possit cœlorum regnum (nam ut prædictum est, quicunque soluit aliquem, aperit illi regnum cęlorum) sed quia solus potest quicquid pertinet ad aperiendum & claudendum regnum cœlorum, non istis uel illis, sed ecclesiæ edificatę super eum a christo. Hunc sensum hancq; differentiam ad literam uerificari, ex tribus ultra prædicta declaratur, primo ex interposita semper coniunctione copulatiua in tex. euangelico, ait enim, tu es petrus, & super hanc petram, & tibi dabo claues, & quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, diuersitatem enim promissarum rerum coniunctio copulatiua insinuat secundo, quia dominus non dixit, & cuicunque aperueris, & cuicunque clauseris, sed dixit, quodcunque solueris, & quodcunque ligaueris. Si enim claues exponere voluisset per adæquatos proculdubio actus (qui sunt aperire & claudere) exponendæ erant, sed ubi ad ligandum & soluendum descendit, manifestauit se non exponere claues, sed ad minores actus clauium transire, tertio ex eo quòd nunquam apostolis promisit aut dedit claues regni cœlorum, uel illarum adæquatos actus, scilicet aperire & claudere regnum cœlorum, sed de partialibus actibus clauium locutus legitur cum apostolis, & dicendo, quæcunque alligaueritis super terram &cet. & dicendo quorum remiseritis peccata &c. Et si instetur quòd nec etiā petro dominus actus adæquatos clauibus dedit aut promisit, quia claues quidem illi promisit, sed nunquam promisit quòd aperiret & clauderet. Absit a diuina sapientia, ut silentio inuoluerit actus adæquatos clauium, cum enim explicauit cuius essent claues, ut aperiendi, & claudendi, explanauit proculdubio actus adequatos clauium, qui sunt aperire, & claudere. Constat autem ideo apposuisse regni cœlorum, ut exponeretur quòd claues sunt regni cœlorum, ut appellandi, & claudendi. Eoipso igitur quòd promisit soli petro claues regni cœlorum, promisit soli petro adæquatos actus clauium, seu quod idem est claues secundū actus adequatos clauibus. & post hanc promissionem descēdit ad actus iudiciarios, & quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, ut prædictum est. Ex euangelico igitur textu duę euidenter restant soli petro pro-

promissiones; hoc est fore fundamentum ecclesiæ (super hanc petram edificabo ecclesiam meam) & dandas ei claues regni cœlorum, & tibi dabo claues regni cœlorum.

Nec carent hæc obiectionibus. Nam contra primam promissionem opponitur, aut solum christum esse fundamentum ecclesiæ (iuxta illud primæ ad Cor. 3. fundamētum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est christus Iesus) aut si multiplex fundamentum admittitur, non solus petrus est ecclesiæ fundamentum, sed etiam alij apostoli, iuxta illud ad Eph. 2. superædificati super fundamentū apostolorum, & Apoc. 21. murus ciuitati habens fundamenta. 12. & in ipsis. 12. nomina 12. apostolorum.

Contra secundum uero opponitur primo. Si promissione clauium promittitur tota potestas, cur post totum promittuntur partes, quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris? fuisset enim hæc promissa in toto. Secundo. Si soluere & ligare sunt partiales actus clauium, cur theologi in 18. & 19. di. 4. sent. de clauibus tractando, diffiniunt eas per actus iudiciales qui sunt ligare, & soluere? diffinitio enim per proprios, & adequatos actus dari debet. Tertio. Cur claues apostolicæ in ordinatione presbyterorum dari affirmantur, si illis non conferuntur nisi minores actus clauium? Quarto. Cur claues dicuntur claues ecclesiæ, & non dicuntur claues petri, si soli petro primo datæ sunt?

Non est autem difficile his satisfacere. Et obiectis quidem cōtra primam promissionem petro factam vt foret fundamentum ecclesiæ, respondetur, quòd esse ecclesiæ fundamentum simpliciter. i. totaliter proprium est christo, esse autem fundamentum ecclesię secundum aliquod tempus, uel secundum aliquam rationē particularem, communicatum est alijs. Et scis quidem quibus reuelata est doctrina fidei pro ecclesia, communicatum est esse fundamentum sub rationibus apostolorum & prophetarum, petro autem ultra prædictam rationem promissum est fore fundamentum, secundum rationem pastoris totius ecclesię christi, secundū quam rationem non conuenit alijs apostolis esse fundamentum. Et propterea diuersimode dicitur fundamentum de hoc triplici modo. de christo enim dicitur cum exclusione aliorum, (fundamentum aliud nemo potest ponere &c.) de apostolis uero, & prophetis dicitur cum additione fundamenti totalis. i. christi, dum & ad Ephe. 2. adiungitur, ipso summo angulari lapide christo

sto Iesu (ubi Aug. dicit. ne apostoli uel prophetæ in quibus fundata est ciuitas se tenerent in se, in Christo totum innititur primo fundamento, quod fundamentum in summo est non in imo, ut in corporali fabrica.) Et Apoc. 21. subiungitur, & agni .i. Christi. De Petro uero adiungit ipse Christus, ædificabo ecclesiam meam, ut ostendatur ex Christo principaliter pendere ecclesiæ ædificium. Ad quæsita uero circa promissas claues respondendo, dicitur ideo post promissum totũ per claues, promissas quoque esse partes per quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, ut monstraretur diuersitas rerum promissarum. (Si enim sub vnica promissione omnia comprehensa essent absque coniunctionibus copulatiuis, aut sole claues promissæ fuissent, adæquatas putasses, & exhaustas claues per hæc duo, quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris. Nunc autem quia tam aperte promissarum rerum diuersitas monstrata est, exprimendo singula cũ coniunctionibus copulatiuis clare intelligimus nõ totum quod promissum est petro promitti aut exhiberi cuicunque alteri per hoc quòd promittitur, aut datur quodcunque alligaueris, & quodcunque solueris &c. sed per hoc promitti, aut dari tantum quod tertio & quarto loco promissum est & petro.) Et inde uideres remanere primas promissiones apud petrum solum.

Ad secundũ uero quæsitũ respõdetur, ideo claues a theologis per actus iudicij diffinitas, quia de clauibus ordinis tractabant, ut patet in tex. magistri sen. tam in principio di. 18. (ubi affertur Amb. dicens. ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus) quã in principio di. 19. ubi dicitur dantur. hęc claues per ministerium episcopi in promotione sacerdotij, cum. n. sacerdotalem recipit ordinem simul, & has claues recipit. Et per hoc soluitur tertiũ quæsitum. Ad quartum autem quod non de re, sed de nomine est, & propterea extraneum quodammodo est, respondetur quod claues dicuntur, & Ecclesiæ, & Petri, solus enim petrus clauiger dicitur regni cœlorum. Et petri quidem sunt vt capitis utentis, & vt per quem ad ecclesiam deriuantur, ecclesię autem sunt & ut finis (quia propter ecclesiam petrus habet claues) & ut utentis in suis episcopis, & sacerdotibus, ita tamen quòd secundum earum totalitatem ecclesia utitur illis in suo capite, secundum autẽ partiales vsus utitur in episcopis & alijs ministris. Remanet ergo solida sententia dicta.

AD primũ aũt argumẽtorũ in principio allatorũ, dr̃, dominũ per illa uerba quæcũq; alligaueritis sup terrã &c. non adæquasse

promi-

promiſſiones quatuor factas Petro, ſed ſolas duas ultimas, ut litera ipſa teſtatur. Et propterea non dixit dominus dabo uobis aut eccleſię claues regni cœlorum, cum tamen dixiſſet Petro coram eiſdem, tibi dabo claues regni cœlorum. Vnde ex hoc ipſo quod alijs apoſtolis dominus dixit, quęcunque alligaueritis, & cætera, non facta mentione de clauibus, manifeſte habetur quòd non totum quod promiſerat Petro repetijt in poteſtate aliorum, tanquàm Petro totum alijs uero partes commiſſurus.

Ad ſecundum uero dicitur quòd poſt reſurrectionem dicendo quorum remiſeritis peccata, &c. date ſunt quidem apoſtolis claues, ſed non in ſua totalitate, quoniam datæ ſunt tantum claues ordinis, ut communiter docto. dicunt, & bene. Vnde ad literam cum dicitur quorum remiſeritis, conſtituitur iudex eccleſiaſticus in ſacramento pœnitentię, quantum eſt ex parte ordinis, cum uero Matth. 18. dictum fuit eiſdem, quęcunque alligaueritis ſuper terram, ſermo erat de iudicio eccleſiaſtico in foro iudiciali. Vnde & communiter dicitur & bene, quòd tunc ſermo fuit de actibus clauium iuriſdictionis, poſtea autem de actibus clauium ordinis. Et quoniam (ut declaratum eſt) neutrum iudicium etiam ſimul ſumptum adæquat claues Petro promiſſas, ſed ſoluere, & ligare in utroque foro, partiales ſunt actus clauium Petro promiſſarum, ideo per utranque poteſtatem ſimul, non adęquatur poteſtas Petro promiſſa. Vnde diſputationibus uacantes caueant a ſophiſtis opponentibus claues ordinis, & claues iuriſdictionis adæquare claues eccleſiæ. Venenum latet hic quoniam propriæ, & formaliter loquendo claues Petro promiſſe, ſuperiores ſunt, & clauibus ordinis, & clauibus iuriſdictionis. & propterea dominus non per actus ordinis, aut iuriſdictionis eas expoſuit, ſed per regnum cœlorum, proculdubio aperiendum, uel claudendum. Ita quòd perſpicacius intuendum (ut prædictum eſt) domini uerba, tibi dabo claues regni cœlorum, per illam particulam regni cœlorum, expoſuit claues per actum adæquatum, ſcilicet aperire, uel claudere, regnum enim cœlorum aperiendum, uel claudendum, actum aperiendi, uel claudendi ſecum fert, conſtat autem quòd aperire, & claudere regnum cœlorum, actus ſunt longe ſuperiores omnibus actibus iudicialibus, tam clauium iuriſdictionis, quàm clauium ordinis.

Importunè deniq; inſtātibus nouas nunc inferri eccleſiæ cla-

ues, hactenus.n.non sunt audite nisi claues ordinis, & claues iurisdictionis. Vnde nunc tertiæ claues in Christi ecclesia? Respondetur me non inuenisse, aut fingere nouas claues re, aut nomine, sed si æqua lance librare fas est hæc cum obiectis, inuenietur obiicientes seipsos arguere. nam neq; claues ordinis neque claues iurisdictionis tradidit sacra scriptura, sed doctores explicarunt claues autem regni cœlorum Christus dominus ore proprio cōsecrauit. Ego de clauibus regni cœlorum loquor, non nouitates introduco, ex ipsis domini uerbis iuxta sensum literalem per spicacius intellectum manifesto, quæ dico. Oportet autem arguentes considerare subtilius doctorum sensum, & uel ex hoc ipso, quod doctores distinguunt regni cœlorū claues in claues ordinis, & claues iurisdictionis, intelligere superiores esse claues regni cœlorum utrisque, & utrasque significare partes clauium regni cœlorum, ac per hoc claues regni cœlorum significare totum maius, & superius suis partibus cum simpliciter, & absolute dicuntur, ut Petro promisse sunt, quoniam uero ad partes applicantur, significare tam claues ordinis quam claues iurisdictionis, utræque.n.claues regni cœlorum appellantur. Vnde acuti lectoris officium erit, discernere quando doctores de clauibus regni cœlorum absolute, & quando de clauibus regni cœlorum applicatis ad ordinem, uel iurisdictionem loquuntur.

Ad tertium dicitur, quòd ipsa domini uerba testantur, quòd de apostolatus auctoritate sermo est cum dicitur, sicut misit me pater, & ego mitto uos, mittere.n.& mitti ad apostolatum spectat, iuxta illud Ioan.13.non est seruus maior domino suo, neq; apostolus maior est eo qui misit illum, & propterea hinc non habetur nisi paritas apostolatus. Et similiter per alios textus quibus missi sunt pariter ad docendum, & prædicandum, &c. non habetur nisi paritas quo ad huiusmodi commissiones, Petro aūt supra hæc omnia promissum est, & quòd foret ecclesiæ fundamētum, & quòd sibi darentur clares regni cœlornm.

His autem, quæ ex gestis apostolorum adducuntur, facillime satisfit. Docent siquidem concorditer Theologi in primo senten.non oportere missum minorem esse mittente, neque etiam esse ab illo, nam filius missus est a.s.s. quo non est minor, & a quo non est. Ad literam tamen dicitur quòd Petrus erat tantæ humilitatis, ut inter apostolos se gereret ut unus ex illis, & nō uolebat

bat uti poteſtate quam habebat,& propterea tanquam unus ex apoſtolis ab eiſdem cum Ioanne miſſus eſt. Patet autem manifeſte huiuſmodi petri humilitas act. 11. cum aduerſus illum diſceptabant alij fideles ex circunciſione, quod & Greg. & habetur. 2. q.7.ca. Petrus. notauit dicens. Petrus poteſtatem regni acceperat, & tamen idem apoſtolorum primus quærimoniæ cōtra eũ a fidelibus factæ cur ad gentes intraſſet, non ex poteſtate officij qua poſſet dicere, oues paſtorem ſuũ non accuſent nec reprehẽdant, ſed ex auctoritate diuine uirtutis qua gentiles acceperant ſpiritũſanctũ reſpondit. Et per hæc poſſe ſil'r dici in ſynodo de obſeruatione legalium petrum ſe habuiſſe, vt vnum apoſtolum. Verumtamen ſi res geſta recte notetur, non fuit petrus conſultatus, nec ſoli apoſtoli, ſed apoſtoli & presbyteri in Hieruſalem, & propterea conuerſio, nec a Petro, nec a Iacobo facta eſt, ſed ab apoſtolis & ſenioribus cum omni eccleſia, ſcribentibus tamẽ nomine apoſtolorũ & ſeniorũ. Vnde falſum eſt, ꝙ Iacobus ſnĩam protulerit, quoniam ſnĩa conuerſio eſt, quam cõſtat ab oĩbus factã, ſed dũ Iacobus dixit ego iudico, perinde eſt ac ſi dixiſſet hoc eſt iudicium meum. Vnde non introducitur Iacobus iudicãs, ſed reſpondens, ſic.n.legimus. Et poſtquam tacuerunt reſpondit Iacobus. Immo petrus paſtoris perſonam in principio geſſiſſe videtur, quoniam ipſe primus ſurgens allegans diuinam gratiam reprehendit eos qui libertatem a legalibus uertebant in dubiũ. Legimus enim ſic, cum autem conquiſitio fieret ſurgens petrus dixit &c. Vbi monſtratur petri auctoritas. Quod dexteras demum ſocietatis petrus cum alijs dederit, hoc fecit quod quotidie pontifex facit, omnes epiſcopos non ſolum, ut ſocios, ſed ut fratres habens.

Ad auctoritates denique doctorum ſanctorum, ſonantes æqualitatem petri & aliorum apoſtolorum, dicitur uerificari de paritate eorum ſecundum apoſtolatum, fuerunt enim æquales omnes in auctoritate apoſtolica. Et ſi inſtetur ſub poteſtate apoſtolica comprehendi poſſe omnia quę petrus poterat, in prõptu reſponſio eſt ſatisfactiua, quòd dato quòd uera eſſet huiuſmodi comprehenſio, ex ea tamen non ſequeretur omnimoda æqualitas ad petrum, eſſent enim eorum poteſtates æquales quo ad res quas facere poſſent, ſed non eſſent ęquales extenſiue, neq; quo ad modum. Apoſtoli ſiquidem poteſtatem a chriſto acceperunt, ut apoſtoli, hoc eſt, vt legati, petro autem ſupra apoſtola-

tum promissa est(vt infra manifestabitur)potestas,ut ordinario pastori ecclesiæ. Et hinc patet tam superior gradus atque unitas potestatis petri quam maior extensio. quoniam extēdebat, sed ad ipsos etiam apostolos,utpote christi oues. Nec paruifacias differentiam penes modum habendi,magni siquidem lapsus periculum est si confundantur. Aliud quippe est habere claues, ut apostolos,& aliud habere claues,vt caput,& pastorem etiam ipsorum apostolorum. illud non derogat petri singulari excellentiæ,hoc autem ipsum petrum super omnes statuit, omnibusque præficit apostolis ac toti ecclesiæ. Ad horum differentiam modorum spectat, quòd dominus soli petro claues promittit, alijs autem non dat claues,sed ea quæ sunt clauium legat aut tribuit, siue Matth.18.siue Ioan.20. siue Matth. & Mar.vlti. siue Luc.22. ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum. Et vt allatę primum auctoritates manifestentur,patet Cyprian. ita pares fateri apostolos, ut tamen super unum petrum ædificari dicat ecclesiam (ex uerbis domini super hanc petram) & auctoritate sua dominū disposuisse dicat unitatem ecclesiasticā ab uno petro originem habere. Hiero. quoque uerba christi apud Matth tu es petrus &ce. soli petro relinquens, ad alium se transfert locum,vbi similia apostolis data narrantur, tria numerans. Primo fundari ecclesiam super apostolos omnes, hoc enim fieri promulgatum est ad Ephe. 2. superædificati super fundamentum apostolorum,secundum uero quòd scilicet, cuncti apostoli claues regni cœlorum accipiant Matth. 18. quæcunque alligaueritis,& Ioan.20.quorum remiseritis, habetur tertium autem, & ex ęquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur, ex relatis textibus,scilicet Matth. & Mar.vltim. & Luc.22. & Ioan. 20. aut etiam ex alijs similibus textibus sumptum est, unde patet ex iam dictis ęqualitatem apostolorum quatenus apostoli sunt, & in fundando ecclesiam & in clauibus iurisdictionis,& ordinis,& in robore doctrinę,miraculorum & uitę, ecclesię fortitudinem solidantium (qua mHiero. affirmat) nihil officere petri singulari auctoritati qua solus cunctæ præponitur ecclesiæ. Vnde & Hieron. ibi subiungit statim, propterea tamen unus inter.12. eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. Vbi manifeste uides ita ex ęquo apostolatus pares dixisse apostolos, ut tamen petrus electus,& constitutus a christo sit caput omnium, hoc siquidem est quod tuemur. Hoc ad differentiam modi habendi

bendi ſpectat, quoniam hinc haberes omnes hęc habuiſſe ut apoſtolos, præter hunc autem modum petrum ſingulariter habuiſſe vt caput oīum. Ex duabus aũt his auctoritatibus declaratis facile eſſe putamus reliquas recte interpretandas iuxta ſenſum prædictarum. Manifeſtatur aũt hunc eſſe uerum ſenſum doctrinæ ſanctorum tripliciter. Primo ex eo ꝙ pares dicũt apoſtolos. nõ ſolum poteſtate ſed honore, quod niſi ad apoſtolatum referat, conſtat eſſe falſum, cum petrus primatum honoris manifeſte habuerit ſecundum omnes. ſecundo ex textibus euangelicis, quos ſancti afferũt ad probandam hmõi æqualitatem, afferũt.n. iſtos quos nunc diſcuſſimus, ex quibus conſtat non plus haberi quam æqualitatẽ ſecundũ apl'atum. tertio ex rõne qua utuntur: quia.ſ. petrus in perſona eccleſię unus accepit claues &c. vt vnitas eccleſię, hinc probaretur. Vbi pp ſchiſmaticos ſiſte pedẽ, & ſcito dupl'r poſſe intelligi vnitatẽ eccl'æ per petri unitatẽ cõmendatã, primo vt ſignificata ſit eccl'iæ vnitas in chriſto capite uno, vnitateq́; articulorum fidei, ſacramẽtorum eccl'iæ & ſpei ac charitatis, ſecundo ut ſignificata ſit eccleſiæ unitas ſimpl'r, & abſolute vnite in capite uno chriſti in terris uicario, petro. ſ. Primum ſenſum eligũt ſchiſmatici ex ſanctorum vera ac ſancta doctrina, ſæpe unitatẽ eccleſiæ per ea quę in primo numerantur ſenſu explicante, uere quidem, ſed non totaliter, niſi ſub unitate capitis, ſcilicet chriſti intelligatur ipſe chriſtus in ſe & in ſuo in terris uicario, ipſe chriſtus ut caput, petrus autem vt vicecaput. Quod propterea quandoquę tacitum eſt, quia acceptato capite, intelligi conſuetum eſt acceptari ipſum in ſe & in ſuo uicario dum abſens fuerit.

Secundus autem ſenſus (in quo clauditur primus adiuncta unitate capitis in terra) catholicis omnibus cõis eſt, comprobaturq́; quadrupliciter. Primo, quia ad deſignandam unitatem eccleſiæ in ſuo capite cœleſti Ieſu chriſto, non congruit unitas petri, ſed & ſufficiebat & decentiſſime cõgruebat vnitas ipſius chriſti, quam dominus hic non tacuit, ſed expreſſit dicens, ego dico tibi, & rurſus ædifi. eccleſiam, & iterum dabo claues. Diuinam autem ſapientiam (quæ eſt chriſtus) diſponentem omnia ſuauiter, conuenientiſſime per vnitatẽ petri vnitatem eccl'ę in capite terreſtri loco chriſti ſignificare, nullã hẽt difficultatẽ. Secũdo ex eo ꝙ hiſtorię fides periclitaretur, nam quaſi ſimilis eſſe petrus in his paruulo quẽ Matth. uigeſimoquarto aduocãs ad ſe dominus ſta

tuit

tuit in medio discipulorum dicens,nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruulus &c. sicut .n.paruulus illæ assumptus est exemplum seu similitudinem humilitatis, ita petrus nominatus esset ad exemplum seu similitudinē unitatis, ac per hoc sicut ad fidem historiæ curæ nō est quis fuerit paruulus illæ,ita nihil aut parum curandum ecclesiæ esset an fuerit Simon petrus cui dictum est, tibi dabo claues regni cœlorum &c. quod tamen doctorum omnium & totius ecclesiæ aures offendit. Sanctorum propterea sensus est,quòd secundum historiæ fidem res ita gesta est quòd uni Simoni petro claues sunt promissæ,ut res rē significaret ut unus petrus primo accepturus claues unitatem significaret ecclesiæ.

Tertio ex eo quòd oportet saluare nō solum significationem sed etiam deriuationem,hoc est non solum ut unitas ecclesiæ significetur per unitatem petri, sed etiam ut unitas ecclesiæ proficiscatur ab unitate petri,ut Cypria. in auctoritate allata dicit. Loquitur dominus ad petrum,ego dico tibi quia tu es petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam,super unum edificat ecclesiā. Et quàmuis apostolis omnibus post resurectionem suam parem potestatem tribuat,dicens, sicut misit me pater & ego mitto uos,accipite.s. s. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem, auctoritate sua disposuit. Vbi manifeste uides ex hoc quòd dominus auctoritate sua disposuit originem unitatis ecclesiasticę ab uno incipientem, non solam significationem unitatis ab uno, sed deriuationem unitatis ab uno affertam. Nam ad significandum auctoritatem nō erat opus,sed ad hoc quòd initium habeat ecclesiæ unitas ab uno petro,auctoritate Christi opus fuit,poterat.n.si uoluisset instituere unitatem ecclesiæ a multitudine apostolorum proficisci.

Quarto,quia unitas ecclesiæ catholicæ non solum opponitur heresi,sed schismati. Si uero unitas ecclesiæ attenderetur solum penes unitatem cœlestis capitis illiusq; sacramentorum ac rei sperate credite & amate,unitas ecclesiæ non opponeretur schismati, nam cū huiusmodi unitate stat schisma,ut patet ex eo quòd schismatici habētur qui ab unitate apostolicæ sedis separati sunt. Ex hoc igitur quòd unitas ecclesiæ per petrum unum significatur,non excluditur immo magis ex modo quo per petrum significatur, includitur quòd petrus unus claues accepit, ut ecclesiæ unitatem non solum significaret, sed etiam inchoaret ac conseruaret. Et si perspectum acutius fuerit hoc quod est ecclesiæ unita

tem

tem accipere claues, uerius perfectiusq; & fit & significatur accipiendo claues in suo uno capite petro, quàm si non in petro sed absolute ecclesia illas acciperet, quoniam unitas capitis claues accipiens, unitatem ecclesię non solum significat, sed construit, sicut & conseruat, quibus omnibus careret ecclesia si de uno non fuisset illi capite prouisum a Christo domino. Et hinc habes unde innumeras sanctorum auctoritates recte intelligere queas.

SOLVM PETRVM ACCEPISSE CLAVES, CONSOnat ei quod est ecclesiam accepisse claues. cap. 6.

OCCVRRIT post præmissa satisfaciendum his qui quærunt quonam pacto stant hæc duo simul, solus petrus accepit claues, & ecclesia accepit claues. Apparet.n. q̄ si solus petrus, ergo non ecclesia, & si ecclesia, ergo non solus petrus. Augeturq; quæstio ex Aug· uerbis super Io. recitatis. 24. q. 1. quodcunq;. Quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, si hoc petro tantum dictum est, non hoc facit ecclesia, si autem & in ecclesia fit, petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significauit.

HVIC enim quæstioni satisfieri facile potest ab exercitatis in sacris literis, ac sciētibus has duas ueritates sic connexas quòd secunda non solum consentit primæ, sed præsupponit & dependet a prima secundum sanctorum doctrinam, Considerandum siquidem est ecclesiam catholicam dupliciter referri ad petrum. s. ut significatam & ut inchoatam, petrus .n. & significauit ecclesiam uniuersalem, & inchoauit eandem, quemadmodum caput principium est corporis. Inter has autem duas religiones duplex ad propositum est differentia. prima est quòd significatio pertinet ad sensum mysticum, quo petrus significat eccclesiā, inchoatio autem pertinet ad sensum literalem. quo institus est petrus pastor totius ecclesiæ. Secunda est quòd penes significationem non attenditur depedentia rei a re, sed dependentia significationis a significāte, penes inchoationem autem attenditur depēdentia rei a re, hoc est corporis a capite. Vnde ecclesia dupliciter accepit claues in petro, nam & accepit eas ut significata in petro, & accepit eas ut inchoata in petro, & secundū utrunq; accipiendi modum oportet præsupponere hanc priorem ueritatem ad literam, solus petrus accepit claues. Ad significationem siquidem

spectando,

ſpectando,cum ſignificatio iſta non ſit per modum parabolę.ſed per modum rei geſtæ(quia non petrus parabolicus ſeu parabolice accipiens claues,ſed petrus ſecundum rem geſtam ſignificat uniuerſam eccleſiam) oportet fateri unum ſolum petrum ſecundum hiſtoriā accepiſſe claues, ut ex re geſta ſignificaretur unam ſolam eccleſiam catholicam habere claues,iuxta illud Amb. certum eſt quòd eccleſiæ utrumq; ius.ſ. ſoluendi & ligandi licet,hereſis utrūq; non habet.Si.n. ſolus petrus ſecūdum hiſtoriam non accepiſſet claues,nequaquàm per modum rei geſtæ figuram gereret unius at ſolius eccleſię uniuerſalis. Dependet ergo catholicę eccleſiæ ſignificatio figurata in petro ex ueritate rei geſtæ quòd ſolus petrus acceperit claues,& nō cōtrariatur illi. Si ad inchoationem quoq: ſpectetur. nulla eſt opus declaratione, quoniam manifeſtum ualde eſt corpus dependere a capite, & quod conuenit capiti, conuenire quoq; corpori in ſuo capite, & ideo ſolum petrum accepiſſe claues,eſt ſolam eccleſiam cuius petrus eſt caput accepiſſe claues in ſuo capite.Quo circa ſolum petrum accepiſſe claues,non excludit ſed infert uniuerſalem eccleſiam illas accepiſſe,ut ſignificatam & inchoatam in petro. Eſſe autem hanc ſanctorum doctrinam, perſpicere potes ex Cypria. uerbis in præcedenti capitulo declaratis,ubi utrūq; modum .ſ. ſignificationis per modum rei geſtæ, & originis eccleſiæ a petro docuit, dum dixit,ſuper unum edificat eccleſiam. ſubdit,& unitatis eiuſdem originem ab uno incipientem auctoritate ſua diſpoſuit.Et rurſus exordium ab unitate proficiſcitur, ut eccleſia Chriſti una monſtretur,ut prædeclaratum eſt. Aug. autem uerba inducta eundem confirmare ſenſum patet ex duobus. primo ex eo quòd aduerbio tantum utitur ad excludendum extenſionem petri ad eccleſiam,dixit.n. ſi petro tantum perinde acſi dixiſſet ſi petro ſecundum ſeipſum tantum & non ſecundum quòd ſe extendit ad eccleſiam ſignificandā uel figurate uel connotatiue, ut caput ſignificat corpus cuius eſt caput. Vnde non intulit Augu. ex ſecunda ueritate.ſ. eccleſia habet claues, negationem primę.ſ. ſolus petrus accepit claues,ſed expoſitionem ipſius.ſ. quòd petrus accipiēs claues ſignificauit eccleſiam,perinde acſi dixiſſet quòd non accepit ſecundum ſeipſum tantum,ſed ut extenditur ad eccleſiam uniuerſam ſignificando illam,hic.n. planus eſt ſenſus uerborum Aug.Secūdo ex eo quòd ſubiungit. ſi ergo in perſona petri ſignificati ſunt in eccleſia boni & in Iudæ perſona ſignificati

ſunt

sunt mali in ecclesia. Hic enim patet quod de significatione per modum rei gestæ loquitur, nam Iudam inter apostolos significare per modum rei gestę malos in ecclesia, dubium non est. Intendit ergo Aug. Petrū secundū rem gestam accipientem claues, inferre ecclesiam quoque per ipsum significatam accipere claues. Modus autem quo ecclesia per Petrum vsque ad consummationem seculi accipit claues, est suauissimè dispositus a diuina sapiētia, nam vniuersalis ecclesia sicut distribuitur in caput, & mēbra, ita distribuitur in suaui acceptione clauium, ut in capite quidē accipiant per successionem, in membris autem per participationem. In capite namq; habet claues regni cœlorum secundum actus clauibus adęquatos, in membris autē, hoc est partialibus ecclesijs, claues habet secundum actus ordinis, & partialis iurisdictionis.

VNDE patet oppositum esse eius quod apparebat proponēdo quæstionem, cum enim dicimus solus Petrus accepit claues regni cœlorum, socij compares excluduntur, non illius corpus ecclesia, non illius successor excluditur. imo tam ecclesia quàm successor in solo Petro includitur, quia ex hoc, quòd solus Petrus accepit claues regni cœlorum, infertur easdem accepisse ecclesiam inchoatam ac significatam in suo capite, ac propterea eandem semper claues habere in capite quidē per successionem, in membris autem per participationem, ut sic uerè unum sit corpus tota ecclesia sub uno capite. Nec fallaris antiqua schismaticorum inuectione in catholicos tanquam monstra fingentes, dū ecclesiæ caput Petrum dicimus quandoquidem Christus est caput corporis ecclesiæ (ut dicitur ad Colo. 1.) & si Petrus quoq; caput ecclesiæ ponitur, duo capita uni corpori non sine monstro iunguntur. Friuola sunt hæc, quoniam Petrus alia ratione caput ecclesiæ dicitur, ab ea ratione qua Christus est caput ecclesiæ, Christus.n. est caput ratione suiipsius, Petrus autem ratione Christi. Vnde Christus est simpliciter, & absolute caput Petrus autem ideo caput, quia est uice caput, est.n. loco Christi in cœlis residentis, caput in terris. Vnde totius ecclesiastici corporis unum tantum ponitur caput simpliciter, & absolute. i. Christus loco cuius in terris Petrus non aliud caput, sed vicecaput constitutus est. Vnde nulla interuenit monstruositas in ecclesiastico corpore, nisi apud nolentes intelligere ecclesiastica nomina in sensu in quo dicuntur omnibus fere manifesto. Libet autē

intueri hoc in loco omnibus huiusmodi obuiationibus commune esse unum errandi iter, inter omnes siquidem discussas positiones prima ex affirmata iustitie qualitate, negauit substantiæ personam. secunda ex affirmata ecclesia significata, negauit personam Petri significantem. tertia ex affirmata Petri principalitate negauit eius singularitatem. quarta ex affirmato communi pariique apostolatu negauit unitatem pastoralis officij in Petro. quinta ex affirmatis ecclesiæ clauibus, negauit solum Petrum accepisse claues. sexta ex affirmato vnico ecclesiæ capite Christo, negauit Petrum esse caput loco Christi. Et simile inuenies inferius cum ex affirmata charitate Petri pastoris, negabitur persona pastoris sine charitate, & ex affirmato pascendi opere, negabitur pastoris autoritas. Aperiantur itaq; lectorum oculi, & laqueos deprehendant.

PROMISSVM ESSE PETRO TOTIVS ECCLESIAE *pontificatum in antedictis promissionibus.* *Cap. 7.*

QVATVOR promissa esse Petro a domino Matthæus Euãgelista in supra allatis refert uerbis, quorum duo ultima, quodcunque liuaueris, & quodcunq; solueris, cõmunicata quoque a domino alijs apostolis idem testatur, prima uero duo, super hanc petram edificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, propria Petro perseuerarunt. In quibus promitti Petro totius ecclesiæ pontificatum declarandum est, postquã ambæ promissiones amplius dilucidatæ fuerint.

QVOCIRCA in prima promissione notanda sunt sex, significãtius.n. uide primo ecclesiam meam, non ecclesias meas, secundo ecclesiam meam, non aliquam ecclesiam meam, tertio ecclesiam meam, non omnem ecclesiam meam, quarto ecclesiam meam, non indefinite, quinto ecclesiam meam, singulariter seu unicam, sexto ecclesiam meam, sine additione aliqua. Attende sigillatim non dixit ecclesias meas, sed ecclesiam meam, ut una ecclesia significaretur, quæ quãmuis multas comprehendat partiales ecclesias, non propterea scinditur diuiditur, aut multiplicatur ecclesia, sed unitate numerali retenta multas habet partes, sicut vnum corpus multa habet mẽbra, iuxta uerbũ apostoli ad Col. 1. ipse est caput corporis ecclesiæ. & Can. 6. una est columba mea, Dixit non aliquãm ecclesiam meam, sed ecclesiam meam. ut nõ de parte ecclesiæ, nõ de particulari aliqua ecclesia, sed de ĩtegra seu

ſeu tota eccleſia intelligeres. neque enim decebat diuinam ſapiẽtiam aliquam eccleſiam ædificare ſuper vnum petrum, & aliquã non, dei ſiquidem perfecta ſunt opera. Non dixit omnem eccleſiam meam, tum quia multitudinem eccleſiarum ſupponeret diſtributiuum ſignum, cõtra domini ſententiam Io. 10. aliàs oues habeo quæ non ſunt ex ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus paſtor. Tum quia ſingulare diſtribui vniuerſaliter, implicat cõtradictoria, niſi uniuerſalitas referatur ad partes integrantes ipſum, quod eſt extra propoſitum, & inferius nihilominus declarabitur, quomodo partes eccleſiæ ędificatæ ſunt ſuper hanc petram. Dixit eccleſiam meam, non indefinitæ, uagũ relinquendo intellectum ad quærendum quæ eſſet eccleſia chriſti ædificanda ſuper hanc petram, ſicut dubium reliquit intellectum cum in cena dixit, vnus veſtrum me traditurus eſt certificati enim ſumus per hæc uerba quòd unica tota chriſti eccleſia ędificata eſt ſuper hanc petram & non ſumus ſuſpenſi relicti. Dixit ergo eccleſiam meam, ut ſingularem unicam ſolamq; ſuam eccleſiam integram (de qua in ſymbolo dicitur quòd eſt una eccleſia catholica) intelligeres. Vnde per ſolum pronomen meam determinauit illam, ut perciperemus quòd de illa una eccleſia loquitur quę eſt chriſti eccleſia ſine additione aliqua (quælibet nanque partialis eccleſia uocatur chriſti eccleſia cum aliqua additione) puta Romana, Antiochena, Conſtantinopolitana &cet. Et hoc non ſolum ſecundum modernum uſum, ſed ſecundum ſacras ſcripturas, ut patet in principio utriuſque epiſtolæ ad Cor. ubi dicitur eccleſiæ quæ eſt Corinthi, & in principio ad Gala. eccleſijs Galathiæ, & ad Theſſa. eccleſiæ Theſſalonicenſium &cet. Habes igitur quid intelligere debeas per eccleſiam meam, idẽ. ſ. quod intelligis per unam eccleſiam catholicam.

Non deſunt tamen ſophiſticæ importunitates, ex eo ꝙ quælibet particularis eccleſia ueræ eſt chriſti eccleſia, arguentes. De illa eccleſia chriſtus loquitur, de qua uerificatur quòd eſt eccleſia mea. i. chriſti, ſed de qualibet particulari eccleſia uerificatur, quòd eſt eccleſia mea, ergo de qualibet particulari eccleſia chriſtus loquitur, cum dixit ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Poteſt ſiquidem facile detegi fallacia argumẽti, ad rem ſpectando, & dicendo quòd quęlibet particularis eccleſia eſt quidem eccleſia chriſti, ſed non tota, nec ſine additione aliqua, ſed talis, puta Mediolan. nęc ita eſt eccleſia quin ſit pars eccleſiæ,

Ro.ecclesiam ædificatam esse a christo super hanc petram, uerificari non per proprietatem, sed per appropriationem. Quod ex conuenientia & differentia inter ecclesia Ro. & aliás manifestatur, commune siquidem est cuilibet particulari ecclesiæ esse partem. Et hinc fit quód non per proprietatem verificatur de quacunque particulari ecclesia, sed tantummodo de ecclesia catholica, quód est ędificata super hanc petram, de ipsa enim sola ad literam loquitur christus, dicens super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, in qua tamē omnes partiales christi ecclesiæ clauduntur ut partes in toto. Differt autem Rom. ecclesia ab alijs partialibus ecclesijs propinquitate ad caput ecclesiæ catholicæ, nam ecclesia Rom. in suo proprio capite non solum proxima, sed eadem facta est cum capite ecclesiæ catholicæ, ex facto enim petri unus atque idem factus est pontifex Rom. & pontifex ecclesię catholicę, secundum seipsam uero immediate heret pontifici ecclesiæ catholicæ. Alia autem quecunque partialis ecclesia, nec secundum seipsam immediate iungitur pastori ecclesiæ catholicę, nec secundum suum caput coincidit cum capite ecclesiæ catholicæ. Ob hanc igitur proximitatem, & coniunctionem ecclesiæ Ro. ad pastorem ecclesiæ catholicæ, appropriantur uerba christi ad Rom. ecclesiam potiusquam ad alias, non quód illi sint propria, sed ecclesiæ catholicæ, ut dictum est. Promisit igitur dominus petro hac prima promissione, super hanc petram edificabo ecclesiam meam, futurum ipsum fundamentum ecclesiæ catholicę.

PER SECVNDAM autem promissionem (tibi dabo claues regni cœlorum) plenitudinem potestatis ecclesiastice eidem promisit quod tripliciter manifestatur. Primo ex ipsa re significata per claues regni cœlorum, potestate scilicet aperiendi & claudendi cœlorum regnum, non his uel illis, sed absolute, ut comprehendantur omnes uiatores, quibus claudi, uel aperiri regnum cœlorum potest. Huiusmodi siquidem potestas, quadruplex potestatis generis sub se comprehendit. hoc est iudiciariam tam in foro pœnitentię quam in foro ecclesiæ, quoniam omnis ecclesiasticus iudex utriusque fori, soluendo, uel ligando aperit, uel claudit regnum cœlorum illi qui soluitur uel ligatur. Potestatem quoque gubernatiuam ecclesiæ catholicæ, nam prouidendo, gubernando, instituendo, disponendo &cete. eiusmodi faciendo, nihil aliud fit quam aperitur

uel

uel clauditur regnum cœlorum. Poteſtatem etiam ad purgatorium extenſam comprahendit. ubi nota quòd licet Christus non dederit petro iudiciariam poteſtatem ſuper purgatorium, dedit tamen illi claues regni cœlorum, aperiendi etiam uel claudendi his qui ſunt in purgatorio. Et propterea de poteſtate iudiciaria loquens apposuit locum .ſ. ſuper terram dicens. quodcunq; ſolueris ſuper terram & quodcunq; ligaueris ſuper terram, eximens per hoc eos qui ſuper terram amplius nō ſunt, a iudiciali poteſtate petri. Loquens autem de clauibus regni cœlorum, nullum exemit uiatorem cui per eccleſiam poteſt aperiri uel claudi regnum cœlorum, ſed abſolute & illimitate dixit, tibi dabo claues regni cœlorum, ut poſſet petrus cuicũq; uiatori regnum cœlorum aperire poſitiuæ, claudere uero ſaltem negatiue.

Hæc autem dicentes nequaquàm Aug. ſacroſq; canones poteſtatem petri ad excommunicandum etiam defunctos tuentes oppugnamus, immo hinc quod diximus confirmamus. Nam eccleſiaſtica cenſura in defunctos quatenus ſoluit aut ligat ad id reſpicit quod ſuper terram eſt, hoc eſt uiuos, qui ligantur ne communicent aut ſoluuntur ut communicent defuncto, quatenus uero aperit aut claudit regnum cœlorum, ad defunctorum animas reſpicit. quibus uere hinc aperitur aut clauditur regnum cœlorum. Terminatur ergo iudiciaria poteſtas ſuper terram, claues autem regni cœlorum ad omnes uiatores ſe extendunt. Poteſtatem demum imperatiuam uniuerſis ad eccleſiam quomodolibet ſpectantibus, in ordine tamen ad regnum cœlorum, exigit ſiquidem recta ratio ut poteſtas quæ ſupræmum ſortita eſt finem, reliquis omnibus imperet in ordine ad ſupræmum finem, ut facile manifeſtatur inducendo tam in artibus quàm in rectoribus ducibus & principibus. quilibet nēpe artifex, rector, dux, princeps, ad ſuum finē, ac per hoc illis quatenus ad ſuum diriguntur finem, princepsſuperiorem ſortitus finē, ordinata alios artifices, rectores, duces præcipit. Cōſtat aũt regnũ cœlorũ ſupræmũ eſſe finem poteſtatiq; clauium petro promiſſarum reſpondere, reliqua uero omnia temporalia ad hunc finem quandoq; oportere diſponi. Sub hac igitur petri poteſtate comprahenditur poſſe imparare regnis & principibus omnibus in ordine ad regnũ cœlorum, nec .n. huiuſmodi imperium aliud eſt quàm aperire & claudere regnum cœlorum, ut de ſe patet. Ex re igitur promiſſa per claues regni cœlorũ, patet primo quòd plenitudo poteſtatis eccleſiaſti

cę petro promissa est a Christo dicēte,tibi dabo claues regni cœlorū. Declaratur deinde idē ex modo loquēdi sacræ scripturæ. Esa. quidem.22. de Eliachim summi sacerdotis plena potestate dicitur,& dabo clauem domus dauid super humerum eius,& aperiet & non erit qui claudat,& claudet & non erit qui aperiat. In nouo quoq; testamento Apoc.3. de christi potestate dicitur,qui habet clauem dauid,aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Nec obstat si obijciatur in textu euangelij nō haberi quòd si petrus aperiat nemo claudit,& si claudat nemo aperit,quia & si non habentur hæc uerba,habetur tamen idem sensus. Ex eo siquidem quòd de minoribus actibus clauium in euangelio habetur, quodcunq; ligaueris super terram erit ligatū & in cœlis,& quodcunq; solueris super terram erit solutum, & in cœlis, manifeste habetur quòd ita petrus ligat ꝙ nemo soluit, & ita soluit quòd nemo ligat. quod .n. in terra ligatum in cœlo quoq; ligatum est, constat ita esse ligatum quòd nemo soluit, & similiter quod in terra solutum in cœlis quoq; solutum est,constat ita esse solutum quòd nemo ligat. Ex hoc autem sufficienter habetur quòd ita petrus aperit regnum cœlorum quod nemo claudit, & ita claudit quod nemo aperit,æquum est .n. ut non minus, sed potiori modo possint claues petri adequatos sibi actus quàm actus minores exercere. Et aduerte quòd uerba illa Esa .22. dicta sunt de Eliachim in persona Christi,ut glo. ibi dicit. In cuius signum Io. euangelista eadem repetit de Christo, tanquàm monstrans illum esse in Eliachim significatum, & ipsemet Esa .9. ca. de Chtisto scripserat,& factus est principatus super humerum eius,ut ostendatur clauis super humerum eius principatus super humerū eius, ac per hoc undiq; percipiamus per claues regni cœlorum plenitudinem potestatis significatam. Accedit autem ad hoc testimonium a cōsuetudine,in signum.n. summe potestatis claues regni regi offerūtur. Quo circa iungendo ambas promissiones cum ex prima petrus futurus sit fundamentum ecclesiæ catholicæ(ubi in petro officium sustinendi ecclesiam catholicam in fidei soliditate statuitur,& pariter ecclesiæ catholicæ necessitas inherendi petro ut fundamento imponitur,edificationis .n. ratio exposcit,ut edificatum necesitatem habeant inherendi petræ super quam fundatum est) ex altera uero petro ecclesię potestatis plenitudo pollicita sit manifeste liquęt promissum huiusmodi uerbis petro ecclesiæ catholicæ pontificatum esse, hæc .n. duo præcipua esse in

totius

totius Christianæ ecclesiæ pontifice constat. Ex Matthei euangelistæ igitur uerbis tu es petrus &c. collatis cum alijs euangelijs ac discussis, manifestatum credimus soli petro pontificatum ecclesiæ catholicæ esse promissum a Christo.

PERSONAE PETRI QVAMVIS CHARITATE QVALIFICATE DICTUM ESSE PASCE OUES MEAS. cap. 8.

EXPEDITO tractatu de promissionibus soli petro factis a domino apud Matth. tractanda occurrit commissio quam saluator petro fecit apud Ioannem, cum toties ei dixit pasce oues meas. Vbi sicut in antedictis, quatuor dilucidenda occurrunt, hoc est quòd personæ petri, quòd soli dicta hæc intelliguntur ita quòd nusquàm alias cæteris similia dicta sunt, quòd tota ecclesia pascenda commissa est petro, & quòd per hec pontificatus ecclesiæ catholicæ datus est petro.

Quoniam autem soluere nescit qui nodum ignorat, quæ rem dubiam reddere possunt, in horum singulis afferenda sunt. Ex duobus in primis apparet quòd non personę, sed qualificatę personæ dictum est pasce oues meas. Primo excognominatione petri, dum appellatus est Simon Ioãnis, hoc est obediens gratiæ, neq; .n. frustra (ut beda hæc dicit) sic eum dominus appellauit, sed ad hoc mysterium insinuandũ. Deinde ex trina interrogatione diligis me? ubi manifeste amanti dixit pasce oues meas. Ex his .n. apparet quòd non personę, sed personę qualificatæ obedientia diuinę gratiæ & amore ipsius Christi dictum est pasce oues meas.

Hoc in loco obseruandum est ne in extremos declinemus errores, sed media incedamus uia, cum .n. de qualificate personæ officio agitur, quatuor occurrunt .s. persona, qualitas eius, usus officij & rectitudo eius. Quæ omnia licet diuersa sint, heretici tamen nolentes discernere inter potestatis usum & rectitudinem usus, totum qualitati tribuunt, malos Christi ministros cognoscere refutantes, quia qualificati Christi charitate non sunt, tanquàm potestas & rectus potestatis usus idem sint, uel saltem utrumq; qualitati hoc est charitati commissum sit, unde latius aberrantes cuilibet iusto ecclesiasticam arrogant potestatem. Stulti aũt (quorũ infinitus est numerus) rectitudinẽ usus paruipendẽtes, si personæ ecclesiasticã tribuũt ptãtẽ quicqd sit de charita

tis

tis qualitate, fecisse putant satis. Recta uero ac chatolica ratio mediam amplectitur uiam personæ qualificatæ datã,& dari debere ecclesiasticam potestatem censens, ea tamen ratione ut personæ potestas seu potestatis vsus qualitati uero rectitudo usus respondeat. Sic enim vterq; uitatur error, dum sapienter qualificatę personæ committitur vt rectè utatur ecclesiastico ministerio, & si contingit malos esse ministros ecclesia ambiguitati, aut fallacie periculo non subsit, sed per malos etiam bona suscipiat. Et si sapiens quicunq; qualificatæ debet personæ committere rectum vsum officij, hoc maxime decuit sapientiam incarnatam. & propterea tertio a Petro exigit qualitatem charitatis, cõmittendo ei actum optimum, ita quòd exacta charitas bonitatem actus respicit, & ipsa rectitudo seu bonitas actus charitati tribuitur, ut omnes communiter doctor. sonant. Patet autem actum optimum a saluatore Petro committi dicendo pasce oues meas, ex singulis trium dictionum, pascere. n. est conferre nutrimentum, quo oues nutriuntur, augentur, multiplicantur, & uiuunt. Oues dixit non hedos, non boues, non lupos, & id genus homines, luxuriosos, superbos, rapaces, inuidos, maledicos, &c. Meas addidit, ut proprio amore subtracto, amor christi rõ pascendi oues significata explicetur. Ex quibus tribus simul iunctis perspicuum fit, quòd actum optimum cõmittebat Petro dicens pasce oues meas, & quia (ut dictum est) actus optimus nõ potest nisi a charitate Christi prodire, ideo personæ qualificate charitate a domino commissus est. Ex hoc autem non sequitur (ut heretici fingunt) quòd qualitati commissum est pastorale officiũ, sed charitati quidem commissa intelligitur bonitas seu rectitudo usus offiicij pastoralis, ipse autem usus personæ commissus intelligitur. Vnde & dominus hoc in loco ter exacta charitate non dixit, charitas tua pascat oues meas, sed personam ter alloquitur dicens, pasce tu agnos seu oues meas. Et sicut apud Matth. persona Petri descripta est nomine proprio, & nomine proprio patris carnalis quoad corpus, & internæ reuelationis gratia quo ad animam, ut ex his singulariter Petro conuenientibus personam eius intelligeremus, ita quoque hoc in loco non semel, sed ter eodẽ nomine proprio, & patris carnalis persona Petri secundum carnem describitur Simon Ioannis seu Ione (ut correctiores codices habent) & secundum animam ex propria humiliatione qua cor Christi scientiæ submittit, ter

repetens Domine scis, quia amo te: & ex propria contristatione, contristatus est Petrus, &c. ut ex his sibi proprijs Petri personam aperte intelligeremus esse illam cui Christus dixit pasce oues meas, ac proinde non dono charitatis, sed personæ cōmissum officium pastorale perciperemus ex exacta autem charitate intelligeremus charitati committi rectitudinē usus officii pastoralis, nemo.n. charitate potest officio pastorali rectè uti. Et hoc secundum literalem euangelij sensum sunt, ad mysticum uero sensum (unde efficax non potest argumentum trahi) spectat quòd Simon Ioannis interpretatur obediens gratiæ. Vnde patet quòd Christus nō qualitati, sed personæ Petri qualificate charitate dixit, pasce oues meas, ac proinde si decidisset Petrus a charitate, non amisisse pastorale officium, sed rectum usum illius, quoniam a charitate pendet non officium, sed rectitudo usus, ut planum est apud quemlibet catholicum doctorem, & solos habet hæreticos contradictores.

SOLI PETRO ITA QVOD NON ALIIS APOSTOLIS dictum esse, pasce oues meas. Cap. 9

QVOD autem soli Petro dictum sit a Christo pasce oues meas, textus ipse clare manifestat, tum ex nomine proprio suo, & patris carnalis tertio repetito. tum ex comparatione apposita ad alios, diligis me plus his? comparatiuum enim diuersitatem mōstrat ipsius ad alios apostolos præsentes quibus comparatur, tum ex propria Petri passione, qua contristatus describitur ex tertia interrogatione memor negationis Christi prædictæ sibi olim ipso parato mori, ita ut locus dubitationi nō relinquatur. Et quoniam hæc fuerunt Petro data resurrectionē domini, alijs apostolis, nec antea, nec postea inuenitur simile quid dictum, restat ut omnino soli Petro dictum sit pasce oues meas. Nec obstat quòd ecclesia apostolos omnes uocat pastores dominici gregis in præfatione (quos operis tui uicarios eidem contulisti præesse pastores.) quando hoc ad apostolatū manifeste refertur, & propterea eo modo dicuntur pastores dominici gregis, quo ad apostolatum spectat pastoralis cura: ut autem apostoli nomen testatur, pastorale exercitium ad apostolos spectat ut ad legatos Christi, & sic hoc est ut legati Christi dicun-

dicuntur pastores dominici gregis, Petrus autem (ut ex supradictis & dicendis patebit) constitutus est ut ordinarius pastor etiam ipsorum apostolorum, & hoc significant Christi uerba, pasce oues meas.

PETRO SOLI UNIVERSAM COMMITTI ECCLESIAM, per hæc uerba christi pasce oues meas. Cap. 10.

VNIVERSAM autem committi ecclesiam petro per hæc uerba pasce oues meas, sophistice in dubium uertitur ex sex. Primo, quia non dicitur pasce oues meas omnes, si n. tota ecclesia comprahensa esset, dici debuisset omnes oues meas, sicut dictum est docete omnes gentes Matth. ult. Secundo, quia nihil imposibile commissum est a Christo, uniuersam autem per orbem ecclesiam pasci ab uno est imposibile. Et si dicatur quòd unus per alios posset, pasce totum orbem. Contra, quia dominus dixit pasce, & non dixit fac pascere oues meas, hoc.n. etiam ethnicus posset facere committere.s. alijs ut pascerent oues Christi. Tertio, quia peccasset petrus si non omnes solus pauisset, si omnes soli commisse sunt. Quarto, quia petrus nullum apostolum misit, & quilibet apostolus ordinauit episcopos absque petri auctoritate. Quinto, quia confitemur apostolos in diuersas mundi partes tanquàm suas portiones distributos.

Sexto, quia petrus circuncisionis tantum oues sortitus est, ut patet ad Gal. 2. Vbi dicit paulus cum uidissent quòd creditum est mihi euangelium præputij, sicut & petro circuncisionis, qui n. operatus est petro in apostolatũ circunsionis operatus est mihi inter gentes.

QVOD manifeste autem exorbitent hæc a uero euangelij sensu, non est difficile aperire. Dicendo siquidem pasce oues meas, oportet aut omnes, aut istas, aut nullas, uel uage oues committi pascendas. Et quidem quòd non has uel illas determinate commiserit, uerba ipsa testantur, quòd uero nullas, ueritati aduersatur, quòd uagè reliquerit & christi sapientiæ derogat & ueritati pronominis adiũcti cõtrariatur. sapientis.n. gubernatoris & potentis definite prouidere, non est uagã relinquære prouisionem suam. Et constat quòd ex hoc ipso quòd solo pronomine meas demonstrat oues, non uage seu indefinite loquitur, sed ex hoc ip-

so quòd nullas suas eximit, omnes suas comprehendit dicendo pasce oues meas. Et obserua peruersitatem exponendi, quando apud Matth. dicitur super hanc petram edificabo ecclesiã meam, de omni ecclesia Christi intelligendum putant, ne unam solam ecclesiam super petram edificatam fateantur, quãdo uero apud Ioannem petro dicitur pasce oues meas, indefinite exponunt; ne oues Christi sub uno pastore comprehendant. Ibi rem singularem unam .s. ecclesiam catholicam, contra omnem rationem distribuunt uniuersaliter, hic res diuersas, multas .s. oues distribuere uniuersaliter recusant, ut hinc uideas falsos esse eorum sensus, falsum .n. etiam a seipso dissonat. Et per oppositum quia uero omnia consonant, ecclesiasticus sensus sicut habet quòd ibi ita unica intelligitur ecclesia catholica, ut comprehendãtur omnes Christi particulares ecclesiæ in ea tanquàm partes in toto, ita hic oues Christi ita intelliguntur explicate per pronomen meas, ut nulla relinquatur quæ sub pronomine meas comprehenditur.

Et propterea non oportuit apponere omnes, quia quæcunq; oues ad quas extenditur pronomen meas, comprehenduntur cum dicitur pasce oues meas, sicut Io. x. omnes comprehensæ sunt Christi oues cum dixit dominus, animam meam pono pro ouibus meis, & rursus oues meæ uocem meam audiunt &c. Vnde li meas uniuersalis signi supplere effectum altiori ratione necessario appositum patet, & propterea non esse simile iudicium de hoc tex. & illo, docete omnes gentes. ibi .n. tam suas quàm non suas per electionem gentes docendas mandauit, hic uero oues suas pascendas commisit sufficienter, per li meas comprehendens omnes, ut ratione & testimonio scripturæ monstratum est clarissime constare ex eodem euangelista.

Et hinc confirmatur sensus catholicus, quoniam quod ibi christus promisit, hic exhibuit, & propterea quia ibi totam ecclesiam promisit, hec omnes oues commisit. Et confirmatur rursus ex uerbis domini Io .x. alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ouile & unus pastor, si .n. ex ouibus omnibus ouile unum constare debet sub uno pastore, consequens est ut cum unus pastor instituitur & dicitur pasce oues meas, illius unius ouilis cura committatur. Dubitandum .n. forte fuisset si plura haberet Christus ouilia, de quibus suis ouibus loqueretur. cum autem unum tantum ouile se habere testetur, dubitari non potest quas suas oues committat, nisi

quis adeo decipiat ut de parte tantum ouilis curam committat. Et confirmatur rursus hæc sensus ex sanctorum expositione, quorum auctoritates latius inferius afferentur. Vnde Theophilus hic dicit. finito prandio commissionem ouium mundi petro commendat, non alij. Ad secundam uero obiectionem dicitur, quòd non est impossibile, sed necessarium atq; utile omnes christi oues pasci ab uno ut catholicæ ecclesiæ capite. In hoc autem pascendi modo.s. ut a capite catholicæ ecclesiæ, clauditur quòd christi oues diuersis coadiuuātibus membris pascuntur a capite, sicut totum corpus a capite regitur coadiuuantibus alijs membris. Vnde non est dicendum ꝙ petrus pasc. i. facit pascere, sed quòd ipse ut caput per alia cōmembra coadiuuantia pascit omnes christi oues. quod nō posse per principem laicum aut quemcunq; alium qui non est caput ecclesiæ fieri constat. Tantoq; possibilius est a petro pasci omnes christi oues, quanto petrus uicarius est christi uiuentis, regnantis & assistentis ad dirigendum, inspirandum atq; adiuuandum.

Vnde patet solucio tertiæ obiectionis, commissum est.n. petro soli non ut solus omni modo, sed ut solus tanquàm caput catholicæ ecclesiæ pascat, omnes christi oues. & propterea non peccat si per commembra adiuuatur ad pascendum christi oues, sed peccaret si comcaput ecclesiæ catholicæ sustineret.

Ad quartam dicitur, petrum nullum misisse apostolum, quia preuentus est a Christo domino, qui misit apostolos Ioan. 20. sicut misit me pater & ego mitto uos. Et propterea poterant auctoritate aplicatus episcopatos ordinare absq; habita a petro facultate. Ad quintam dicitur, quòd distributio apostolorum ad apostolatus executionē spectat, & nihil penitus obstat pastorali officio petri, sicut in nullo eius autoritas imminuita est ex hoc quòd christus apostolos misit, hoc.n. ad legationem illud uero ad executionem pertinet.

Et per hoc etiam soluitur sexta obiectio, nam quantum ad executionem apostolatus paulus loquitur, ut ipsa uerba clare testantur. qui operatus est in apostolatum. Cum his.n. diuersis executionibus euidenter stat unitas pastoralis, cure apud petrum.

Petro

PETRO PER HAEC VERBA PASCE OVES *meas, commissum a Christo Pontificatum totius ecclesiae esse. cap. II.*

ECCLESIAE totius pontificatum petro per hæc uerba collatum inficiantur aliqui. Primo, quia pascere non significat principari aut esse primum. Secundo, quia verbum christi est uel exhortatoriū uel præceptorium ad pascendū, non ad subijciendum oues. Et si dicatur, pascere non potest nisi superior, quid ad me? quęre locum ubi uerba sunt conferentia petro potestatem super ecclesiam, hic enim solummodo pascere committitur.

VERUM difficile non est pontificatum monstrare sub his verbis datum. Pascere siquidē christi oues, actus est auctoritatis in pascente, utilitatis in ouibus, finis in christo. Eo nanque quòd christus suos, ut oues pascendas petro commisit, meridiana luce clarius patet, quòd ipsum præfecit alijs, ut pastorem ouibus.

NON oportet ergo alium quærere locum ubi petro potestas data est super ecclesiam, quoniam hic locus eam attestatur datam, nisi quis usque adeo decipiat, ut petro dictū putet pasce oues meas non officio pastoris, sed officio mercenarij. Quæ etiam insipientia confutatur ex trina, ex actione charitatis christi a petro, cui enim amore christi pascende oues committuntur, procul abest amor mercenarius. Vnde etsi pascere non significat principari, significat tamen actum ecclesiastici principis. & rursus si non significat principari, præsupponit tamen principatum quia præsupponit pastorem. Vnde & bene respondebatur, quòd pascere non potest nisi superior. Et cum dicitur quid ad me? respondetur multum profecto ex ipsa ratione connexorū, habent enim hoc, vt altero collato reliquum tributum intelligatur. Quo fit, ut si pascere non potest nisi superior, cui datum est pascere, datum quoque est esse superiorem, unde ex hoc etiā capite liquet quòd non est alius quærendus locus scripturę, ubi petrus factus est super ecclesiam, quoniam hic clare habetur.

Affirmamus autem christi uerbum preceptorium esse, nam si apostolo Paulo ve est si non euangelizauerit, multo magis Petro ve est si non pauerit oues christi. Sed non pręceptorium solummodo est christi verbum, sed institutorium, nam si in condi-

tione

tione primæ partis uniuersi uerbum dei instituit creaturas precipuas,& simul proprium earum opus præcepit (iuxta illud, statuit ea in æternum,& in seculum seculi,preceptum posuit & non preteribit) par est vt in creatione christianæ ecclesiæ primum eius membrum eodem uerbo perfecerit, precipiendo summum pontificatus opus & instituendo ipsum pontificatum. Eo uero ipso quo petro ut pascat christi oues committitur, christianus populus,ut oues iubetur se habere ad petrum,frustra enim committerentur,ut oues pascendę a petro,nisi ut oues exhiberentur eidem a communi domino. Vnde necessitas non solum pastus, sed subiectionis in uerbis domini significatur cum dicitur pasce oues meas. Attestante et hoc Aug. hic exponente pascere, nō solum docere, sed regere, dum dicit oues ipsas pascendas,hoc est docendas regendasque committit. & Chryso. pasce oues meas, fratrum curam suscipe,& glo. ex alchui. pascere oues est credentes in christo ne a fide deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est subditis prouidere, & exempla uirtutis cū uerbo prędicationis impendere,aduersarijs obsistere,errātes subditos corrigere. Quocirca etsi pascere non significat principari, significat tamen christi oues regere, in quo clauditur principari. etsi non significat principari, trahit tamen secum principari, sicut trahit secum requirere,reducere,alligare,consolidare, custodire & sanare,quorū meminit dominus Ezec. 34. unde & petrus princeps apostolorum & princeps super plebem christi constitutus dicitur,& iuxta Greg. uerba ad mauri. cura ei totius ecclesię, & principatus committitur.

Et si quæratur quare dominus commisit pontificatum petro nō sub uocabulo prælationis seu auctoritatis, uel dignitatis, sed actus pascendi suas oues? In promptu ratio est, & ex parte rei, quia prelatio seu auctoritas est propter pascere oues christi, & non econtra. Et ex parte appetitus regulandi,quia non locus superior,non dignitas,aut auctoritas ambienda est,sed pastus ouium christi appetendus in pontificatu, iuxta quod apostolus postea dixit,qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat. Et ex parte scripturæ adimplendæ,dixerat enim ante passionē Luc. 22. reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent in eos benefici uocantur, uos autem non sic, sed qui maior est in uobis fiat sicut minor. Hinc enim a ministeriali actu pascendi christi oues significauit pontificatum tacitum, tanquam

annexum

annexum quid & non ęstimandum nisi propter utilitatem ouiũ christi, cuius oppositum cõtingit in regibus & dominis gentiũ, qui ad hoc ut regnent & domini sint omnia ordinant.

Porro commissum inter actus pontificios opus præcipuum, petri monstrat pontificatum, pascere siquidem electos præcipuus estpontificis actus. Nam sicut ad supremam diuinæ prouidentiæ partem spectat cura electorum (ad quorum felicitatem, non solum cœli motum ordinauit, testante Io. in Apoc. ca. 6. dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus donec impleatur numerus conseruorum eorum, sed etiam ipsemet descendit de cœlis, & homo factus, crucifixus, mortuus, sepultus &cet. omnia sustinuit propter electos) ita ad summam ecclesiasticã curam, quã pontificatum uocamus, spectare oportet pascere electos. Constat autem solos electos significari cum dicitur pasce oues meas, testante hoc ipso domino Ioan. 10. dicente. oues meę uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam eternam do eis, & non peribunt in ęternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

Nec propterea Petri Pontificatus quasi ad solos electos se extendat, restrictus est, sed subordinatus electorum pastui hinc est omnis circa alios Pontificatus actus. Sicut enim secundum uniuersi ordinem unicus cœli motus propter implendum numerum est electorum, & idem tamen etiam ad propagandos non electos se extendit, & secundum ordinem gratię summæ bonus pastor christus animam suam posuit pro ouibus suis, hoc est electis, & tamen eadem mors pro totius mundi uita fuit, ita in sacris mysterijs summus Pontificatus propter pascendos est electos, & idem non electos comprehendit. Nec immerito, quoniam eiusdem est cura finis & dispositio eorum quæ sunt ad finem, uita autem electorum finis est gubernationis aliorum. Oĩa inquit apostolus. 2. ad Thi. 2. sustineo propter electos, & ad Ro. 8. omnia electis donata testatur, & super omnia bona domini cõstituendi affirmantur electi Matth. 23. Nec silentio inuocatos propterea dixerim pręscitos, quoniam sub agnorum noĩe comprehendi aliquos præscitorum nõ inconuenit, sunt. n. christiani multi imperfecti semper discẽtes, & nunquã ad perfectionem ouis peruenientes, quos dominus pascendos simul cum ouibus, hoc est electis commisit petro. Vnde bis commisit agnos, & tertio oues, non solum quia imperfecti maiore egẽt cura, sed ut

ipso

ipso numero diuersitatem insinuaret agnorum suorum, hoc est Christianorum communem uitam ducentium, dum alij reprobi, alij electi sunt. oues autem semel, & vltimo committuntur, quia omnes Christi oues inter electos sunt, & crescens oratio ad summum terminatur. Et cum omnes pastorali petri curæ committantur, soli agni, & oues pascendæ cõmittuntur, Lupi siquidem Leones, & Vrsi cõmissi intelligũtur cauendi fugãdi, aut exterminandi. Vnde nullus a petri põtificatu exemptus relinquitur, etiam si solum fuisset illi commissum pasce oues meas, propter quas fiunt omnia, utpote quibus omnia cooperantur in bonum, ut apostolus ad Roma. 8. testatur. Fit autem rursum huius excellentia commissi operis manifestior, discurrendo per pastoralia pontificiaq; opera, nam sex illos actus pastorales Ezech. 34. pósitos (.s. requirere quod perierat, reducere quod abiectũ erat, alligare quòd confractum fuerat, consolidare quod erat infirmum, sanare quod erat ęgrotum, custodire quod pingue, & forte) ad pastum ouium ordinari testatur dominus, arguens de his pastores dicens. ve pastoribus Israel qui pascebant semet ipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, &c. Vbi rationem omissionis manifeste reddit ex eo quòd nõ oues, sed semetipsos pastores mali pascũt, tanquam omnium horum operum ratio sit vacare ad pascendũ ipsas oues. Actus quoque iudiciales qui in ecclesia fiunt tam in foro penitentiæ, quàm in foro contentioso, ad pascendas Christi oues ordinari non est dubium. Aperire demum, & claudere regnum cœlorum ad pastum ouium sic spectant, quòd aperire regnum cœlorum est pascere oues Christi, claudere autem illud ad pastum earundem ordinatur, quandoquidem ad bonum refertur electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Constat igitur si colligantur cuncta significata per hanc promissionẽ pasce oues meas, commissum Petro esse totius ecclesiæ pontificatum. Nec ut noua hæc cudimus, sed a patribus, quæ didicimus proferimus, eorundem attestatione Petri pontificatum firmantes, ut in ultimo patebit capitulo.

PETRVM HABERE EX CHRISTI INSTITVTIONE *successorem in pontificatu ecclesiæ catholicæ. Cap. 12.*

FIRMATO Petri pontificatu ecclesiæ catholicæ, oportet de successore eius tractare. Et ut intelligatur manifeste dif-

ferentia inter catholicos, & schismaticos, prænotandum est in quo conuenimus, & in quo dissentimus. cõcorditer siquidem fatemur Petrum apostolorum principem, &c. fuisse Ro. pontificem, sicut Iacobus apostolus fuit pontifex Hierosolimitanus, & propterea quemlibet Rom. episcopum successorem esse Petri in pontificatu Ro. ecclesiæ, sicut quilibet Hierosolymitanus episcopus successor est Iacobi in pontificatu Hierosolymitanæ ecclesiæ. Concorditer quoque affirmamus Hierosolymitanũ episcopum non succedere Iacobo nisi in Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopatu, non.n. succedit Iacobo in auctoritate apostolatus. Sed statim dissentimus, cum inferre conantur Rom. Pontificem non succedere Petro nisi in episcopatu Roma.. eccles. fatemur, enim catholici Roman. Pontificem succedere Petro non solum in episcopatu Roma. ecclesi. sed etiam in Pontificatu ecclesię catholicæ. Vbi si perspicaciter scrutari fuerimus, uidebimus duo superesse tractanda, an. s. Petrus habeat diuino iure successorem in pontificatu ecclesiæ catholicæ, & an huiusmodi successor sit Roman. Pontifex. Schismatici enim negant Roman. Pontificẽ episcopum esse ecclesiæ catholicæ, & prænegant oportere institutione diuina aliquem unum succedere Petro in regimine totius ecclesiæ, & ante omnia negant Petrum institutum a Christo Pontificem ecclesiæ catholicæ. Cum autem iam declarauerimus huiusmodi Petri Pontificatum, superest ut primo an habeat aliquem successorem, & demum an ille sit Roma. Pontifex tractemus.

Et iuxta præfixum modum afferenda censui argumenta, quibus contra unicum Petri successorem in Pontificatu ecclesiæ catholicæ insurgitur. Arguitur ergo primo ex coniunctis. Si hæc uerba Christi ad Petrum, tibi dabo claues regni cœlorum Matth. 16. & pasce oues meas Ioan. ultim. extenduntur ad successorem, par est ut uerba antetia concomitantia, & subsequẽtia dicta Petro a Christo, intelligantur quoque dicta non soli Petro, sed successori, sed hoc constat esse falsum, ut patet sigillatim discurrendo. Nam apud Matth. dominus præmittit tu es Petrus, & post subiungit reprehendendo Petrum, uade post me Sathana, quia non sapis, quæ Dei sunt. similiter apud Ioann. præmittitur, diligis me plus his? & similia concomitanter interponuntur cum Petri responsionibus, & postea subiungitur, cum esses iunior cingebas te, & cætera. nihil autem

horum

horum spectat ad successorem secundum literalem sensum, ergo nec illa uerba, tibi dabo & pasce oues meas, sunt ad literam dicta petro & successori, sed sicut reliqua mysticæ applicantur ad successores, ita & hæc. Secundo ex similibus. Verba christi Luc. uigesimsecundo, ego rogaui pro te &c. non sunt ad literam dicta petro, & successori, ergo nec ista, tibi dabo claues, & pasce oues meas &c. sunt dicta Petro pro se, & successore. Consequentia tenet a simili, præsertim cum iste tex. a sacris doctoribus affe ratur pro soliditate succcessionis Petri in fide. Antecedens uero manifestatur ex eo quòd ibi dicitur, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. si enim de quolibet successore hęc dicta sint, oporteret successorem quemlibet auersum quandoque esse uel fuisse, ut de ipso possit uerificari, & tu aliquando conuersus, sicut petrus auersus fuit negando christum cum periurio, & postea conuersus confirmauit fratres suos.

Tertio ex alijs eidem Petro a domino dictis, puta antequam gallus cantet, ter me negabis Matth. 26. & uade ad mare & mitte hamum &c. Matth. 17. cur enim huiusmodi soli personæ Petri ita quòd non successori dicta exponunt, illa autem tibi dabo, & pasce, ad successorem referuntur? uoluntarie enim hoc fieri vr̃.

Quarto ex omissis. Nullibi siquidem dixit christus se loqui in illis uerbis Petro pro se, & successore, cum tamen debuisset hoc docere, cum hoc ut unum de necessario credibilibus proponatur ecclesię, & ipse Esa. 5. dixerint, quid est quod debui ultra facere vineæ meę, & non feci ei? si enim totum quod debitum erat effecit synagogæ Iudæorum multo magis totum effecit ecclesiæ christianæ. Et augetur hoc argumentum, ex hoc quòd dominus Matth. vlt. dicit. ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Vbi quia se fore in toto hoc tẽpore cum ecclesia nos certificare uoluit, dicendo, ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi, manifestauit quòd ad discipulos pro se & successoribus eorum loquebatur. Hinc. n. arguitur quòd si Petro & successori intendisset hæc dicere, explicasset, aut insinuasset successorem sicut insinuauit ibi successores discipulorum. Quinto ex coapostolis. Quænam ratio est, ut nullus aliorum apostolorum habeat successorem in apostolatu, & solus Petrus habeat? Et rursus quæ ratio est, ut apostolorum successores sint & dicantur episcopi (quos constat esse æquales, unde & fratres uocantur) & unus tantum episcopus successor sit

MM 2 petri

petri fuper totã eccliã? Et rurfus ut prætactũ eft, quæ rõ fuffert vt epifcopus Hierofolymitanus fuccedat Iacob in epifcopatu illius ecclefiæ, & non in apoftolatu, fucceffor autẽ petri fuccedat ei in apoftolatu ac pontificatu totius ecclefiæ? hoc enim non nifi humana ratione, aut volũtate factum uř, cum fcripturæ defit auctoritas. Deinde arguitur ducendo ad inconuenientia multa. Et primo. Si ad folum petrum refertur chrifti uerbũ, ergo nõ ad fucceflorem, & iterum, ergo cum petro claues uenerunt, & abierunt. Et probantur fequelæ, quia non poteft ad plures pertinere quod ad unum tantum dicitur. Secundo, quia fi ad fucceflorem extenditur, ergo neceffaria ratione & ad alios apoftolos, quia tunc erant præfentes, fucceffores autem petri nondum erant. Tertio, quia ridiculum effet quòd omnium ecclefiarum idem baptifma, eadem euchariftia, eadem confirmatio, idem uerbum dei, idem facerdotium, eadem pœnitentiæ, unctionis, matrimonij & reliqua facramenta, eadem fides, fpes, charitas, gratia, mors, vita, gloria effet, una hæc tẽporalis potẽtia vni tributa effet fucceffori petri per uerbum dei, quod cõmune eft omnibus.

Quarto. Si unus epifcopus iure diuino cæteris præfertur, manifefte Hiero. in epiftola ad Euandrum quæ habetur. 93. di. ca. legimus. hærefim docet, non folum ipfe, fed Petrus, Paulus, Ioãnes, Lucas, quos inducit irrefragabiles autores. Patet enim ibi epifcopos eofdem effe cum presbyteris, & epifcopos æquales effe.

Quinto, quia idem Hier. fuper epiftolam ad Tim. & habetur 95. di. ca. olim. dicit. Sicut ergo presbyteri fciunt fe ex ecclefiæ confuetudine ei qui fibi præpofitus fuerit effe fubiectos, ita epifcopi nouerint, fe magis confuetudine quam difpenfationis dominicæ ueritate presbyteris effe maiores, & in communi debere ecclefiam regere. Non ergo diuino iure unus Petri fucceffor epifcopus maior eft alijs.

AD huius rei euidentiam confiderandum eft, triplici uia manifeftum fieri hæc chrifti uerba toties repetita Petro, non folum pro fe, fed pro fucceffore fuo dicta effe. Prima uia ex ipfis uerbis domini cum dixit, pafce oues meas, procedit. Nam dicendo pafce oues meas, unum ouium fuarum paftorem inftituit (ut ipfa uerba teftantur, abfque ulteriori probatione) paftor autem fignificat ordinarium rectorem ouium, ut patet tum ex ipfis nominibus paftoris & ouium, tum ex ipfa ratione pafcendi. Tum quia oportet eum qui ordinarie gerit curam ouium, uel mercenarium

cenarium uel pastorem esse, sed mercenarius non est, quia cum uidet lupum uenientem fugit, & non pertinet ad eum de ouibus quia mercenarius est, ut dicitur Ioan. 10. relinquitur ergo quòd is qui ordinarie curam ouium gerit pastor est. Constat autem pastorem utpote ordinarium officialem, non finiri morte illius qui pastorale officium exercebat, sed per successionem oportere durare. Et hinc fit, ut institutio pastoris sit institutio perpetui officij, ac per hoc quod, in prima institutione pastori tribuitur, pro quolibet successore eidem datur. Vnde ex hoc ipso quòd dominus dicendo, pasce oues meas, pastorem totius ecclesiæ instituit, pastorale officium totius ecclesiæ statuit ex tunc & in seculum seculi, & consequenter quod dedit tunc Petro, significauit se dare cuilibet Petri successori in Petro. Rursus dicendo pasce oues meas, perpetuitatem pastoris intelligendam ex alio capite monstrauit, nam oues suas duraturas sciebat, & dixit usque ad consummationem seculi in præsentis miseriæ ouili uno, & propterea eoipso quo ouibus in uno ouili duraturis usque ad consummationem seculi prouidit de pastore uno, dicendo Petro pasce oues meas, significauit se prouidere de uno pastore usque ad consummationem seculi. Habemus ergo dupliciter ex ipsis euangelii uerbis a domino institutum esse quemlibet Petri successorem pastorem totius ecclesiæ in ipso beato Petro.

Secunda uia ex rationibus fundatis super sacra scriptura procedit, tum quia desipientis est putare christum prouidisse de pastore suarum ouium pro parte temporis, & ea minima, qua scilicet uixit Petrus, & non pro toto, & tam prolixo tempore usque ad consummationem seculi, quo durant suæ oues. Tum quia rationabile est, ut uniuersalitas temporis cointelligatur uniuersalitati locorum, & proinde quia dicendo pasce oues meas, oues suas ubique terrarum comprehendit, consequens est, ut easdem pro quocunque futuro tempore comprehendat. Tum quia christus synagogæ dicens, quid ultra debui facere uineæ meæ, & non feci? insufficienter prouidisset christianæ ecclesiæ constituens eam unum ouile sine uno pastore coeuo ouili, conuersante cum ouibus suauiter, hoc est sensibiliter secundum modum ipsarum ouium. utpote quæ uiuunt non sola spirituali, sed sensitiua natura, cum tamen de ipso scriptum sit. attingit a fine ad finem fortiter & disponit omnia suauiter Sap. 8. Tertia autem & ea optima pariter &

certi-

certissima uia procedit expræssa diuina reuelatione facta ecclesiæ suæ sanctæ. Vt.n.inferius de uerbo ad uerbum afferentur auctoritates, manifeste habetur quòd in hoc sensu sanctis inumeris & a sacris concilijs ubibus intellecta est instō pontificatus petri super totam ecclesiam a Christo facta. Certo, autem certius est illum esse uerum scripturæ sensum quem concorditer tradentibus sanctis, uniuersalis Synodi diffinitione accedente habemus. Fatemur igitur absq; omni hesitatione quemlibet petri successorem, institutum in beato petro esse pastorem totius ecclesiæ.

AD primum ergo argumentum in oppositum de concomitantibus, dicitur præcedentia concomitantia & subsequentia inueniri duplicia, uel pertinentia ad pastorale officium uel non pertinentia ad hoc. Et de pertinentibus quidem ad pastorale officium (quale est illud, uade post me Sathana, ut patet in ipso euangelij textu) non oportet esse solicitum an spectent ad successorem, de pertinentibus autem dicitur quòd eo modo quo pertinent ad officium pastorale, eodem modo pertinent ad successorem. Vnde ut ad singula descendatur quia uerba præmissa apud Matth. beatus es Simon bar Iona &c. non spectant ad pontificatum, sed ad confessionem quam fecerat petrus (ut declaratum est) nec ad successorem pertinent. Quod uero dicitur, tu es petrus & super hanc petram &c. quia ad pontificatum totius ecclesiæ necessario pertinet, ad successorem quoq; pertinere oportet, necesse est.n. successorem petri esse petrum.i.in fide solidum, ut super hanc petram christus edificet ecclesiam suam. Difficultates autem quæ circa hoc sunt, in sequenti tractabuntur capitulo.

Quod autem dicitur apud Io. diligis me & amas me? quodam modo ad pastorale officium spectat & quodammodo non. Nam rectitudo pastoralis officij amorem christi exigit ipsum, autem pastorale officium sine christi amore potest & haberi & exerceri, & propterea amor christi ad successorem quoque spectat quantum ad rectitudinem utendi pastorali officio, non autem quantum ad habendum uel exercendum ipsum pastorale officium.

Et similiter quod adiungitur cum esses iunior, licet cum petro finitum sit quantum ad prophetiæ consummationem, quantum tamen ad insinuatam præparationem animi pastoralis ad ponendum animam pro ouibus christi, & frequentem euentum persecutionum aut mortis pro christi ouibus bono pastori, ad successoris rectitudinem atq; fortitudinem pertinet. Ad secundum

dicitur

dicitur, quòd uerba illa domini iuxta regulam de pertinentibus, uel impertinentibus ad officium pastorale, quia ad pastorale spectat officium confirmare fratres, petro pro se & successore dicta intelleguntur. Vnde Theo. hæc dicit. Hoc autem petro dixit, eo, quòd superbire poterat in his quæ promissa erant a Christo. Ea rursus postquàm me negato ploraueris ac penitueris, corrobora ceteros; cum te principem apostolorum deputauerim, hoc.n. decet te, qui mecum robur es & petra ecclesiæ. Cyrillus quoq; hoc dicit. omissis ceteris uenit ad petrum ceteris prælatum. Nec propterea oportet quemlibet petri succesorem cadere a christi charitate, hæc.n. domini uerba non necessitatem sed possibilitatem auersionis a charitate cum indeficientia fidei significant, sic ut si auerti contingat, conuersus confirmet fratres suos. Indeficientia itaq; fidei in petro & ipsius successione impetrata asseritur, confirmatio fratrum imponitur, auersio posibilis significatur, conuersio prædicitur. Et hoc insinuat aduerbium aliquando, ex hoc.n. quòd non semper sed aliquando conuersus prædicitur, auersio quoq; quòd quandoque futura sit insinuatur. Ad quod uerificandum non oportet quemlibet successorem auerti, sed sat est & nimis etiam quòd quandoq; successor aliquis auertatur a christi charitate. Ad tertium patere põt iam solutio, nam sola ea quæ dicta sunt petro pertinentia ad pastorale officium, dicta sunt sibi pro se & successore ad literam, reliqua autem ad literam dicta sunt sibi soli. Ad quartum (quod maxime urgebat) iam patet responsio, significauit.n. xps ipse in petro cuilibet eius successori se loqui, eo ipso ꝙ instituit eũ pastorẽ ouiũ suarũ. tum ex parte officij pastoralis, tum ex perpetuitate ouium suarum, ut prædeclaratum est. Vnde non minus aparuit hęc in petro eius sucessorem quàm aparuerit apud Matth. in discipulis suis eorum successores, ibi.n. ex uno tantum capite.s. diuturnitate successionem significauit, hic uero ex duobus .s. & ex officio pastorali & ex perpetuitate ouium suarum, ut prędeclaratum est. Ad quintum dicitur, quòd nõ est eadẽ ratio de successione in apostolatu & de successione in pontificatu, apostolus.n. ut ipsum nomen testatur, sonat ab alio missum seu legatum (iuxta illud apostoli 2. ad cor. 5. legatione pro christo fungimur, & ad Eph. 6. legatione fungor in cathena ista) non est autem legatorum uendicare sibi successores, sed finitur legatio cũ legato, nisi a domino alius mittatur. Pastor autem ordinarium officium sonat, cuius est habere

bere fucceffore,& propterea ecclefia nō habet apoftolos qui fuc ceſſerint in apoſtola tu,chriſti apoſtolis,ſed habet epiſcopos ſuccedentes apoſtolis,n ō quo ad apoſt olatus au&oritatē,ſed quantum ad epiſcopalem,tam dignitatem quàm auctoritatem. Vnde ſi formaliter & exactiſſime loquendū eſt,nec petrus habet ſucceſſorē in apoſtolatu.tum quia apoſtolatū cōmunem habebat cum reliquis apl̃is,pareſq; in apoſtolatu oēs fuerūt,ac per hoc par eſt ratio in apoſtolatus ſucceſſione de omnibus. tū quia experiētia teſtatur nullius petri ſucceſſoris libellos quātuncūq; ſanctos inter ſacras eſſe ſcripturas,uſq; adeo ut epiſtola pauli ad philemonem,quàmuis commendatitia unius ſeruuli,inter ſacras computetur ſcripturas. Veruntamen quia ſucceſſor petri ſuccedens ei in paſtorali officio ouium chriſti(quod eſt pontificatus mundi) ex hoc ipſo ſuccedit pręcipuo apoſtolatus officio,quod ut diuus Th.dicit,erat gubernare catholicam eccleſiam,hoc.n.communiter apoſtolis omnibus a chriſto delegatum fuit,hoc petro ſingulariter paſtorali officio datum eſt,hoc ſolus petri ſucceſſor hereditat ex hoc ipſo,quòd ſuccedit petro in pontificatu eccleſiæ catholicæ.Hinc igitur ſola ſucceſſoris petri,ſedes uocat̃ & eſt ſedes apoſtolica,ut pote ea in qua ſola auctoritas gubernandi eccleſiā catholicam(quæ inter facultates legatas apoſtolis ſummum tenet locum) reſidet,hinc ſucceſſor petri apoſtolicus,hinc eius dignitas ſeu officium apoſtolatus,hinc eius auctoritas apoſtolica uocatur,ut pote complectens ſupremam omnibus apoſtolis tributam auctoritatem. Vnde ſolutio patet omnium quæſitorum. & cur ſolus petrus inter apoſtolos habet ſucceſſorem in apoſtolica auctoritate,quia.ſ.ſolus inſtitutus eſt a chriſto paſtor ouium ſuarum.Et quo pacto cum hoc ſtat epiſcopos omnes ſuccedere apoſtolis in epiſcopali dignitate & auctoritate, & quatenus epiſcopos eſſe omnes pares,hoc.n. nihil omnino obſtat ueritati declaratę.Et quare epiſcopus Hieroſolimus non ſuccedit Iacobo in auctoritate apoſtolica,epiſcopus autem ro. ſuccedit petro in apoſtolica auctoritate?quia.ſ. petrus auctoritatem apoſtolicam habuit ēt ut ordinarius paſtor a chriſto inſtitutus ſuper uniuerſo ouili ſuo,Iacobus autem eam habuit tantum ut apoſtolus. Et hoc nō ratiōe aut uoluntate humana factum, ſed chriſti ueri dei inſtitutione ordinatum eſſe mōſtratum eſt, dum petrum ſolum paſtorem ſuarum ouium iſtituit dicens paſce oues meas.

AD argumenta deinde allata ducendo ad inconueniens, reſpondendo

ſpondendo ad primum dicitur ſequelas nihil ualere. Ad probationem autem (quia nõ poteſt ad plures pertinere, quod ad unũ tantum dicitur (reſpondetur ad innumeros ſucceſſores poſſe pertinere. quod ad unum tantum officialem inſtituendo dicitur, quoniam quod ſibi dicitur, cuilibet ſuccedenti intelligitur dictũ, & propterea dictum Petro primo paſtori Chriſti ouium inſtituto, cuilibet ei ſuccedenti in huiuſmodi officio paſtorali dictum eſt. Et eadem eſt ratio de promiſsionibus eidem factis.

Ad ſecundum ſimiliter dicitur ſequela nihil ualere, nec eſſe maiorem, aut parem rationẽ quòd extendantur hæc uerba ad alios apoſtolos qui erant præſentes quàm ad ſucceſſorem Petri, quoniam quilibet ſucceſſor, licet in ſeipſo tunc non eſſet, erat tamen in ipſo Petro ſub eadem officij forma. quo conſtat modo non fuiſſe alios apoſtolos in Petro, quoniam nullus ſub eadem officij forma fuit, aut futurus fuit. Ad tertium dicitur, quòd nõ ridiculum, ſed diuine rationi conſentaneum eſt, ut omnium eccleſiarum communicantium in eiſdem ſacramentis, &c. ſicut eſt unum numero ouile inſtitutum a uerbo dei communi omnibus, ita ſit unus numero paſtor illius unius ouilis inſtitutus ab eodem uerbo dei communi omnibus. Hoc ſiquidem diligenter perſpectum, non eſt uni particulari eccleſiæ, aut perſonæ conſulere, ſed unitati ouilis prouidere, ac per hæc ſicut unitas ouilis communis eſt eccleſijs omnibus particularibus, ita unitas paſtoris ad omnium eſt utilitatem eccleſiarum. Et ſic optime adimpletur qđ apoſtolus dixit j. ad Corinth. ȝ. omnia ueſtra ſunt, ſiue Paulus ſiue apollo ſiue cephas. Ad quartum dicitur ſimul, & ad quintum, conſequentias nihil ualere, utpote ex impertinentibus ad propoſitum deductas. Dicta ſiquidem a Hiero. in utroq; loco, impertinentia ſunt ad propoſitum, utpote, quæ de epiſcopis, & presbyteris quatenus epiſcopi, & presbyteri ſunt dicũtur, æqualitas namq; ſeu idẽtitas diuino iure inter epiſcopos, & presbyteros ſiue ſit ſiue non ſit, nihil refert ad unitatem paſtoris totius eccleſiæ, non. n. ideo unus eſt paſtor totius eccleſiæ, quia epiſcopus maior eſt presbytero, ſed ideo quia unus eſt ſucceſſor Petri, ſiue presbyteratus ſiue epiſcopatus ſit maximus in eccleſia Dei ordo. Equalitas autem diuino iure epiſcoporum inter ſe, quatenus epiſcopi ſunt, non eget probatione, quoniam illam aſſerimus, ſed impertinens eſt propoſito, quoniam non ideo unus eſt paſtor totius eccleſię, quia unus epiſcopus eſt ſacratior altero

(omnes.n.episcopi sunt æquales in episcopatus ordine, & non est magis, aut plus episcopus successor petri, quàm quicunque alius episcopus, sicut non est magis presbyter quàm quicunque alius presbyter) sed ideo unus est pastor totius ecclesiæ, & reliquis prælatus episcopis atq; presbyteris, quia unus est successor Petri. unde patet ex hoc quòd diuino iure a Christo instituto, vnus presbyter siue episcopus Petri successor ceteris episcopis, & presbyteris immo toti ecclesiæ præfertur, non sequi Hierony. & allatos a Hiero. Petrum, Paulum, Ioannem, Lucam, heresim docere, ut arguentes audent inferre, sed prudens lector intelligit dicta horum impertinēter deducta ad propositū.

ROMANVM PONTIFICEM SVCCEDERE PETRO IN *pontificatu totius ecclesiæ.* cap. 15.

SVPPOSITA Petri successione, oportet monstrare quis sit ille successor Petri in pastorali cura totius ecclesiæ, habet.n. proprias difficultates an is sit Roma. episcopus. Obijcitur igitur in primis ex parte temporis, quia Roman.pontifex natus est per multos annos post Petri pontificatum, cum prius Petrus sederit Antiochiæ, & per multos annos ante absq; particulari aliqua sede fuerit. Et confirmatur hæc ratio arguendo sicut arguit apostolus ad Roman. 4. ubi probat ex circunstantia temporis, & facti, Abraham non ex circuncisione, sed ex fide iustificatum: nulla alia ratione usus, quàm quòd Abraham ante circuncisionem fuerit iustus apud Deum per fidem. Si hoc eius argumentum ualet, necesse est ualere, & hoc.s. Petrus, quando claues accepit a Christo, nondum erat episcopus vrbis Romę, sed erat unus inter apostolos, ergo claues non sunt ei datæ secundū quòd postea, uel factus, uel mutatus est loco, uel officio (sicut Abrahę non est iustitia reputata qualiscunq; post fidem factus fuerit) sed prout fuit apostolus tantum. Secundo. Si Ro.pont. esset Petri successor in cura totius ecclesiæ (de hac.n. successione ne contingat idem sepius replicari, semper loquimur, nisi quandoq; explicemus de sola successiōe in episcopatu Romano nos loqui) oporteret de quolibet Ro.Ponti. uerificari uerba Christi spectātia necessario ad successorē Petri, sed non de quolibet Roma.pontifice hęc uerificari oportet, ergo Roman. potifex non est successor Petri. Probatur autem destructio consequentis, ex eo quòd Roma. pontifex potest labi in hæresim. & sic non verificabun-

ficabuntur de eo uerba Christi tu es Petrus, id est, in fide solidus, neq; super hanc petram edificabo ecclesiam meam, quoniam soliditas fidei in ipso super quam edificanda est ecclesia, non inueniretur, nec ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua. quæ omnia ad successorem petri dicta esse monstratum est.

Tertio, quia non omnis ro. pontifex habet christi charitatem, quam tamen tertio christus exegit in institucione officij pastoralis, non est ergo petri successor qui exacte a christo tunc in petro charitati non succedit. Quarto, quia non omnis ro. pontifex pascit oues christi, sed multi eorum pascunt oues suas, dum ad propriam gloriam, auctoritaté, utilitatem & alia huiusmodi pontificatum exercẽt. Dicente autem domino pasce oues meas, significauit petri successores aut pastores esse debere ouium christi, ipsum amantes, & illas pascentes doctrina, iustitia & alijs huiusmodi, aut si non amant & docent, nihil hoc uerbum ad eos pertinere, ac per hoc non esse petri successores. Quinto, quia prisci Ro. pontifices recusauerunt se uniuersales appellari, Greg. n. senis epistolis hoc reprahendit, & narrat prædecessores suos hoc renuisse. Si. n. Greg. cum alijs noluit uocari episcopus uniuersalis, consequens est quòd non erat aut non se credebat uniuersalem episcopum, idem autem sonat pontifex uniuersalis & pontifex totius ecclesiæ. Non succedit ergo Ro. põtifex petro in pontificatu totius ecclesiæ. Sexto Concilium Nicenum (ut scribitur lib. x. ca. 6. hist. ecclesiæ) statuit sic. Et apud Alexandriam uel in urbe Roma, uetusta consuetudo seruetur, ut uel ille egypti uel hic suburbanarum ecclesiasticarum solicitudinem gerat. Si. n. Ro. pontifex successor esset petri in pontificatu totius ecclesiæ, non præsumpsisset Nice. concilium fines sue solicitudini decernere in suburbanis ecclesijs. Septimo. Si Ro. pontifex christi institutione præest toti ecclesiæ ut christi uicarius generalis, sequitur peccasse & peccare omnes qui non fuerunt & qui non sunt sub Ro. pontificis obiecta. Et hinc sequitur primo primitiuam ecclesiam totam errasse, cum adhuc non esset Ro. pontifex. Sequitur deinde tot sanctos & martyres usq; ad. xl. annos post christum errasse, cum tunc non recognosceretur Ro. potifex ut pastor totius ecclesiæ. Sequitur postea Asiã, Africam atq; Greciam in damnatione fuisse, utpote non recognoscentes Ro. pontificem ut omnium caput. Sequitur demum Christianos qui hodie sunt in Perside, india, scythia totoq; oriente damnari, eò

quòd non subsunt Ro. pontifici. Manifestatur autem hos non re cognouisse Ro. pontificem, eo quòd non ab ipso seu eius auctoritate eorum episcopi sunt instituti, eorum concilia sunt celebrata. Octauo. Hiero. de uiris illust. scribit, quòd Achatius episcopus Cesariensis discipulus Eusebij Pamphili imperante Constantio Liberium Papam deposuerit, & felicem cōstituerit. Constat autem hoc repugnare primatui Ro. ponti. si totius ecclesiæ antistes esset. Nono. Si ulla ecclesia est prima & mater omnium ecclesiarum & a christo domino immediate fundata, non est alia nisi ecclesia Hyerosolimitana, quæ per multos annos fuit ante Romanam, unde exierunt omnes apostoli & episcopi ad uniuersum orbem terrarum. In cuius signū ab omnibus ecclesiijs etiam Romana collectę soluebantur ecclesiæ Hierosolymitanæ.

AD huius rei euidentiam consideranda sunt duo. primum unde est. secundum unde scitur Ro. pontificem succedere petro. Circa primū aūt distinguēdum est de ratione succedendi & ratione succedētis, nā ratio succedēdi est nō euangelica institutio, sed sub secutū factū petri, quo ecclesia Ro. appropriata est petro appropriatiōe firmata. Declaro singula, cautū reddendo lectorem in primis quòd aliud est succedere petro, & aliud est succedere petro hunc. s. Ro. pontificem. Rō. n. quòd petrus habeat successorem institutio est euangelica, qua dominus in petro pastorale totius mundi instituit officium, ut in præcedentibus manifestatum est. Ratio uero quòd petro succedat hic, hoc est Ro. pontifex, non est institutio euangelica, tum quia euangelica uoce non est ecclesia Ro. appropriata petro, sed tota ecclesia comissa sibi, dum dicitur, pasce oues meas, & propterea si petrus perseuerasset usq; ad finem ut incepit absq; appropriatione alicuius particularis ecclesię, nec Ro. pōtifex nec aliquis alius particularis episcopus esset petri successor, sed migrante ad cœlum petro, fuisset unus electus in episcopū catholicę ecclesię qui successor fuisset petri. Tum quia si petrus in sede Antiochena quā sibi primus appropriauit perseuerasset usq; ad mortem, non Ro. pontifex sed antiochenus successor esset petri. Tū quia si petrus discessisset ex Roma, non tantum loco sed sede, ita ꝙ alibi sedem elegisset, non successisset Ro. pontifex petro. sicut nec modo succedit petro Antiochenus, quia inde discessit mutando nō solum locū sed sedē. Ex his. n. patet non ex euangelica institutione ortū habere ꝙ Ro. pōtifex succedat petro. euāgelica siquidē instō de his mutationibus

tionibus nō se impedit, sed subsequētibus factis disponēdū hoc reliquit. Quocirca, ex eo q appropriatiōe firmata, Ro. ecclesia Petri pontificatui addicta est, inde ortum est ut Rom. Pontifex Petro succedat. Appropriationem autem firmatam dicimus, quia Petri morte firmata est, & quia christi auctoritate robur firmitatis obtinuit. Nam (ut ecclesia cantat, & Ambro. in oratione contra Auxentium, de basilicis tradendis, quam habes in lib. 5. epistolarum Amb. post. 32. epistolam asserit, & ante ipsum in li. 3. de excidio Hierosolymitano ca. 2. Egesippus affirmat) uolenti Petro ex urbe Roma discedere obuians christus iussit, ut Romæ mortem pateretur, eidem dicendo, uenio Romam iterum crucifigi, ut non nuda Petri mors Romę, sed mors iussa a christo in urbe Roma, firmaret Ro. sedem in Petri successione. Si ad ortum itaque atque initium successionis Ro. pontificis Petro spectes, rationem succedendi inuenies fuisse ecclesiæ Ro. appropriationem ad pontificatum Petri, firmatam & Petri morte & christi mandato. Cum autem dicimus Petrum & Ro. pontificē & pontificem ecclesiæ catholicæ, non duos intelligas pontificatus, non enim sunt duo in actu, sed in potentia tantum, hoc est, quia potuissent esse duo, ut patet ex dictis. Vnde non se habēt sicut duo episcopatus uniti, non erat siquid est in Ro. ecclesia episcopatus ante Petrum, sed ipse Petrus Ro. ecclesiam euexit in pontificatum, non alium quam suum quem secum uehebat, ita quòd pontificatus Petri quem a christo habuit relatum ad ecclesiam catholicam, retulit ipse Petrus ad ecclesiam Ro. appropriando sibi illam. Confert autem non nihil hęc pontificatus unitas ad hoc, ut idem sit Ro. pontifex & pontifex ecclesiæ catholicę, non solū unitate personæ, sed identitate pontificatus. In cuius signum nō dantur Ro. pontifici duo pallia, sed unum tantum, cum tamē plura dari constet habenti plures pontificatus, quibus debentur pallia. Si autem de ratione succedentis est sermo, euangelica institutio ratio inuenitur succedentis. Ro. siquidem pontifex Petro succedens auctoritatem habet apostolicam ab euangelica christi uoce, pasce oues meas, nam cuilibet Petri successori in Petro dixit christus pasce oues meas. Licet itaque apostolicam sedem Ro. esse Pontificis, initium habuerit ex appropriatione ecclesiæ Ro. ad petrum, ex quo tamē firmatum sic est, eo ipso quo aliquis uerus est Ro. ponti. uerus est pontifex ecclesiæ catholicæ a christo in beato Petro institutus. Manifestum est igitur unde Ro. pō

tifex

tifex est Petri successor, at totius ecclesiæ pastor.

Scitur autem hoc diuina reuelatione facta, tum uniuersali ecclesiæ, tum sanctis doct. innumeris, tum sacris concilijs. Nullus siquidem christianus dubitare permittitur ex diuina prodire reuelatione quicquid ad fidei christianæ rōnem spectans (de quorum numero hoc constat per decre. unam sanctam, esse) contestatum inuenitur a præfatis. Communis christianorum & olim & nunc & semper confessio fuit, est, & erit Romani pont. sedem solam esse sedem apostolicam, hoc autem nihil aliud est quam fateri Ro. pontificem petri successorem, esse rectorem catholicæ ecclesiæ. nā in ap̄lica sede (nisi quis propriam ignoret vocem) clauditur apostolica auctoritas, in apostolica autē auctoritate facultatem regendi totam ecclesiam includi, intelligunt exercitati in sacris literis. Et hoc usqueadeo est clarū, ut concorditer dicatur apostolicę auctoritati a christo orbem commissum terrarū, sic vt quilibet ap̄ls ubicunque contingeret ipsum fore instituebat ecclesias, instituebat episcopos, & id genus reliqua faciebat, ut eorum etiam gesta testantur. Vnde cum. 1. ad Cor. 12. dicitur. posuit deus in ecclesia primum apostolos, dicit glo. interli omnium ordinatores, & iudices, manifestans apostolicam auctoritatem esse omnium ordinatricem & iudicem. Confitendo igitur apostolicæ auctoritatis sedem, confitemur uelimus nolimus sedem ordinatricem & iudicem omnium. Hanc autem esse intentionem confitentium, ex eo etiam aperitur quòd, solā successoris Petri sedem apostolicam confitemur. Extat siquidē Hierosolymitana sedes, in qua Iacobus apostolus sedit, cuius successor est episcopus Hierosolymitanus, cur sedes illa in qua Iacobus apostolus sedit (quæ prius tempore fuit quam quæcunque alia partialis sedes) non est ipsa quoque sedes apostolica, nisi quia in illa non est auctoritas apostolica, & in ista est? Nam si ex sola successione ad personam apostoli affirmaretur a christi fini bus sedes apostolica, dubium non est quòd multę essent sedes apostolicæ, & Hierosolymitana sedes esset apostolica, & Ro. sedes esset apostolica. modo autem quia unicam tantum nouit christianus populus sedem apostolicam, eamq; Ro. pont. sedem esse plena uoce confitetur, clarum relinquitur per sedem apostolicam intelligi sedem auctoritatis apostolicæ. Et confirmatur, quia sicut in episcopali sede clauditur pontificia auctoritas, & in archiepiscopali sede auctoritas archiepiscopalis, & in sede pa

triarchali

triarchali auctoritas patriarchalis, ita in sede apostolica claudi tur auctoritas apostolica, ac per hoc queadmodum christianus populus ad huiusmodi sedes recurrens, ad dictas auctoritates re currere intendit, ita ad apostolicam sedem recurrens, aut ipsam quomodolibet uenerãs, auctoritatem apostolicam confitetur. Porro imperfectione sedis apostolicæ clauditur eius diuinæ in stitutionis confessio, nam quia secundum ueritatem apostolica tam sedes quàm auctoritas a solo christo est & esse potest, a quo solo possunt apostoli fieri (neque enim minus est apostolicam sedem ac auctoritatem quam apostolum instituere, sicut non mi nus est episcopalem auctoritatem ac sedem facere quam episco pum) necesse est, ut qui apostolicam confitentur sedem, a Iesu christo immediate illius esse auctoritatem fateantur, diuinoque proinde iure institutam illam esse profiteantur. Et hinc habes ꝙ doctores confitentes Ro. pontificis sedem apostolicam aut apo stolatum aut auctoritatem apostolicam, fatentur Ro. pontificẽ esse totius ecclesię rectorem, quod notandum ualde est, & secun dum se, & ne oporteat sæpe repeti in auctoritatibus sancto rum &c.

ANTEQVAM autem auctoritates afferantur, ad obiecta re spondẽdum est. Ad primũ ergo dicitur, nihil obstare successio ni RO. ponti. petrum quatenus RO. pontifex fuit, natum esse post acceptas claues, sufficit enim successori natum esse ante mor tem eius cui succedit. Ad argumentum autem formatum ad similitudinem argumenti Pauli Apostoli de iustificatione Abra hæ, respondetur militare illud, non contra nostram sententiam, sed potius contra arguentes. Manifestatur autem hoc distinguẽ do, si est in Abraham reputationem iustitię a iustitia reputata, ita proportionaliter in Petro acceptationem clauium a clauibus acceptis. Nam quemadmodum reputatio ad iustitiam, Abra hæ conuenit ex fide, & non ex circuncisione postea subsecuta, ita petro acceptio clauium conuenit ex pontificatu ecclesiæ ca tholicæ (tunc enim datæ sunt ei claues quando factus est pa stor christiani ouilis) & non ex ecclesia ROMANA seu pontifi. ROMAN. postea subsecuto. Et similiter quemadmodum iusti tia reputata Abrahæ, non est restricta ad statum præputij, sed est extensa ad subsecutum statum circuncisionis (dicen te apostolo ibidem, ideo ex fide, ut secundum gratiam fir ma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum

&c.

etcetera.)ita acceptæ claues extensæ sunt ad subsecutum postea petri pontificatum Ro.rursus quemadmodum abrahe iustitia reputata appropriata est subsecutę circuncisioni,seu ipsi abrahę ut postea pater factus est circuncisiõis,sic ut eius semẽ ex circũcisione prælatum sit omnibus in consummatiõe iustiæ promissionum & benedictionum Abrahæ(dicente apostolo ad Gal.3.abrahe dictæ sunt promissiones & semini eius qui est christus, quem constat ex circuncisione natum)ita acceptæ claues appropriatę sunt ecclesiæ RO. seu petro,ut factus postea est pontifex Ro.sic ut per ipsam aperiatur regnum cœlorum omnibus cognationibus terræ.Vnde patet quòd ex huiusmodi argumẽto etsi habetur quòd acceptio clauium non pertinet ad petrum nisi secundum quòd erat tunc cum accepit claues (erat autem non solum apostolus sed pastor ouium christi) non tamen habetur ꝙ acceptæ claues restrictæ sint & conclusæ ad statum illum pręcise,sed subsequẽdo similitudinem Abrahæ habetur quòd claues accepte & extense appropriate sunt ad pontificatum RO. secundum mutationem qua & loco & officio appropriata est petro ecclesia RO. Ad secundum dicitur posse dupliciter intelligi successorem petri seu RO. ponti. non posse esse infidelem seu hereticum. Vel de ipsius persona in ordine ad ecclesiam catholicam,uel de ipsius persona secundum seipsam.Et utroq; modo uerificatur,& utrũq; expræssit dominus in euangelio.Fidem.n.solidam in petro & successoribus suis secundum proprias personas,significauit dominus & dicens tu es petrus, in præsenti,& dicens ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua. in futuro.Fidem uero eiusdem in ordine ad ecclesiam,significauit dominus & dicens,super hanc petram edificabo ecclesiam meam,& dicens confirma fratres tuos. Nec obstat personæ RO. pontificis fidei secundum propriam personam, quòd illa persona potest esse heretica, quoniam quàm primum desinit esse fidelis,desinit etiam esse petri successor secundum rei ueritatem & apud deum,apud cuius tribunal qui non credit iam iudicatus est,ut dicitur Io.3. quicquid sit secundum forum ecclesiasticum.Ex quo tamen idem habetur,nam ex hoc ipso quòd ille homo qui uocatur petri successor ex casu a fide, iudicio etiam inuitus subiicitur ecclesiæ,manifestatur ipsum non esse amplius petri successorem secundum ueritatem, nam si uere esset petri successor iudex esset totius ecclesiæ, & non esset illi subiectus inuitus.Ex soliditate autem in fide personę RO. pont. in ordine ad

ecclesiam,

ecclesiam, prouenit vt errare non possit sententialiter diffiniendo de fide christiana, quoniam in huiusmodi diffinitione construitur fides uniuersalis ecclesię, & per eam edificatur ecclesia Christi ab ipso Christo super petram sedis apostolicæ. Impossibile autem esse constat, vniuersalem ecclesiam errare in fide. Libet autem intueri, quàm suauiter commendata sit huiusmodi fidei diffinitio uoce euangelica. fide siquidem construi ecclesiam constat, cum sit (ut ad Heb. x. dicitur) sperandarum substantia rerum, & ideo edificandi, & confirmandi actui respondet, uterque enim substantiam edificij respicit. Sed quoniam fides donum Dei est, idcirco Christus sibiipsi attribuit edificationem ecclesię super sedem apostolicam, dicens, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. firmare uero fideles fluctuãtes in ambiguitatibus, & quæstionibus, quæ circa fidem emergunt, quia ministeriale opus est Petri, & successoris, ideo dicitur Petro, & successori confirma fratres tuos, quicquid enim agit sedes apostolica diffiniendo de fide, nihil aliud est, quàm declarare quid sub fide a Christo data continetur, sic enim confirmat fratres suos. Vnde, & in Calcedonen. synodo dixerunt patres, quòd congregati in Constantinopolitano concilio doctrinam de spiritusancto tradiderunt, non quod minus esset in præcedentibus qui apud Niceam congregati sunt inferentes, sed intellectum ad uersus hereticos declarantes. Et hinc oritur ut diffinitis de fide ab apostoliça sede, subsit etiam ipse Roman. Pont. sicut subest fidei, non enim alicui propterea de nouo subijcitur, sed quod implicite credebat tenetur explicite credere, ex hoc quòd fides sufficienter explicata est quo ad hæc, quę prius explicata non erãt fidei ueritati subesse. At si cui quàm mira in hac responsione dicta apparebunt, meminerit scriptum esse, mirabilia testimonia tua. sunt enim hęc Iesu Christi testimonia. Sed quid mirari fideles debet de tali tantaque diuinæ gratię assistentia suo in terris uicario, cum Cayphæ Pont. Synagogæ minus legitimo ac persecutori ipsius Christi, astiterit ad prophetandum ratione pontificatus, testante Ioann. Euangelista dum dicit, a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetauit, quòd Iesus erat moriturus pro gente Ioann. xj. Cur. enim Ioannes hoc docuit, cur hoc reuelauit, nisi ut diuinam assistentiam peculiarem pontifici esse reuelaret?

Ad tertium dicitur, ꝙ exacta trina dilectio a Petro rectitudinē respicit pastoralis officij. & propterea qui non succedit Petro in dilectione Christi, nequaquàm succedit eidem in bonitate pastoralis exercitij, sed pastor est officio, & nomine, mercenarius autem studio, & exercitatione. Ad quartum dicitur, quòd amare, & pascere oues Christi, spectat ad successores Petri sub ratione commissi, & debiti, Christus.n.cōmisit ut pasceret oues suas, & ad hoc successor tenetur, & ad hoc se obligauit suscipiē do pontificatum. Vnde si nec amat, nec pascit, non propterea locus iste ad ipsum non spectat, nam multum ad eum spectat pascere Christi oues, ad quem spectat ut præceptum, & ex officio debitum. Exigit quippe locus iste pascentem, & amantem, quia exigit vt amare, & pascere debeat. Et quamuis non amans, nec pascens indignus sit pastorali officio, & mereretur illo priuari, non esse tamen propterea priuatum ex utroque testamento dicimus. Ezech. siquidem 34. reprehenduntur mali pastores, qui non dei gregem, sed semetipsos pascebant, appositis propheticis minis priuationis pastoralis officij per ipsum Deum exercende, pastores tamen relinquuntur. Matth. quoque 23. super Cathedram inquit dominus Moysi sederunt scribe, & Pharisei, quæcunque, dixerint uobis seruate, & facite, secundum uero opera corū nolite facere. Ad quintum dicitur Greg. prædecessorum uestigia imitatū refutasse se uniuersalem appellari, ea ratione ut ipse millies dicit, quia si unus vniuersalis episcopus dicitur, solus ipse episcopus videtur dici, & sic cæteris episcopatus tolleretur. Non autem ea ratione quòd Roman. Pontif. auctoritas restricta sit, & in vniuersalē non se extendat ecclesiam, superbum enim uocabulum utpote reliquorum episcoporum iniuriam præ se ferens horruit Greg. & non rem apostolice auctoritatis extendentis se ad uniuersalem ecclesiam. Vnde post inferius ad Mauricium Imperat. afferendo uerba de Petri auctoritate super totam ecclesiam, subiungit de Petro. Cura ei totius ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis apostolus non uocatur. Vbi patet Greg. simul affirmare curam totius ecclesiæ, & negare uniuersalis uocabulū. Propter quod posteriores pontifices Roman. rem tenentes, nec a Greg. humilitate discedentes, uniuersalis nomen a recto in obliquum transtulerunt, & subscribunt se in hodiernum diem. Ego. N. episcopus ecclesiæ catholicæ.

Ad se-

Ad sextũ dicitur, quòd aliud est loqui de auctoritate, & aliud de executione, cùm auctoritate siquidem RO. ponti. super totam ecclesiam, mos fuit laudabilis, ut nõ exequeretur papa ea quæ ad particulares aliarum ecclesiarum curas pertinebant, nisi casus ali quis id exegisset. Et hinc mos fuit, ut episcopi ab archiepiscopis confirmarentur, curati ab episcopis darentur, & innuata similia fiebant. Et hęc est illa uetusta consuetudo cuius meminit Nicenum conc. quod annuente ROM. ponti. ibi per suos legatos præsente de obseruatione huius uetustæ consuetudinis statuit. Ex hoc autem non sequitur statutum esse de auctoritate RO. ponti. aut læsam fuisse illius auctoritatem, sicut nec hodie minuitur, aut læditur RO. ponti. auctoritas ex eo quòd in multis prouincijs ro. pon. obediẽtibus, huiusmodi executiones per prouinciales fiũt.

Ad septimũ dicitur, quòd ro. pon. christi institutione esse prælatum cęteris, potest dupliciter intelligi. uel quo ad rationem ini tij, & sic falsum est, iuxta superius declarata. Vel præsupposita ap propriatione ecclesiæ ro ad petrum, & sic uerissimum est. & propterea conceditur sequela. s. omnes peccare & peccasse qui eum non recognouerunt ut prælatum. Et cum infertur primo, quòd primitiua ecclesia errasset, negatur sequela, quoniam tunc adhuc non fuerat appropriatio ecclesiæ roma. ad petrum, qua præsupposita pont. rom. præest omnibus. Sufficiebat siquidẽ tunc quòd tota ecclesia recognosceret petrum, ut totius ecclesiæ pastorẽ, post appropriatam autem ro. ecclesiam oportet recognoscere rom. pon. successorem petri, pastorem totius ecclesiæ, non quate nus est rom. pont. sed quatenus est succesor petri, per se & formaliter loquendo. Cum uero infertur secundo quòd tot martyres, & sancti ad quadringentos an. peccassent, quia non recognouerunt roma. pon. respondetur falsum esse huiusmodi martyres, & sanctos non recognouisse roma. pon. a principio enim ecclesiæ petrus recognitus est, & successiue rom. pon. ei succedens, ut subsequentes manifestant auctoritates sanctorum. Et similiter cum tertio infertur Asiam Africam & Greciam errasse, quia non fuerunt subditæ roma. ecclesiæ. manifeste erratur, & quæ falsissima comprobantur inducuntur, plenum siquidem registrum Gre go. curis Asiæ Africæ & Greciæ, testatur oppositum.

Quod demum inducitur christianos hodie Orientales nõ subesse ro. ecclesiæ (nisi de schismaticis sit sermo) falsum esse, ex gestis in concilio Floren. sub Eugenio. 4. patere potest, ibi siqui-

dem Iacobitæ, Armeni atque Greci roma. pon. ut pastorem totius ecclesiæ recognoscere se confessi sunt. Ad probationem autem subiunctam, quia nec episcopi ibi a papa instituuntur, nec concilia eorum papæ fiunt auctoritate, iam patet quid dicẽdum est. s. quòd huiusmodi executionum consuetudo in quibuscunque prouincijs, papæ nec tollit, nec lędit auctoritatem. Veruntamen pluries nostra ætate visum est ab Orientalibus missum ad rom. pon. pro surrogando episcopo, seu confirmando electo, & tempore Alexandri. 6. & Iulij. 2. Ad octauum dicitur, nos de iure diuino loqui, arguentes autem obijciunt damnatum uiolentiæ factum, ut ipsamet uerba Hiero. testantur, ait enim, Achatius intantum claruit, ut in locum Liberij felicem Arrianum substitueret. Vnde Felix ille in catalogo pontificum non est computãdus, ut testatur Aug. ĩ epistola ad Generosum, & est epistola. 165. Ibi siquidem August. a petro usque ad tunc temporis rom. pon. Anastasium singulos successiue recensens, Liberio Damasum successorem ponit, non Felicem. Ad nonum dicitur, rom. ecclesiæ appellatione intelligi posse uel ipsum corpus rom. ecclesia secundum se, uel secundum suum caput, & quòd licet roma. ecclesia secundum reliqua eius membra non sit prima, nec mater omnium ecclesiarum, nec immediate instituta a christo, ipsa tamen eadem ecclesia rom. secundum suum caput petrum ac petri successorẽ, prima est ac mater & magistra omnium ecclesiarum, & immediate a christo euangelica uoce auctoritatem, ac firmitatem habẽs, ut prædeclaratum est. Vnde tam canonum quam sanctorum sententiæ rom. ecclesiam primam, magistram, matremque ecclesiarum omnium, aut a christo domino euangelica uoce fundatam, firmatamq; sonantes, ueræ sunt ratione capitis. Et hoc intendunt qui hæc scripserunt, ut ex eo patet quòd eorum sententia fundatur super uerbis domini ad petrum, qui caput fuit & in suis successoribus est ecclesiæ rom. Vnde nihil obstãt huic primatui quæ de Hierosolymitana ecclesia afferuntur, nam illa non fuit prior petro, sed subdita fuit petro. Collectæ autem ecclesiæ Hierosolymitanæ, non ut prælatæ, sed ut indigenti ab alijs dabantur, ut patet ad Gal. secundo, unde impertinentes sunt ad propositum.

AVCTORITATES SANCTORVM ANTIquorum, & conciliorum, affirmantes in Petro ac Ro.pont. successore Petri totius ecclesiæ pontificatum institutum. Cap. 14.

Reliqvvm est, ut illis quoque fiat satis, qui nesciūt a priscis ecclesiæ patribus in Asia, Africa, & Europa veneratum esse ro.pon. ut totius ecclesiæ particularem non humana, sed diuina ratione. s. quia in petro institutus est rector ecclesię uniuersalis. Afferendas propterea censui grecorum, & latinorū antiquorum ecclesiæ patrum ac doctorum sententias, non omnes, nec omnium, sed tot, ut sufficiant ad claram notitiam quòd ro.pon. petri successor est, & habitus est semper in petro institutus pastor & rector totius ecclesiæ.

Et a grecis incipiendo, Chrys. Homel. 55. super Matth. exponens illud, super hanc petram, dicit. petrum ecclesię futuræ pastorem constituit. Et infra. Deus concedere solus potest peccatorum remissionem, & ut futura ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet. hæc inquam omnia quæ solius dei sunt, se pollicetur daturum. Et infra. hunc. s. petrum uniuerso terrarum orbi christus præposuit. Et licet superius glosauerit, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, id est fidei confessionem, inferius tamen ait. ego dico tibi tu es petrus, & ego super te ædificabo ecclesiam meam. Et Homel. vlti. super Io. tractans illud. Simon Ioannis diligis me plus his &c. dicit. Alijs omissis duntaxat petrum affatur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, neque exprobat, tantum dicit, si amas me fratrum curam suscipias. Et infra, tractans illud sequere me, ait. Inquit ei sequere me, quibus uerbis iterum curam & familiarem in eum affectum ostendit. Quod siquis percontaretur quomodo Iacobus Hierosolymis sedem acceperit? responderem hunc totius orbis magistrum præposuisse. Et infra. tractans illud, domine hic autem quid? dicit. Nam cum magna dominus petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset

mandasset martyrium prædixisset,& maiorem &c.

Theophilus quoq; Luc.22. tractans illud,& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,ait. Postquàm me negato plorauetis ac penitueris,corrobora ceteros,cum te principem apostolorum deputauerim,hoc.n. decet te qui mecum robur es & petra ecclesiæ. Et infra. Cùm esset apostolus denegauit, ac iterum per pœnitentiam obtinuit prærogatiuam ut esset antistes mundi. Et super Io. ulti. ca.super illud,cum ergo prandissent,ait. Finito prandio commissionem ouium mundi petro commendat, non alij. Et super illud sequere me,ait. In hoc quòd dicit dominus petro sequere me,cunctorum fidelium prælaturam ei instituit. Et infra,super illud donec ueniam,ait·Ideſt dum hunc.ſ. Ioan. uolens dirigam ad prædicandum,te nãq; nunc dirigo ad orbis pontificatum & in hoc me sequere.

Cirillus patriarcha Alexandrinus in lib. Thesau. Sicut christus accepit a patre sceptrum ecclesiæ gentium, dux ex israel egrediẽs super omnem principatum & potestatem super omne quodcunq; est,ut ei cuncta curuentur,sic & petro & eius successoribus plenissime commisit,& nulli alij quàm petro christus quod suum est plenum sed ipsi soli dedit. Et rursus. Pedes christi humanitas est .ſ. ipse homo,cui tota trinitas plenissimam dedit potestatem, quem unus trium assumpsit in unitatem personæ, trãsuexit ad patrem super omnem principatum & potestatem,ut adorent eum omnes angeli dei,quem totum dimisit per sacramentum & potestatem petro & ecclesiæ eius. Et iterum. Petro omnes iure diuino caput inclinant,& primates mundi tanquàm ipsi domino Iesu obediunt. Et iterum. Ipsius apostolici Throni Romanorum pontificum solius est reprehendere,corrigere,statuere, soluere, disponere,& loco illius ligare qui ipsum edificauit.

Maximus in epistola orientalibus directa. Omnes fines orbis qui dominum syncere receperunt,& ubiq: terrarum catholici ueram fidem confitentes in ecclesiam romanorum tanquàm in solem respiciunt,& ex ipsa lumen catholicæ & apostolicæ fidei recipiunt.

Cirillus patriarcha Hyrosolimitanus, ex persona christi loquẽs dicit petro. Tu cum fine & ego sine fine cum omnibus quos loco tui ponam,plene & perfectè sacramento & auctoritate ero sicut sum & tecum.

Concilium Calcedon. (ut in eius gestis legitur) tempore sancti

&i Leonis & Martiani Imperatoris acclamauit Leoni Papæ, Leo sanctissimus apostolicus & uniuersalis.

Et prius tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum (ut habetur di. 21. nunc autem) cum Marcellinus Papa & postea martyr timore ductus turificasset Idolis, Synodus episcoporum collecta huius rei gratia dixit. prima sedes non iudicabitur a quoquam.

Et longe ante Anacletus martyr Traiani tempore natione græcus, prima Athenien. ait. Sac. san. ro. & apostolica ecclesia non ab apostolis sed ab ipso domino & saluatore nostro primatum obtinuit, sicut beato petro apostolo dixit. tu es petrus & super hanc petram edifi. ecclesiam meam. & tibi dabo claues &c. ut habetur di. 22. sacro sancta. Et rursus ut habetur di. 21. in nouo. idem dicit. In nouo testamento post christum dominum a petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia christi datus est, domino dicēte ad eum, tu es petrus & super hanc petram &c. Et iterum. Eiectionem summorum pontificum sibi dominus reseruauit. 79. di. Eiectionem.

Marcellus papa & Martyr tempore Diocletiani & Maximiani, seu Constātij & galerii, qui imperij gubernacula susceperūt post Diocletianum & maximianum in ca. rogamus uos. 24. q. j. ait de petro. Ipse est caput totius ecclesiæ. cui dominus ait, tu es petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c.

Cypria. quoq; martyr in trac. de simplicitate prælatorum dicit ea quæ referuntur 24. q. 1. loquitur dominus. quæ breuitatis causa non duxi repetenda. In illis siquidem petri pontificatus satis pa tet, ut declaratum superius est.

Amb. in sermone. 47. de fide petri apostoli, & habetur di. 50. ca. fidelior. dicit de petro. Tanquàm bonus pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi infirmus ante fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei soliditate fundaret. Deniq; pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait dominus tu es pe trus & super hāc petram edifi. ecclesiam meam, petra. n. dicitur eo, quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit & tanquàm saxum immobile totius operis christiani cōpagem molemq; contineat. Et ide m hymno dominicali petrum petram ecclesiæ appellat, dicens. h o c ipsa petra ecclesiæ canente culpam diluit. Testatur siquidem Aug. in li. primo retrac. c. 21. hunc hymnum

Amb.esse. Et in sermo. xj. de mirabilibus. Hanc igitur solam ecclesię nauem ascendit dominus,in qua petrus magister est constitutus,dicēte domino,super hanc petram edifi.ecclesiā meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat,ut pereunte mundo omnes quos suscipit,seruet illesos. Cuius figuram iam in ueteri uidemus testō. Sicut.n. Noe arca,naufragante mundo cunctos quos susceperat,incolumes reseruauit,ita & petri ecclesia conflagrante seculo,omnes quos amplectitur,repręsentabit illesos. Et sicut tunc transacto diluuio ad arcam Noæ columba signum pacis detulit,ita & transacto iudicio ad ecclesiam petri christus gaudium pacis referet,quia ipse columba uel pax est. Et idem super epistolam primam ad Timo. cap.3. tractans illud,ut scias quemadmodum oporteat te in domo dei conuersari,quæ est ecclesia dei uiui &c.ait.Cum totus mundus dei sit,ecclesia tamē domus eius dicitur,cuius hodie rector est Damasus,mundus.n.in puaricatione est diuerso turbatus errore, ideo illic necesse est dicatur esse domus dei & ueritas,ubi secundum uoluntatem suam timetur.

Et in lib. de excessu fratris sui nomine Satyri,narrat,commendat ac tuetur cautelam ac sapientiam eiusdem in peregrinis partibus percunctantis,si episcopus esset catholicus,hoc est cum ro. ecclesia conueniret,dicens ca.7.Aduocauit ad se episcopum nec ullam putauit ueram nisi uere fidei gratiam, percunctatusq; ex eo est,utrum nam cum episcopis catholicis hoc est cum Ro. ecclesia conueniret.Cum ro. dixit,non Hyerosolimitana,non Antiochena,non Cōstātinopolitana &c.cur hoc nisi quia Ro.communis est omnibus catholicis,pculdubio ut caput? Simile siquidem apud Hiero.refugium inuenies, scribentem ad Damasum epistola.7.Ego interim clamito siquis cathedræ petri iungitur, meus est.

Hiero. super Matth. ait.Simoni qui credebat in petram christum petri largitus est nomen,ac secundum metaforam petræ recte,dicitur enim,edifi.ecclesiam meam super te. Rursus ad Damasum,& habetur.24.q.j. quoniam uetus.Ego nullum præmium nisi christum sequens,beatitudini tuæ.i. cathedræ petri communionem cōsortio,super illam petram edificatam ecclesiam scio. Et infra.Quicunq; tecum non colligit spergit,hoc est qui christi non est,antichristi est. Vbi nota Hiero. pro eodem computare christum & papam quantum ad ea quæ sunt fidei, de his .n. eum loqui clare patet uidenti epistolam.4. Idem quolibet lib. primo

mo contra Iouinianum ca.14. ait. Inter.12. unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. & loquitur proculdubio de electione petri non ab apostolis, sed a christo, ut patet ex solutione subiunctæ mox quæstionis. sed cur non Ioan. uirgo electus est? soluit. n. ne magister bonus qui dixerat pacē meam do uobis &c. in adolescentem quem dilexerat, causam præbere uidetur inuidiæ. Idem rursus epistola. 2. ad Damasum, & habetur 24.q.j. hæc est fides ait. Si hæc nostra confessio apl̄icatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me culpare uoluerit, se imperitum uel maleuolum uel etiam non catholicū, non me hereticum comprobabit Vbi quia uides, ex sedis apostolicæ iudicio pendere esse uel non esse catholicum, aut hereticum, summum christi in terris tribunal agnoscere potes, ad quod de fide iudicium spectare constat.

Augu. non solum petrum principem apostolorum affirmat. sed cum consuleretur sedes apostolica de fide contra pelagianam heresim, a duobus concilijs Carthagin. & Mileuitano subscriptus inuenitur. Et respondente innocentio papa ad Carthaginense quidem concilium. Patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quòd illi non humana sed diuina decreuere sententia, ut quicquid de disiunctis remotisq; prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum nisi ad huius sedis notitiam perueniret, ubi tota huius auente iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indeq; sumerent ceteræ ecclesiæ, uelut de natali suo fonte aquæ cūctæ ꝓcederent. Et per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorrupte manerent, quid præcipere, quos abluere, quos uelut in ceno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda uitaret. Ad concilium uero milenitanū. Quoties fidei ratio uentilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros non nisi ad petrū.i. sui nominis & honoris autorem referre debere, uelut nunc retulit uestra dilectio quòd per totum mundum possit omnibus ecclesijs in communi prodesse. Et idem ad paulinum epistola.106. referens hęc gesta commendat innocentij literas responsiuas subiungens. Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo quo fas erat, atq; oportebat apostolicæ sedis antistitem. Rursus secundo lib. de Baptismo, contra donatistas ca.1. (& habetur. 2.q.7. puto) petri cathedram cuilibet præfert episcopatui, cum comparando Cyprianum, petro ait. Veteri debeo ne in petrū contu-

meliosus existam, quis .n. nescit illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum? sed etsi distat cathedrarum gratia, una tamen est martyrum gloria. Item in. 2. lib. de doc. christia. non longe uersus principium, decretales epistolas apostolicæ sedis inter canonicas habendas scripturas censet, dicens. In canonicis scripturis ecclesiarum catholicarum, quam plurium diuinarum scripturarum solertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint quas apostolica sedes habere, & ab ea alii meruerunt accidere epistolas. Qui enim decretales fidei quas apud se habet uel alijs misit apostolica sedes inter canonicas esse habēdas scripturas affirmat, supponit proculdubio apostolicam sedem non solum cunctis prælatam sedibus, sed diuinam utpote fidei magistram.

Grego. in registri lib.4. epistola.32. ad Mauritium Augustum ait. Cunctis euangelium scientibus liquet quòd uoce dominica sancto & omnium apostolorum principi Petro apostolo totius ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur, petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur. ecce sathanas expetijt cribrare uos sicut triticum, & ego pro te rogaui, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur. tu es petrus & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis & quodcunque solueris super terram erit solutum, & in cœlis. Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur, cura ei totius ecclesiæ & principatus committitur.

Sanctus Leo primus, in sermone. 3. de anniuersario suæ assumptionis die ait. De toto mundo unus petrus eligitur, qui & uniuersarum gentium uocationi & omnibus apostolis cunctisq; ecclesiæ patribus præponatur, ut quamuis in populo dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamen regat petrus, quos principaliter regit, & christus. Magnum & mirabile dilectissimi huic uiro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & siquid cum eo commune cæteris uoluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit.

Venerabilis Beda super illud Io. 1. intuitus autem in eum Iesus dicit. Vidit cordis eius simplicitatem, animi sublimitatem, cu

ius

ius merito cunctæ esset præferendus ecclesię.

Bernardus non solum pluries ROM. pon. Iesu christi vicarium & totius ecclesię caput apppellat, sed in epistola prima ad Eugenium papam 237. in ordine epistolarum ait. Locus in quo stas terra sancta est, locus Petri est, locus principis apostolorum, ubi steterunt pedes eius, locus illius est, quem cōstituit dominus dominum domus suæ & principem omnis possessionis suæ, merito tali pastori, tali nutritio commissa est ecclesia, cum adhuc tenera adhuc in cunabulis esset. Et in epistola. 242. ad RO. quando discesserunt a domino papa, ait. Cur regem terræ, cur dominum cœli furore tam intolerabili, quam irrationabili in uos pariter prouocatis, dum sacram & apostolicam sedē diuinis regalibusq; priuilegijs singulariter sublimatā, ausu sacrilego incessere, suoque minuere honore contenditis?

Et in epistola. 131. ad Mediolan. de plenitudine potestatis apostolicæ ait. Romana ecclesia ualde clemens est, sed nihilominus potens, fidele consilium & omni acceptione dignum. noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis, debitam ei reuerētiam exhibebo & nihil amplius. Esto. Fac quod dicis, quia si exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super uniuersas orbis ecclesias singulari pręrogatiua apostolicæ sedi donata est, qui igitur huic potestati resistit, dei ordinationi resistit. Potest si utile iudicauerit nouos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt, potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita ut de episcopis creare archiepiscopos liceat, & ecōuerso si necesse uisum fuerit. Potest a finibus terrę sublimes quascunque personas ecclesiasticas euocare, & cogere ad suam pręsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire uidebit. Porro in promptu est ei omnem ulcisci inobedientiam, siquis forte reluctari conatus fuerit.

In gestis concilij Constantien. inter damnatos articulos Ioā. vviclef, & Ioan. hus, reperiuntur hi duo. s. Petrus non est, nec fuit caput sanctę ecclesiæ catholicæ. non est de necessitate salutis credere RO. ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. Et subdit. error est, pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares.

Sanctus Tho. in. 4. contra gen. ca. 76. postquam multipliciter probauit unum episcopum prælatum a christo toti ecclesię, subdit. Per hoc autem excluditur quorundam præsumptuosus er-

ror,qui se subducere nituntur ab obediẽtia,& subiectione Petri, successorem eius Ro. pon. uniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscentes.

In concilio quoque uniuersali Florentię sub Eugenio quarto, ubi Grecorum,Armenorum,& Iacobitarum cum Rom.ecclesia facta legitur unio,habentur hæc uerba. Diffinimus sanctam apostolicam sedem & Ro. pont.in uniuersum orbem tenere primatum. & ipsum Rom.ponti. successorem esse beati Petri principis apostolorum,& uerum christi vicarium, totiusq; ecclesiæ caput, & omnium christianorum patrem ac doctorem existere,& ipsi in beato Petro pascendi,regendi,& gubernandi uniuersalem ecclesiam a domino nostro Iesu christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Icumenicorum conciliorũm, & in sacris canonibus continetur. Hęc ibi. Vbi non nouiter ab hac synodo inuentam fuisse hanc definitionem, sed ipsam contineri in aliorum uniuersalium conciliorum gestis,& propterea hoc unum concilium sufficit pro omnibus, ad firmandam fidem huius ueritatis.

Prætereo turbam canonum, & doctorum (quam dinumerare nemo potest) idem sentientium. Tam euidenter siquidem ex his quæ attulimus clarum est Rom. ponti. Petri successorem, a christo in Petro institutum esse totius ecclesię pastorem, ut locus dubitationi nullus relictus sit.

Si quis autem post hæc hęsitans inuenitur, aut rudis & ineptus, aut cum hæreticis, seu schismaticis sapit, aut certe christianus non est.ineruditus quippe ualde,& indocilis est quisquis certitudinem mathematicam in omnibus quærit, ut philosophi tradunt. Hæreticorum,atque schismaticorum propriũ est sacra, uti scriptura,secundũ sensum tamen quo ipsi faciũt illam sonare. Christianorum aũt qui uere catholici sunt sapiẽtia, sacrã scripturã intelligũt secundũ sensum quẽ sancti doctores, quẽ sacra concilia,apostolica auctoritate roborata interpretant. Hunc sciendi christianã ueritatem modum quiquis repellit,christianus non est,ab hac uia qui recedit,infidelis inuenitur. Nam licentia exorbitandi ab hac uia si admittitur, trinitatis unam substantiam reuocare in dubium cum Arrio fas est, spiritum quoque sanctum procedere a filio,ambiguum adhuc cum priscis erit,panem in sacramento altaris conuerti in corpus christi dubitatur. Hæc.n. omnia nulla alia uia aut auctoritate sunt christianis reddita certa

&

& indubia fide tenenda, nisi interpretatione sacræ scripturæ iuxta sanctorum documenta, & sacrorum conciliorum auctoritate apostolica firmatorum diffinitionem. Quocirca, cum textus euangelici ad propositum adsint, & sanctorum doctrina conformis in proposito pateat, nullo penitus sanctorum reluctante, sacrorumque conciliorum cum apostolica auctoritate inueniatur definitio, omnisq; christianorum ætas à petro hucusq; in sancta ecclesia catholica hoc confessa inueniatur, reliquorumq; doctorum, testimonia innumera sint, certum ita redditur Ro. ponti. petri, successorem in petro a christo institutum totius ecclesiæ pastorem, ut certior fides haberi nō possit. Amen.

DE PAPAE, AC CONCILII POTESTATE COMPENDIARIA ENARRATIO, TRACTATIOVE'

Autore Iacobo Naclanto Clusiensi Episcopo.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. HERCVLI GONZAGAE S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO: NEC NON Apostolicæ sedis Legato, in Concilio Tridentino;

Iacobus Naclantus, Clusiensis Episcopus, Felicitatem.





T SI INTER *plurimas, præclarasq; animi tui dotes, eximium nunquàm satis, admiramur ingenium, prudentiam, religionem, liberalitatem, regios deniq; mores, et integritatem uitę, id tamē pre cunctis in dies suspicimus, quòd in aßiduis grauißimisq;, quibus nunquam non detineris opprimerisque negocijs, tam ardenter sacris uersaris in literis, ac si continuo potireris ocio. Testes sunt, non modo egregia librorum supellex, quos uersas omni die, sed & eruditorum frequentia, quos nedum alis, ditasq́que, uerum & coràm, frequenter habere uis: ne uel hora transeat, non dicam, sine linea, sed sine insigni fruge; postquàm & eo in tempore, quòd uel recreandis solet indulgeri corporibus, non desunt lectiones sacræ, aut Gymnasticæ, conferentiæ. O' pectus christiano Principe dignum, & potißimum si splendore fulgeat ecclesiastico. Et quid præstantius, in ecclesiæ Antistitibus; quid expetibilius, in Illustrißimis Cardinalibus, quorum sapientia ac moderatione, ut in constantioribus cardinibus, uoluendæ, ac reuoluendæ sunt ecclesiæ portæ? Siquidem eorum consilio, iudicioque, datis sibi à Domino clauibus, haud raro, summus. & aperit, & claudit Antistes, ad ædifi-*

ædificandos sanctos, ut Apostolus docet. Quid ergo? Factum est, ut pro sua, quæ summa est, benignitate, præfatis nonnunquam interfuerim conferentijs, in quibus, & si uaria, pro temporis oportunitate, semper tamen sunt allata grauissima, nec non, insigni, tum eruditione, tum pietate catentia, inter quæ accidit semel, qua nescio occasione, de Constātiensi, deq; Basiliensi loqui cōcilijs, in quibus quàm plura sunt de concilij & Papę tradita potestate; & quidem nonnulla quæ non uulgarem ingerunt quæstionem. Super quibus; & si coram dixi, quæ sentio, quia tamē res maiorem exigere uidebatur diligentiam, iussit in gratiam ueritatis, Illustrissima D. T. ut quæ perstrinxeram, compendio literis demandarem, ac in modum cuiusdam tractatus redigerem. Recusare non ualui, quin præstarem, quod mea fert imbecillitas, meum exigat munus, & illi obtemperare, & communi utilitati consulere. Ergo compendium offero: et T. Illustrissimæ D. censuræ subijcio. Quàm Deus felicissima seruet.

AD ILLVSTRISS. ET REVEREND.
D. HERCVLEM GONZAGAM S. R. E.

AMPLISSIMVM CARDINALEM, necnon Apostolicæ sedis Legatum, in concilio Tridentino, compendiaria de Papa deq; concilij generalis potestate tractatio, narratione.

Auctore Iacobo Naclanto, Clugiensi Episcopo.

PROCEDENDI METHODVS.



OLENS sicut & debui, tuis obtemperare uotis, iussisq; , Primo, statum aperiam causæ, Secundo, utramq; statuam potestatem, Tertio, ambarum perstringam collationem, & concludam intentum, Deniq;, & quinq; qui magis uidetur molesti, eruam scrupulos.

STATVS CAVSAE.

ADVERTENDVM, sermonem esse, de Papa, tum indubio, tum rite electo, Et de concilio æcumenico, legitime conuocato, & Papę, suis in legatis persidentia foto, Et de potestate legitima, non præsumpta, ordinaria, & non quæ esse posset, in casu.

POTESTAS PAPAE.

VT res sit illustris, quinq; perstringam. Quæ, Qualis, Quanta, Quorsum, & aquo. ergo, si quę sit requiritur, palam quòd est summi, supremiq; IESV CHRISTI Vicarij, eiusq; locum, in terra tenentis. Illud constat, non solum ex cap. Vbi periculum, De electione in Sexto, sed ex Martino quinto, & definitione Concilij Generalis, sub Eugenio quarto. Istud ex uerbo sumitur Christi, Oues meas pasce, iuxta interpretationem Crisostomi, esto mei loco præpositus. & fratrum tuorum caput.

ERGO perperam dogmatizant, qui uicarium censent ecclesiæ. Sicut enim, episcopo ecclesiæ peculiaris superstite, capituli sui, nō est, eius creare uicarium, minusq; creato potestatem præscribere, ita & uiuente, regnanteq; Christo, nostrarum Episcopo animarum (nam resurgens ex mortuis, iam non moritur, Et ipse,

heri,

heri, & hodie, & nunc, & in seculum) non est in uniuersalis ecclesiæ facultate: illius Vicariū cōstituere, aut ptātem decernere.

S i qualis, liquet nedum pastoralem, sed & Regiam esse. Id quod non solum Florentino in concilio, uniuersalis confitetur ecclesia (definiuimus, Romanum Pontificem, in beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi uniuersalem ecclesiam, plenā à Domino potestatem habere) sed & admonet Christus, qui Petro conferens Pontificatum, utroq; utitur uerbo. Agnos inquit pasce, & oues meas rege. Et iure, cum de Christo, cuius locum obtinet, scriptū sit. vt Pastor, gregem pascet, & regnabit rex, & sapiēs erit. Ergo, & summi erit Pontificis, suum in utroq; munus agnoscere, & quę tū Ezechiel admonet, trigesimo quarto, tum Hieremias uigesimo tertio, pro uiribus adimplere.

S i quanta, haud dubium, ꝙ si quæritur amplitudo, ad omnes, & super omnes, est protensa fideles, & per hoc, & ad quem libet terrarum angulum. Nam passim oues reperiuntur Christi & omnes sunt traditę Petro, & de ecclesia, sub uineæ typo, scriptum est, quòd a mare protenditur, usque ad mare, & a flumine, ad extremum terræ. Si eminentia, suprema, maximaq; est in ecclesia Dei, quod non modo, in concilio decretum est celebrato Florentiæ, sed & in concilio celebrato Constantiæ. Si uis uel efficacia, tanti decernitur roboris, ut non tantum ecclesiastico, quod decernitur in terra supremum, astringat tribunali, sed & (quod omnium præstantissimum est) super cælesti. Nam quod ligat, uel soluit, in terris ligatum est, & solutum in cælis, sicut & dominus attestatus est.

E r g o, & tropus consonat clauium, & præsertim regni cælestis, quod indubie sacrosancta ecclesia est. Quandoquidem regni claues, cum Principi offeruntur, non nisi insignum supremæ in illo potestatis, consignantur, quin & ea, ni fallor consignatione, ipse, uel regno inuestitur, uel inuestitum esse decernitur: Præter id, quòd Papæ datæ sunt claues; ut Thesauros ecclesiæ sacrosanctę, tum seruet accurate, tum impartiat oportune. Sunt quidem, Thesauri illi crediti, sapientiæ euangelicæ, cum penes illum, suprema eorum sit, tum approbatio, tum sensus, & expositio, & per hoc legitima eorum distributio dispensatioque. Sunt & archanorum, ac sacramentorum religionis Catholicæ, quorum apud illum, nedum plenissima est impartitio, sed & absolutissima resolutio. Qua dere, nec cui uis licet, è diuerso sen-

tire, quàm ſedes apoſtolica ſentit. Sunt & meritorum, & ſatisfactionum, tum Chriſti, tum per inſignium membrorum eius cum ad eum potiſſimum ſpectet, ſacras profundere indulgẽtias & eos qui ſoluendo non ſunt, ut qui in Purgatorio ſunt, ubertim ijs releuare ſuffragijs.

MITTO Theſauros temporales, cum nemo ire poſsit inficias, & illos catholicæ condonatos eccleſiæ, quando apoſtolo acclamante, & totius illi donatus eſt mundus. Et certum eſt, ſpirituale ſecũ attrahere tẽporale, ſicut & anima attrahit corpus.

SI quorſum, res eſt perſpicua cum apoſtolus tradat, in opus traditum eſſe miniſterij, ad inſtaurandos ſanctos, & in ædificationem corporis Chriſti. Et rurſum. Poteſtas ueſtra, non in deſtructionem, ſed in ædificationem & ſi illius ſit proprium, hæreſes, ſchiſmataque deſtruere, & oẽs ſathanę munitiones, oẽmque altitudinem, quæ ſe Deum aduerſus erigeret, prorſus euertere.

Si denique, & à quo, diximus, quin & ſatis probauimus, ab eccleſia nõ profectũ, ſed quia non deſunt, qui ſecus rem torquẽt præſtat id amplius conſtituere. Si poteſtas Papæ à poteſtate proficiſceretur eccleſię, uel diuino, uel naturali, uel canonico proficiſceretur iure. Non canonico, quando ut dictum eſt, Papa eccleſiæ non eſt Vicarius, nec ab illa ſuam accipit poteſtatem. Nec diuino, cum ea de re, nec uerbum in ſacris reperiatur literis. Minus dicendum eſt, naturali cum uim excedat naturæ, & longe exuberet, a qua uolueris humana facultate.

SED dicis. Dum uacat ſedes, nonne ſunt in eccleſia claues? ſunt quidem, at non omni cum plenitudine. Vnde nec poſſunt, ad oẽs forte, clauium actus, extendi. Et ſi forte poſſunt, haud dubium, quòd non tanto robore. Nam in Papa, tali quidem aperiunt pacto, ut claudat nemo, & ea claudunt efficacia, ut aperiat nullus. Quod indubie, de uacante ſede, dici non poteſt. Nam & ea quę tunc fiunt ſtatuunturque, non ſunt penitus ſolida, niſi Papæ acceſſerit confirmatio, ſicut & experientia docet.

At petis, quas quas habet tũc, eccleſia claues, non ne ualet electo paſtori tribuere? Reſpondeo. Eſtǫ poſſet, quam habet auctoritatem, conferre alicui, non propterea ſummum crearet Antiſtitem, cum plenitudinem conferre non poſſet poteſtatis. Adde, quòd ſuperueniente, qua a chriſto donaretur plenitudine, cum ea foret ampliter in illa contenta, indubie decerneretur ſuperuacanea, quin & cõfundaretur, inuerteretur q; ordo hierarchi-

chus

cus,de cuius ratione eſt,ut a papa claues cõicētur eccleſiæ, ſicut & a capite in corpus,membraq;, natura diffunduntur influxus.

Vrges tamen adhuc. Nonne eccleſia, in potiori ſui parte, in Cardinalibus inquã, eligit,conſtituit,creatq; pontificem? Ergo & ſupremam,illi adijcit poteſtatem. Eligit quidem papam,cũ electionis utatur forma,ſacriq; de illa, non raro diſpoſuerint ca nones,uerũ eligendo,mea quidē ſententia,nõ conſtituit,creatq; pontificem,ſed Chriſto,qui illũ inſtituit creatq;,offert,& præſen tat,uel ad ſummũ, a Chriſto inſtitutum, creatumq;, nominat & declarat,ſicut & factum eſt.in electione Mathiæ. Nam datis ſorti bus,aliud non intenderunt apoſtoli,niſi ut Chriſtus, a ſe electũ, tali oſtenderet pacto,ut acta teſtãtur apoſtolica. Hactenus de papa,pergamus,ſed breuioribus,de concilio.

POTESTAS CONCILII.

Igitur,ut perſtringatur,omnia ſimul complectenda ſunt. Ergo ſi ſane ponderetur, ſimpliciter quidem,tum cõſultoria, tũ cõ ciliaria,& quodã pacto, iudicatiua, uel diffinitiua auctoritas eſt. Cum.n. difficiliores cauſæ, urgentioraq; accidentia, ut hæreſes, ſchiſmata,cõmunes fereq; deſperatæ morum colluuiões. iure ad ſummũ deuoluantur pontificem, præſtat plures illum hēre,quos conſulat,qui concilient,decernãt,& iudicēt. Nec modo præſtat, ſed & iure habere conſtringitur,ut negocijs accuratius examina tis,maturiusq; diſcuſſis,& frugalius conſulat eccleſiæ, & ſuauius, quę conferunt,recipiantur ab omnibus.

Iure inquam aſtringitur. Tum naturæ,cum poſtulet prudentiæ ratio, & potiſſimum in maximo principe, & arduis præſertim in quæſtionibus,peritos cogere cõſiliarios,& eorum ponderare iu dicia. Propter quod,& ut partes inſignes,Ebuliam Syneſimq; cõ plectitur,ut & philoſophus docet:nempe, ut illam conſilietur cir cunſpecte,& per hanc iudicet prouide ac mature. Tum ordina tionis dei, qua motus apoſtolorum princeps, grauis, arduaque quæſtione propoſita,& de hęreſi,quin & de euangelij euerſione, ſuſpecta:euocatis qui Ieroſolymis inueniebantur apoſtolis,& ſe nioribus,ea ſuper conſilium habuit & unã cum eis, ſpiritu ſancto dictante, rem abſoluit, huncq; in pactum. Antiochenæ, prouidit eccleſiæ,in qua erat orta diſſenſio, per hoc, & diuino prorſus au ſpicio, & Synodis patefactus eſt aditus.

Vtroque inquam aſtringitur iure:at non ſemper, non paſſim: ſed oportune,ſed pro loco & tempore, quin nec ſemper expedi

ret,nec passim possent concilia congregari. Astringitur, & in concilium euocare episcopos: quippe qui,non solum ex primis sunt christianæ reipublicæ senatoribus,in quibus,& præ reliquis, relucere debet sapiētia dei,sed suo ex munere, sunt speculatores facti,& in partem solicitudinis assumpti, utqui sunt membra suprema,& Christi uicario familiaria,proximaq;. Ergo & iure,oneri habent colla subijcere, & in ecclesiæ moderatione, suo pro officio laborare,aliàs frustra urgeret apostolus, illos a spiritu sācto,episcopos constitutos,ut moderentur ecclesiam dei.

Non astringitur tamē, illis consultis, eorūq; placitis auscultatis,conclusam per eos sequi sententiam, idq; non simplici, sed duplici ratione. Altera est,quia sunt (ut diximus) simpliciter consultores, siue consiliarij si mauis, quemadmodum, uel ipsum nomen ostendit. Siquidem concilium, dictum est,quasi cōsilium, siue considium,eo quòd consiliarij, solēt sedere cū principe, idq; grā,nedū honoris,sed & certi mysterij,nēpe,ut animū,uel sic,moneantur gestare sedatum,& priuatis affectibus alienum.

Quanquam nec minus arridet, concilium a conciliando deductum,quasi ꝙ ea ut plurimum,cogatur ratione,ut sano, ac circūspecto iudicio & consilio,tum hæres,tum sectę,& alia componantur,concilienrq; portentosa monstra, ut experientia præ se fert.

Et quoniam in actu iudicij, consilium consumatur, cum eius conclusio illius sit & sententia,prout & philosophus monet,haud mirum,si & consultoribus,nomen conceditur iudicum,censorū, decernentiumq;.Non loquor modo,de indulta a papa concilio, definiendi facultas,quoniam extra institutum est. Quam tamen & tractabimus,sed oportuno loco.

Reliqua ratio est,ꝙ & si in concilijs rite uocatis, suoq; munere inculpatis fungentibus, adest Christus (nam ubi sunt duo, uel tres,in medio eorū sū)& si adest spiritus paracletus,ut qui ex pollicitatione Christi,ecclesiam nō deserit(præter id,ꝙ singulis,uno non suffragaī pacto,non eadē doni copia, & mēsura,sed cuiq; ꝑ rōne mēbri,& mensura qua donatus est fidei, palā ꝙ alijs,ea non adsunt firmitudine, non eo robore & efficacia, quibus præcipua adsunt ecclīæ mēbro,ecclīæ inquā capiti, & vicario Christi Iesu. Cui & tātopere,& promissum,& creditū est fidei munus,ut iure, super illū ędificeī ecclīa. Nec ꝑpea, gratior est deo papa,ecclīa sibi credita,quin & eo gratius esse pt, infimū ecclīæ mēbrū,imo & cōtingit papā esse,sine gratifica grā, quādoq; dē id muneris,nō

cōferrī ei,ob grām sui,sed crediti sibi officij,ecclię frugē & salutē.

Ergo opus non est,ut papa,iudicium semper amplectatur concilij,minusq; uerū est,quæ conciliū sanxit, esse firma, pœnitusq; consistentia, nisi consensus, probatioq; sedis accessoriæ apostolicæ. De qua tamen re,in sua tractatione,abunde. Et quis nescit, monstrum esse, mēbra dirigere caput, illius præscribere legē,cū è diuerso,capitis sit, dirigere corpus, rectamq; ostendere membris? Tametsi,eorum sit capiti subministrare, quin & cum opus foret,debēt se precisioni,illius pro salute exponere, ac iacturam extremā sufferre. Habent & quæ diximus naturæ consensum, cum & mundi principes, consilientur sæpe, suorumq; excuti aut iudicia Satrapum, & tamen sine illorum iniuria, uel præiudicio, eorū non semp sequunt placita,quin & non raro secedūt ab eis.

Et quanquam res ita se habet,consonat tamen, ut consultorū iudicia prudentissime ponderet,& quantū fas est,complectatur probetq;. Quod & non raro, quin & frequentissime fit, cum & sacro iudicetur decernaturq; approbante concilio,ut experientia docet. Nec quidem immerito,cum & Christus,in hoc facile referatur,qui & si omnem nactus est potestatē, & creditū quodcunq; iudiciū,uult tamen apostolos, & alios insignes amicos, & in supremo quoque iudicio habere coniudices,prout euangeliū instruit.

Ex ijs tandem haud difficile est,quæ,qualis,quanta, quorsum, & a quo, potestas in concilio sit (ut locum attinet) animaduertere,& per hoc,quam facile est,quantum a papæ superetur potestate, iudicare.

COLLATIO ET INTENTA CONCLVSIO.

IGITVR cum potestas Papæ,ptās sit capitis, & concilij mēbrorū sub capite,illa pastoralis,hæc sibi creditarū ouiū,illa regia hæc cōsiliaria,illa penitus diffinitiua, hæc diffinitionis ambulatorię,illa a Christo proxime,hæc ab illo,sed p summū Pon. haud dubium, quod illa hanc longo superat interuallo,& per hoc quòd pspicua,ac indubitata,inferī de pposita qōne cōclusio resoloq;.

NOTANTVR, ET ERVVNTVR SCRVPVLI.

Licet hac in re,plures offenderētur scrupuli,quinq; tamen unī molesti. Ergo eruendi, tū sigillatim,tum breui, sed perspicue.

Primus, ex Christi sumitur uerbis (dic ecclesiæ,quam non audiens,habeatur,ut Ethnicus) Hinc supremū colligūt iudiciū,reiiciendū non in papam,sed in ecclesiā esse. Verum quam hæc sint

euanida,haud difficile est euincere.

ADMONEBAT Dominus Petrum(ita quidē docet ecclesia, dum inquit,Dixit Dominus Petro,quid nam agendum sibi,siquis ex tribus,hoc est fidelibus, scripturæ consuetudine (sicut enim, per lauacrum,Dei regignimur filij, ita & sub Deo, omnes euadimus fratres) peccauerit.(nempe peccato scandali) ut patet ex contextu,præbendo scilicet,quo anima impingat,offendiculum. Et tale quidem,quòd licet foret ille, frater tam charus, tamq; oportunus,ut oculus,per,uel manus, foret nō immerito traēdus non immerito resecandus, si inq; peccauerit,in te, quod intelligo, nedum illi in personam,onus,& officium, sed & in eius oues, uel ouem . Siquidē in pastorē,pecatur cū illius ouis offendit,propter quod & iure querebatur Paulus,Quis scandalizatur, & ego non uror? uade,non expecta(ita pastoralis sollicitudo requirit officij)& corripe(non primum ut iudex,sed ueluti frater,nempe amice, fraterne,& propterea) inter te & ipsum solum.

QVOD si te,tali monentem Pacto,audierit, lucratus eris fratrem. Si uero contempserit, secundo incipias te habere, ut iudex,quare & tecum adhibe unum,uel duos,ut in ore duorum testium, stet omne uerbū. Duo ergo adhibendi sunt testes, non solum,ut ad ulteriora procedens,super a se facta testentur admonitione,sed ut & sua quodā pacto præsentia, saltem peccantem commoneant,ac ad resipiscendū extimulent, Quod, & uerbum (si illos audierit)perspicue præsefert. Deniq; si iudicium orsus, non proficis Petre, & testibus præsentia admonentibus, frater non emendatur,ad sententiam propera.Quare Dic ecclesię.

COMPERTVM est,ecclesiæ uocem (& si uocatam exprimit multitudinem)ad uniuersalem cetū,non semper restringi.Quod non solum ex pluribus conuincitur scripturę locis(Paulus, ecclesiæ quę est Chorinti;salutare ecclesiā Aquilę & Priscillę)sed & ex prefato domini uerbo,quādoquidem exploratum est,ob pecantem,uel scandalizantem me fratrem,non oportere æcumenicum congregare concilium.Quare,Dic ecclesiæ, perinde est ac,pluribus conuocatis,quod in te peccatum est fratris,annuncia, ut uel tali pacto,pluribus astātibus,suaq; saltem pręsentia commonentibus,confundentibusq;,urgentes habeat ad resipiscendum stimulos. Quod tamen,si contempserit,in illum sentētię iaculo, & ob id,excommunicationis fulmine animaduerte,illum a fidelium cætu segregando,ac non secus ac ethnicus, membrumq; putridum

ex

ex ecclesiæ corpore abscindendo.

ERGO, illis ex uerbis, nihil aduersus, quam attulimus, sumitur ueritatem, quin & non mediocrē, accipiemus illius confirmationem, siquis rem rite discutiat. Præter id, quòd & hunc apostolus seruauit ritum, cum aliquibus corintiorum ecclesiæ cōgregatis, cum quibus, ut dicit, fuit in spiritu, in cestuosum tradidit sathanæ, ut resipisceret. Non ergo, supremum hinc tribunal docemur esse ecclesiam, sed de modo, quo pastor, est fidelibus, emēdandis, puniendisq; uti debet instruimur. Vnde ne pastorum floccipendantur potestas, nō ad ecclesiam, sed apostolos, & per hoc, non solum ad Petrum, sed & alios, in sollicitudinis partem assumptos, uerba conuertens, Quecūq; inquit ligaueritis super terram, ligata erunt, & in cœlo, & quecunq; solueritis super terram, soluta erunt & in cœlo. Sed secundus emergit scrupulus, isq;, hunc in modum.

SI apostolis omnibus, & per hoc, tenētibus eorum loca, episcopis, una eademq; (itaquidem ea preferunt uerba) est collata potestas, palam quòd in ea non preeminet Papa, ergo nec summa, uel suprema illius erit potestas. Eruitur scrupulus, siquis attendat quòd admisso oībus, illis in uerbis, eandē concessam esse potestatem, id non fore intelligendum simpliciter, sed proportione. Nempe, ut quòd Petro creditum est, super ecclesiam uniuersam, reliquis concessum sit, super diocesin propriam, idque (ut ordo seruetur ierarchicus) dependēter a Petro, Vt non quidem tenere, & primum illa promissa sit soli, & postmodum alijs, nec quidem seorsum ab eo.

DEINDE dici potest, quòd esto omnibus apostolis, forent dicta simpliciter, non propterea eiusdem illi concederent autoritatis cum Petro, cum illi, non modo tunc fuerunt dictam cum alijs sed & antea, ut tactum est, eidem dicta sunt soli, & maiori (ut Origenes tradit) tū ubertate, tum amplitudine. Preter id, quòd cum dicta sunt Petro, lōge preclarioribus copulata sunt uerbis, quibus & multo prestantiora sunt promissa, & oportune, cumulatissime sunt exhibita, traditaq;. Nempe quòd super illū, erigenda foret ecclesia, quòdq; & illius reciperet claues, quod nusquā alijs est dictum apostolis.

TERTIO respōdetur, quòd etsi in ecclesiæ administratione apostoli ut Patres dicunt, admittuntur pares, id tamen, non ut Petrus, nati sunt ex officio pastorali, sed ex munere apostolico. In

quo extiterunt quidem pares,tam &si ex institutionis modo,magis deferatur Paulo,ut non iniuria, uocitetur apostolus, & in sigillo Papæ,ut notat Thomas,ad dexteram collocetur Petri.

TERTIUS ex uerbis trahitur Augustini,qui Petro datas asserit claues,in persona ecclesiæ,Et quod cum illas accepit, ecclesiam significauit, Et quòd illustrem non habent intellectum, si Petro intelliguntur dicta,& non ecclesiæ applicata.

REVEREN. Et primo recolendo, quòd sicut ciuitatis nomine,nonnumquam primores intelliguntur ciuitatis,ita & ecclesiæ uoce(quæ & sanctorum ciuitas est) nonnumquam summi intelliguntur Pontifices,non exclusis & qui sub pontificibus sunt, primi senatores,quales decernuntur episcopi. Ergo cum Petrus dicitur claues in persona ecclesiæ accepisse, uel ecclesiam cum illas accepit significasse, aliud non intenditur, nisi quòd illas, Petrus accepit,non solum pro se, sed & pro successoribus suis, quin & pro sub se futuris episcopis,quippe qui,sicut Petro,uti coadiutores sunt dati,ita & in partem sollicitudinis sunt ascripti.

Et quidem quòd illas acceperit,nedum pro se, sed & pro successoribus,non est cur moremur,cum id omnes fateamur, At quod & pro episcopis,sub se laborantibus,ac ueluti ipsi subseruiẽtibus, satis iudicarunt patres,ut Basilius,Ambrosius,Augustinus, Athanasius,Leo,& alij,dum uerba,per quæ Petrus institutus est Papa, nempe,pasce,regeq; agnos & oues,docent(& si præcipue, dicta sunt petro, uti generali pastori) alios quoq; complecti episcopos,nõ secus ac coauxiliarios eius. Sed de hoc alibi oportunius.

Secundo dicitur,quòd esto,ecclesię uox, pro cætu sumeretur fidelium, petrus in ecclesiæ persona claues accepisse diceretur, non quasi ipse non acceperit,sed quia ab ecclesia non acceperit separatus,sed in persona ecclesiæ insitus, immo & ut nobilissimum in ea membrum,quoniam illi,ut caput datum, ac præpositum, docet & frequẽter Augustinus,docet & aliquando apostolus,ex fidelibus christoq;,unum confici corpus,quin & hominem unum,& per hoc,& unã quodam pacto personam, eamq; mysticam,cuius ipse sit caput,& nos reliqua membra.

Ergo sicut Papa,locum obtinet christi,ita & ut caput, in hoc decernitur corpore. Ergo cum munus Papæ,munus sit capitale, eiq; non congruat,nisi reliquis uniatur membris (nam membra à corpore separata,alterius sunt rationis, sicut & philosophi docent) palam quòd ei potestas,non conceditur, nisi ut existit in

orpore

corpore,& per hoc,ut in persona inuenitur ecclesię. Et quoniam caput refertur ad corpus,illudq; non secus ac correlatiuum concernit,haud inepte in Petro capite, ecclesiæ consignificatum est corpus. Quod hanc sequendo responsionem, ad uerba sufficeret Augustini,tam & si prior respōsio,illius forte assequatur mentem,quadretq; suauius,ut considerare facile est.

Ex ijs liquet,quòd si ad Petrum,sua quis in persona,christi uerba restringat(& si uerbis,sensum largiretur non malum) sensum tamen non largiretur illustrem, sicut qui ex Augustino expositus est.

Quartus ex concilio breuiter Constantiæ, in quo non semel concilium anteponitur Papæ,quin & concilio,eousq; decernitur subditus,ut ualeat ab eo cogi,puniriq;.

Qua in re, sunt qui distinguunt,inter Papam certum,& dubiū, rite uel non rite electum,uoluntq; quòd dubio, perperāq; electo pręualeat,& quòd in hoc tantum casu,concilium Constantiense disponat. Sed hæc,non sunt satis. Licet quidem non repugnem, Concilium præsertim legitimum, dubio perperamue electo Papæ, merito anteponi, eo quòd dubius, maleue creatus,sicut non breuiter ut Papa, ita & si qua foret, eius non reputaretur potestas, non tamen consentio, Concilium,suis in decretis, illud intendere.

Nam licet,cum illud ageretur, esset in ecclesia schisma, tresq; uiri sedem occuparēt apostolicam,quorum nullus indubius,nullus rite electus,ualeretq; concilium, ex decreto saltem Nicolai secundi,in singulos animaduertere, quia tamen in tertio, quod ab eo aditum est,decreto,non solum de Concilij Papęq; auctoritate,disponitur pro tempore,negòcioq; quod instabat, sed & de quocunq; rite collecto concilio.& papa quouis modo, ecclesiæ sacrosanctæ præposito.(tam & si ea semper usum est moderatione, ut illum non subdat passim, non in qua uolueris & sed in ijs. quę sunt fidei,schismatis,& reformationis) haud dubium, quòd latior apparet iunctio eius.

Tradunt alij,quòd cum illa sunt promulgata decetta, concilium non erat œcumenicum,cū non omnes adessent obedientiæ (aderat tantum Ioannis uigesimi tertij)et per hoc, quòd nullius erat auctoritatis. Adduntq;,& recte,quòd etiam si omnes affuissent obedientiæ,& quouis ex mundi angulo extaret concilium congregatū,uim nō haberent decreta, nisi Papæ accedente pro-

batione, confirmationeq;.

Sed,nec ista,sunt penitus firma. Et quod concilium attinet, si non undiq; est collectum,illius culpa non accidit,cum omnes, & omni ex loco,essent uocati,quin & expectati,& tempus oportunum concessum. Quare si non fuerunt præsentes, non concilij, sed eorum factum est præiudicio. Et exploratum est, Dominum, æque salutem operari posse per paucos,sicut & per multos, & est promissum ab eo, qui mentiri non ualet, quòd ubi fuerint duo uel tres, eius in nomine congregati, quòd eorum in medio est. Quod de Papę subdunt probatione,recte quidem dicunt,sed prę ter concilij intentionem,mentemq;.

sed esto res ita se habeat, non ne & præmissis accessit Papæ probatio? Legant qui uolunt Diploma Martini quinti, in postrema concilij sessione, & cognoscent à summo probata pontifice, dum omnes illius sanctiones,omniaque decreta,quæ in materijs determinata sunt fidei,summus recipit pontifex, quin & laudat, & sancit. Ergo, probat & sancit, omne concilium rite collectum, posse supra papam,etiam indubium,& eius promotum creatúq;, cum hæc sine controuersia, fidei subsint catholicę.

Quid ergo? respondeo. Et quoniam in hoc potissimum uertitur cardo,probauerit nec ne Martinus præmissa decreta, ideo in hoc insistendum,ut scrupulus eruatur. Igitur attendendũ,quòd decreta de concilij,supra papam,potestate, nõ sunt in bulla Martini cõprehensa,sicut uel ex eo potest euinci,quòd fere mox,contrarium sancit,dum,qui papam non credit successorem Petri, & supremam habere in ecclesia potestatem, hæreticum esse decernit.

Et licet,non diffitear,quin & papa,in suis quæ statuit interrogatorijs,quibus tunc tẽporis,hęretici erant examinãdi, demonstrat satis ad fidem,hunc pertinere articulum, quia tamen à patribus, eo in concilio, nõ est derisum,rem esse fidei, omnibusq; credendam,de necessitate,quin nec uerbum,hac sub ratione, ea de re habitum est,immo & eousq;, fidei instituti non fuerunt iudices,haud obscurum,quòd non fuit,nisi ut iurisdictionis materia pertractata,& non alia ratione definita,ergo non est à Martino in illa approbatione comprehensa.

Vnde & Basiliense Concilium, Constanciensis inhærendo decretis,illisq; de quibus est sermo resumptis,tamquam rem indecisam,minusq; an ad fidem pertineret declaratam, ad fidem illam

ſtatuit pertinere,ut in illius trigeſima tertia, legitur ſeſſione. Ergo,hunc in modum eruendus eſt ſcrupulus,ut concilij Conſtantienſis decreta, in tantum ſunt rata, inquantum ſunt a ſede apoſtolica ſtabilita,ergo cum hæc non probauerit, ſed potius oppoſitum definierit, palam quòd hac ex parte, nulla poteſt eſſe moleſtia.

Quintus, ex Baſilienſi fouet concilio, quod & legitime eſt inchoatum, & a multis,ut ſacroſanctum receptum. Siquidem nō ſolum ſuis ſtatuet in decretis,concilium eſſe ſupra papam, etiam indubium, & rite creatum, ſed ꝙ & in illum per concilium poſſit animaduerti. Idque non ſolum uſque ad ſuſpenſionem,ſed & ad depoſitionem.

Et quanquam dici poteſt,& recte, cōcilium hoc, & ſi legitime congregatum, mox tamen præſumptuoſum effectum, ut quod plura ſupra uires tentauit, perperamq; conſtituit, quin & quòd ob id,parum,uel nihil,ſit pendendum a nobis,immo & quòd omnia ac eius acta, ab Eugenio,ſunt reſciſſa,qui (licet temere ab illo ſit depoſitus,ſemper ab eccleſia,ſummo pro pontifice eſt habitus,& adoratus, nihilominus quia & quoddam Eugenij habetur Diploma, quo illi non mediocriter fauet, ſcrupulus fomentum aliquod habet.

Qua de re attendendum,quòd poſtquam concilium extitit cōgregatum,ut tactum eſt,eouſque præſumpſit, ut papam aduocaret. Et quidem,non ad concilij ornamentum roburve,ſed ad rationem reddendam ſui mnneris. Quod pontifex (ut par erat)nō ferens,mox concilium,è Baſilea,Bononiam tranſtulit,& per hoc in Baſilea diſſoluit. Et quoniam ea ſuper re, maximi ſunt excitati tumultus, multa & grauia diſſeminata ſcandala, coactus eſt pontifex, tranſlationem diſſolutionemq; reuocare, & cōcilium, prout fuerat in Baſilea dimittere.ſic habet Diploma.

Dudum ſacrum generale Baſilienſe concilium, per generaliū Conſtan. & ſancta'. conciliorum ſtatuta, approbationemq; Fel. recor.Martini quinti,ac noſtram, pro extirpatione hæreſum, ac generali reformatione eccleſiæ,in capite & in membris, & pertinentibus ad ea,ex certis cauſis, in alijs literis noſtris expreſſis,de fratrum noſtrorum. S.R. E. Cardinalium conſilio diſſoluerimus. Et ſequitur.Verum cum ex dicta diſſolutione, ortæ ſint diſſenſiones graues, poſſentq; & grauiores oriri, nihilq; magis optemus

quam quòd prædicta sancta opera, suum debitum consequantur effectum, decernimus & declaramus, præfatum generale Basiliense concilium, a tempore prædictæ inchoationis suæ, legitime continuatum esse, prosecutionemq; semper habuisse, continuari & prosecutionem habere debere ad prædicta, & ad ea pertinentia, perinde ac si nulla facta fuisset dissolutio, quin immo prefatam dissolutionem irritam & inanem declarantes, ipsa Basiliense concilium, pure, simpliciter, & cum effectu, ac omni deuotione prosequimur, & prosequi intendimus &c.

Ex ijs plane perspicitur, quòd (si concilium a sua inchoatione, eousque, legitime est continuatũ ac prosecutionem sortitum, ex Eugenij decreto, ac declarationes) conciliũ est ab eodẽ probatum, & quæ egerat decreta sunt stabilita, ergo & quòd concilũ sit supra papam, non modo est concessum, sed & ratificatum.

Admittunt aliqui, illis ex uerbis, & probatum eousque concilium, & eius firmata decreta, sed subdunt, id ab Eugenio factum coacte, & eapropter inualide. Quare & quam primum licuit, & decreta rescidit, illis non parendo, & concilium illud dissoluendo & alii conuocando.

Verum & si hæc possent forsitan tollerari, non tamen subscribo, quandoquidẽ (præter id, quòd indigna pontificio uidentur tribunali, quod non debet, uel ad horam, falsitati cedere, quin & optabilius foret põtificem mori, quam sua gloria euacuari) & si res aliquid passa est uiolentis, sine illius tamen non est facta consensu, quin & eius efficaci facta est uoluntate, non minus quam mercium proiectio a domino proficiscitur uoluntate.

Dicendum ergo, Eugenium illis in uerbis, minime comprobasse decreta, cum nec mentio sit facta de eis, & errorem continerent in fide, quin & fere mox, contrauenit facto, nedum creando Cardinales, sed & concilium iterum dissoluendo, & tamen utrumque prohibitum fuerat a concilio, sed solum explicasse, legitime continuatum esse, & continuandum fore.

Et ut res sit perspicua, attendendum, quòd licet postquam cõcilium legitime extitit congregatum inchoatumq;, multa, ut nõ semel diximus, præsumptuose egerit, propter quæ merito fuerat nedum sua potestate priuandum, sed penitus dissoluendum, sicut & factum est; nihilominus quia dissolutio non fuit oportune, uel alio forte modo, quam debuit, potuitue, ex quo ortę sunt perturbationes,

turbationes, & ſcandala, non irrationabiliter, coactus eſt Eugenius, diſſolutionem reuocare, & ita concilium, eo in ſtatu, robore, & conditione, in quibus ante diſſolutionem habuit ſe ſe, derelinquere.

Ergo a mota diſſolutione, nihil aliud fit, niſi quòd a concilio, quæ fuerat ſuperinducta diſſolutio, interpolatiove, detrahit, & ita in ſua remanens continuatione diminuitur. Ergo ex bulla Eugenii, nec acta, nec concilium, aliquid nanciſcitur roboris, uel probationis; ſed tantum quod illis ablatum fuerat reſtituitur, actis & concilio, in eo quod habebant ex ſe robore, aut ui (quæ plane nulla forſitan erant) remanentibus. Hactenus de ſcrupulis, & ad præſens de hoc toto negotio. Ad Laudem Dei.

Amen.

AN DECRETA ACTAQVE GENERALIS CONCILII EXIGANT NECESSARIO CONFIRMATIONEM PAPAE;

Compendiaria enarratio, Tractatioue.

Autore Iacobo Naclanto Clugiensi Episcopo.

Rogaui pro te, ne tua deficiat fides: et tu aliquan do conuersus, tuos confirma fratres. Luc. 22.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. CAROLO BORROMEO S.R.E. AMPLISSIMO CARDINALI;

Iacobus Naclantus, Clugiensis Episcopus, felicitatem perpetuam:



VM quendam, forte fortuna, uisitandi gratia, conuenissem ex Dominis, huic sacro concilio intendẽtibus, nonnulli aderant, ut sæpe accidit, eruditi, qui de conciliarijs conferebant Decretis, sanctionibusq;. Quare, & in eandem deuentum est, disceptationẽ, esset quidem opus, necne, à Concilio Definita, a sede probari firmariq; apostolica; ut postremum sortirentur robur. Et quãquàm coram explicarim, quæ merito cõprobarim, duxi tam in animum, ueritatis ingratiã, ac catholicæ fidei attestationẽ, negocium compendio demandare literis, ne mea pro imbecillitate, rei non deessem tam oportunæ. Igitur rem paucis absolutam, non secus ac meæ erga illam, obseruantiæ, ac obsequentissimæ seruitutis, pignus, suæ Illustrissimæ Dominationi ascripsi, dicauiq;. Fateor, res est per exigua, at non perexiguus est animus, si posset præstare maiora. Quam Dominus perpetuo seruet, & in dies, ad cõmodum, frugemq; ecclesiæ uniuersalis, semper amplificet.

AD


AD ILLVSTRISS. AC REVEREND. D. CAROLVM BORROMEVM S. R. E.

AMPLISSIMVM CARDINALEM,

An decreta concilij, confirmanda sint necessario, ab Apostolica sede, compendiaria enarratio tractatio ue.

Auctore Iacobo Naclanto, Clugiensi Episcopo.

PROLOGVS.



ET SI ecclesia christi, multos complectitur populos, & si potentes admittit & diuites, & si uiros suspicit probos, optimosq;, diuina tamē disponente sapientia, nō Democratico, non Olygarchico, non Aristocratico, sed Monarchico regitur principatu. Nam cū Deo foret acceptissimum Regnum, ac unicè dilectum Peculium, illam Vnigenito tradidit, quin & ea, illum (cum à mortuis resurrexit) inuestiuit. In qua & uoluit, tum esse, tum principem summum, tum pastorem maximum. Quod non solum oracula precinunt, sed & epistolæ admonent apostolicæ. Illud ut optime cōsuleretur ecclesię (nam entia, ut inquiunt, nolunt male disponi, nec confert pluralitas principatuum) Istud, ut ubertim sanctificaret populum, non modo extergendo suo sanguine sordes, sed & immaculatam iugiter offerendo ecclesiam Deo.

Verum cum illam, corporea esset relicturus præsentia, Petrum, & qui Petro, rite succedunt, suo substituit loco nec dissimilibus, principatus, ac pontificatus, honestauit titulis. Et quoniam ęquum est, summum subrogatum Principem, & Pontificem, in rebus arduis, urgentibusq; negocijs, suæ ditionis primates, insignioraq;, aliquando cogere membra, illa consulere, eorumq; percunctari placita, haud mirum, si quando, generalia in ecclesia sunt celebrata concilia, eaq; non uulgari potestate donata, ut frugalius prospiceretur ecclesiæ. At quia, nec possunt, nec forte æquum esset, si possent, semper Pontifices maximos, eiusmodi interesse comitijs (postquam illa, sua fieri decreuerint auctoritate, legatosq; qui rem moderarentur, miserint) solent postremam (ut

par est, eorum quæ agitarentur in Concilijs, sibi reseruare sententiam. Id, quod & in Generalibus, præclarioribusq; semper seruatum fuisse concilijs, rem expendenti compertissimum est.

Verum quoniam ijs diebus, res a quibusdam reuocatur in dubium, dum non nulli, conciliorum Acta, Decretaq;, Papæ probatione, uel confirmatione non accedente, ausi sunt astruere ualidissima, ab re esse nō duximus, si nostra pro tenuitate, hæc certis solidisq; constructa fuerint fundamentis. Quare hanc compendiariam enarrationem, seu tractationem fecimus, ut ualeat quis, ueritatē agnoscere, & ob id, Deo optimo Maximo, a quo omnis profici scitur ueritas, agere gratias. In cuius gloriam, hæc à nobis, potius attentata, quam explicata esse uolumus, cupimusq;, prout & postulat natura, ratioq; compendij. Ergo paucis rem aggredior, nedum sub censura ecclesię sacrosanctæ, sed & cuiusuis probatioris iudicij.

QVESTIO.

An Acta, Decretaue, Generalis Concilij, Papæ egeant Confirmatione.

QVAESTIONES STATVS.

NON est quæstio, de quouis generalis Concilio, sed de eo, quod est rite collectum, & Legatorum Apostolicæ sedis, tū præsentia, tum auctoritate firmatum.

Nec hæsitatur, de rei decentia, sed necessitate, quandoquidem, non quęritur, An expediat, sed An reuera sit opus.

QVORVNDAM ASSERTIO.

SVNT qui partem astruant negatiuam, quoniam etsi consentiunt, probationem expedire, id tamen pernegant oportere.

Fundamentum afferunt, non quia Concilium sit supra Papam, sed quia tali pacto concilium sumptum, summa fulcitur auctoritate, cum potestas in eo (suis saltem in legatis) summi reperiatur Pontificis.

Quare, & ecclesiam representare contendunt uniuersalē, quæ indubię, & summam, & omnem ecclesiasticam complectitur potestatem, quā, & immediate habet à Deo.

Ergo

Ergo (ut subdunt) omnes illius, sumus astricti decretis, & illis maxime, quæ sunt definita, de fide, cum, & si omnia, hęc tamē potissime, sint à spiritusancto profecta. Ergo & hęreticum docent, secus sentire.

Non desunt, qui positionem hanc, alio construunt fundamento, nempe, qui alia non putant opus esse Papæ potestate, præterquàm in cogendo concilium, qua de re suo dicendum est loco.

DOCTRINA CATHOLICA.

CONCILIVM, de quo sermo, proxime potestatem habet, à Christi Vicario, at non omni plenitudine. Quin, nec suas uices, ualet Papa, cuiuis absolute, simpliciterq; committere.

Quare nec ecclesiam repręsentat, simpliciter uniuersalem, nec quæ decernit, quousque non probentur a Papa, supremum sortiuntur robur.

Ergo, & quæ statuit, ad ecclesiæ disciplinam, uel morum moderationem, uim eousque non obtinent legis, ut ad eorum simpliciter astringant obseruantiam, & quæ in materia decernuntur fidei, nobis non sunt prorsus, eousque indubia.

Et cum hæc sententia, sit catholica, ab ea nefas est dissentire. Nec modo secus dicere, ad hæresim pertineret, sed & hæreticum, addita estimatione, decerneret.

DECLARATVR CONSTITVITVRQVE *præmissa Doctrina.*

CONCILIVM de quo sermo, proxime potestatem habet, à Christi Vicario.

Potestas in proposito, non pro consultoria, de qua aliàs dictum est, sumitur facultate, sed pro iurisdictione, cuius, ut uox sonat, proprium est, ius dicere, ius iuxta legem decernere & legem, ad bonum publicum constituere. Et in principe, eximioque communitatis rectore, inuenitur simpliciter, sed in cōmissario, uel delegato, communi cursu, inuenitur ad tempus, uel tantum in peculiari casu.

Verum attendendum, quòd potestas hæc modo earum respectu, non excutitur ecclesiarum quibus episcopi, qui in concilio sunt coacti, sunt dati pastores, sponsique, sed respectu, totius ecclesiæ, cui summus pręfectus est Pontifex, pro qua sunt & ne

gocia, quæ tractantur (ut plurimum) in concilio. Nam respectu creditarum sibi ecclesiarum episcopi nunquam (communi lege) suam non retinent iurisdictionem, siue sint, siue non sint, in concilio, sed respectu ecclesiæ totius, non retinent, nisi dum in eo sunt, Et tantum ab ea die, qua est legitime congregatum, ad illam usq; ,qua est legitime absolutū, aut legitime suspensum.

Quare & si utraque episcopis proxime, à summo confertur Pontifice, uti a Christi Vicario, id tamen, non uno accidit pacto, nec unamet ratione. Nam prima, & si confertur per eum confertur tamen, iuxta illā sibi creditam dispensādi rationem, qua mysteriorum Christi, supremus factus est distributor, iuxta uerbum apostoli. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores, mysteriorum Dei. Et confertur, per modum perpetui ministerij, perinde ac munus episcopale, cum quo, & communi cursu, recipitur.

At secunda, & si confertur per illum, non tamen, iuxta illam confertur dispensandi, a Christo præscriptam rationē, qua suis cum oneribus, sunt dispensandi episcopatus, de quo & sacræ admonent literæ, & sanctissimi asseuerant patres, sed iuxta rationem liberalitatis propriæ, seu pontificiæ indulgentie, non a diuinis præscriptam literis, patribusue, sed a laudabili, hactenusq; si non fallor, in omnibus seruata concilijs consuetudine, dum in omnibus, episcopi usi sunt, decernendi, definiendi, canonesq; uniuersales constituendi facultate, tam ad communem fidelium disciplinam, tum ad dogmata pro fide catholica.

Quod quidem, non mediocriter consonat. Nam episcopi, non solum membra sunt proxima, capiti, sed & in concilijs sollicitudinem subeunt, uniuersalis ecclesiæ. Preter id, quòd & Pōtifex maximus, ea utens munificentia supremum animarum imitatur Pontificem, qui licet insigne caput sit, totius ecclesiæ, omnique donatus a patre potestate, omnique iurisdictione (in illius quidem ditione, uniuersa sunt posita) uoluit tamen apostolos, aliosq; ex omnibus assumptos, habere cooperarios, quin & conjudices, & quod maximum est, in extremo iudicio.

Quod dicitur, proxime, ad remouendum non dicitur, iurisdictionem illam, profectam a Christo, sed ad declarandum, ab illo non profectam immediate. Siquidem, cum Christus, Vicarium super totam, Papam constituerit ecclesiam, eiq; soli, iurisdictionis, super illam crediderit plenitudinem: exigit quidem

ratio,exigit & ordo, a diuina positus sapientia, quę omnia agit cum suauitate,ut non nisi, per illum, & in ijs præsertim, quæ totã concernunt ecclesiam,iurisdictionis impartiatur facultas.

Ergo patrum iurisdictio, in concilio, est quidem a Christo, & est, non solum, eo generali pacto, quo omnis, est a deo,potestas, tam in fidelibus, quam in ethnicis, tam in ecclesiasticis, quam in secularibus principibus aut illo,nõ longe dissimili, quo Reges,per eum regnant, & legum conditores, iusta decernunt; sed & illo insigni,ac peculiari,quo,tum peculiare,tum perinsigne est,& caput,& sponsus ecclesiæ, per quem, & longe præstantius, & multo sollicitius, illi pro reliquis rebus assistit, moderatur, & non secus ac pupillam, seruat & protegit. Tametsi ad illos, & iure,& merito, non pertingat,transeatq;: nisi mediante uicario,summoue pontifice.

Cui, cum nulla, super hoc (ut diximus) præscripta sit lex, nulli dubium, quòd arbitrio relinquitur suo: quando, quomodo,& qua sit conferenda mensura. Et eo quidem pacto, ut non cedat in destructionem,sed ædificationem, ut loqui consueuit apostolus. Nam licet Christus, cum in omnibus, tum in papa, nunquam bonam non excitet uoluntatem, licet sancta semper inspiret desideria, rectaque consilia, sicut tamen nemini, ita & summo nunquam Antistiti, præiudicat libertati. Ergo tantum abest, ut coactus sit pontifex; plenam concilio concedere iurisdictionem, quòd cum illam cõcedit, eam ad libitum ualeat moderari, quin & potest, quòd uoluntate reuocare cõcessam, & cum placeret etiam ab illius desistere impartitione.

Siquidem ecclesiæ totius regimen,cum sit, suapte natura monarchicum,haud obscurum,illius principem,non necessario, suæ iurisdictionis habere participes, & si necessario, pro diuersis ecclesiæ partibus,coadiutores habere debet episcopos. Equum enim est,& naturæ lege probatum, summum pontificem, in arduis pro ecclesia uniuersali negocijs, uti consiliarijs, cogereque, cum opus uisum fuerit, œcumenicas synodos, ut ad communem salutem, frugemque, salubres excutiantur sententiæ, conducentiaque iudicia, tametsi illa non cogatur probare,aut executioni committere,nisi quantum,& prudenter, & oportune,ui derit expedire.

Sed urges. Esto ecclesiæ moderatio,sit monarchica(siquidem,& non raro,sub typo describitur Regium) Esto,quòd iure,

omnis super illam iurisdictio, uni committatur pontifici, cui nō solum dictum est pasce, sed & oues uniuersas Rege (Nam utrūq; uigesimo Ioānis, dictum est Petro) Inficiari nihilominus nequit, quin & sit pacto quodam politicū. Sumus.n.sanctorum ciues,& domestici dei,& notum est, eccl'iam, collatam haud nunquam, cū ciuitate. Quare, etsi præcipuum onus, hanc gubernādi rempublicam, iusq; dicendi super illam, uti regi, principiq;, ascribendū est papæ, nil tamen obstat, quin & naturæ cōgruit ciuitatis, ut & sua pro ratione, non secus ac primis ex senatoribus, concedatur episcopis. Vnde, & septuaginta, a deo datum est senioribus, ut cum Mose moderarentur synagogam, sicut & uetus admonet lex.

Respondetur. Fateor ecclesiam similem ciuitati, at non humanæ, sed cœlesti. Nostra, inquit Paulus, politia, in cœlis est. Vnde & tabernaculum Mosis, quod ecclesiæ erat typus, iuxta exemplar factum est, quod illi est ostensum in monte. Ergo non iniuria, si illi ex cœlesti ciuitate, tum forma, tum regendi, præscriptus est modus. Siquidem illa maior, hęc legitima filia, quam & sic oportuit æmulari matrem, ut non temere, tam de cœlo descendisse, testetur dilectus. Ergo si superna in ciuitate (etiam si uaria in ea distributa sunt munera) unus est, cuius singula diriguntur nutu, moderator & princeps, cur non erit,& in politia ecclesiastica, in qua licet diuersa compartiantur officia, unus, penes quem totius sit regiminis cura, omniumque iurisdictio?

Et quanquam non inficior, in Ierarchia superna, omnia fore connexa, fateor,& in ecclesia, iuxta cœlestem, omnia esse disposita, nullo tamen ambigēdum est pacto, Christum, qui in caput, toti præpositus est ecclesiæ, omnium (siue in cœlo, siue in terra sint) rectorem esse ac principem. Ergo, non hæsitandum, summum eius in terris vicarium, terrestris saltem ecclesię, unice moderari habenas, esseq; penes illum, omnem super eam, reddendi ius, plenitudinem. Ergo, etsi humanæ reipub. senatores, possunt ferre quædam,& in ijs, quę ad publicum pertinent commodum, habere suapte natura, suffragia, iusq; dicendi, sua pro ratione, quodā iure pretendere, secus tamen, de senatoribus politię ecclesiasticæ. Vt quæ eo a Christo instituta est pacto, vt sicut vno adumbratur ouili, ita & uno regatur pastore.

At, nō omni cum plenitudine, quin nec suas uices, ualet Papa, cuiuis simpliciter, absoluteq; committere. Si concilium, ea tantum

tum

tum attenderet,quæ ad politicos fidelium pertinent mores,promouentq; pro loco,& tempore, ecclesiasticam disciplinam, non magnopere refragrarē,ea in re,posse summū pōtificē, plenitudinē delegare facultatis,cū inde,nihil(quod uideā)sequat absurdi. Quod tamē,nūquā præsumeret facere,tā & si amplissima legatis demandaret ptās.Licet.n.æquū sit,legatis in cōcilio,abunde,amplissimeq;,ea concedo,quę ad cōmodā concilij pertinent moderatione, non tamen est consentaneū, vt plenitudo illis concedat potestatis,cum inde,non pauca sequi possent inconuenientia,vt facile est,humanis ponderatis affectibus,animaduertere.

Quòd si quando, uel honoris gratia, uel pia aliqua ratione, in patentibus(ut uocant)literis,plenitudini alluderetur iurisdictionis,uel etiam si claris, apertisq; id tangeretur uerbis, retinēdum semper foret, non esse pontificis mentē, ut ea vterentur temere, passimq;, aut in ecclesię vniuersalis, uel sedis apostolicæ pręiudicium. Et demum,ꝙ nec ea illis uti,fas esset, nisi magna cum moderatione,sicut & probe,maximus præ se fert Leo,septuagesima secunda epistola. Cuius rei,& pontifex erit (ut par est) & supremus,& vnicus iudex.

Verum,quia in concilio,non ea dumtaxat pertractantur,quæ politicos attinent mores,habentq; pro loco,& tempore,promouere ecclesiam, sed & quæ fidem concernunt orthodoxam (propter quod, & in eo statuuntur dogmata, a quibus nemini fas est resilire, quin & quæ possunt, debentq; etiam summos Pontifices alligare)huius saltem respectu potestatis;iurisdictionisve, cōpertum esse debet,Pontificem plenitudinem delegare non posse,simpliciter & absolute. Et quoniam in hoc, non minima substinetur portio,catholicæ,quę supra est collecta,doctrinæ,ideo & declaranda,& constituenda res est.

Declaranda quidem,quia forte non desunt,qui hæreant,an ad iurisdictionis hęc pertineant facultatem, non facile penetrātes, quo pacto,in ijs,quæ fidei sunt, valeat habere locum. Verum si quis atte nderit,Romanum Pontificem,nedum iudicare posse de moribus,sed & de scripturis sacrosanctis,uidebit,& quę fidē attinent, illius expectare iudicium. Siquidem fides, & dei innititur verbo, & in nos, ex verbi dimanat auditu, prout & apostolus docet. Et quis nescit, & legem inueniri fidei, quando id Paulus tradit? Cur ergo, & quę illius sunt iuris, tam iuxta, non poterunt excuti,vel decerni?

At

At non sit uis, in uerbo. satis quòd improbari nequit, eam quam concilium in ijs quæ fidei sunt, obtinet facultatem, à summo dimanare pontifice, penes quem ita fidei (ut dicitur) depositum est negocium, ut ex illius tandem pendendum sit ore. Et licet, quæ iurisdictionis sunt, possint (com muni lege) committi, quæ tamē personæ exigunt (ut loquuntur) industriam, illique sunt unice credita, onera sunt personalia, alijque concedi non possunt, & illis præsertim in rebus, quæ maximi, quin & supremi sunt ponderis. Et compertum est, eam duntaxat, indubiam esse fidem, quæ illi in nixa est basi, ac constantissimæ petre, quæ (ut illius peculiare agnosceretur donum) soli data est Petro.

Constituenda uero, quia si hæc de fide decernendi facultas, posset; uel omni cum plenitudine, uel simpliciter, & absolute, a Papa committi, posset & illud peculiare, spiritussancti donum quo in ijs, quæ fidei sunt (cum de illis, per modum iudicis, iusque supremum decernentis,& promulgantis, statuit decernitq;) infallibile redditur Papæ iudicium, alteri delegari, quod plane, sineq; controuersia, res absurdissima est. Nam præter id, quod ordo, in mystico confunderetur corpore, charismatibusque, quibus & propria membris, distribuuntur munera, præiudicaretur spiritus sancti, dum donaretur corpori, quod peculiare est capiti, haud dubium, quòd (& si in Papæ est falcultate, munere se abdicare pontificio) in illius tamen non est facultate, corpori munus conferre capitale, sicut nec esse ecclesiæ fundamentum, ascribi potest, quod super illud constituendũ est ædificio.

Sed secus inquis, sonant uerba Martini, cum Iulianum S. Angeli Diaconum Cardinalem, in legatum, ac præsidentem, dedit Basiliensi concilio. Nam plenam, in rebus fidei, tam cognoscē di, quàm decidendi (& si unà cum concilio) contulit facultatem. Quin, & uoluit, quoscunque, qui ab illo, unā cum concilio, decisis, determinatisq; contrauenissent, seq; rebellassent, per censuras puniendos ecclesiasticas, & alia oportuna remedia etiā bracchio inuocato sæculari, & omni appellatiōe postposita promittendo omnia se habiturum, & rata, & grata, ut ampliter eo in diplomate.

Quibus respondeo. Non quidem uoluisse, minusque Martinum explicasse, se in ijs, quæ fidei, Legato Concilioque, potestatis, simpliciter tradere plenitudinem, sed eam tantum decidendi concedere facultatem, quæ ad hæreticos requiritur conciliari-

ciliariter condemnandos, & ad ea, quæ fidei sunt decernendum eo, quo solitum est, iure concilij. Quare non excluditur, quę in concilio fuissent acta, ad Lydium, non conferenda lapidem, & per hoc, non extremum Papæ subitura iudicium. In quo solo, ex CHRISTI dispositione, munereque, & indubia, & constantissima, fidei regula requirenda est.

Et quamquam (ut non longe post, resumendum est) quæ a Cōcilio, ante approbationem Papæ, sunt decreta non sint penitus firma, sicut tamen, æquum est, illa suspicere, uenerari, ac honore debito prosequi, ita & iniquum foret, illa uel contēnere, uel temere contradicere. Ergo, & recte, in illos Pontifex concedit animaduerti, & acri (ut par est) pœna mulctari. Quòd pro miserit, habiturum se ratum, & gratum, quicquid fuisset decretum, & conclusum, si ad executiones, ut forte debet, restringatur pœnarum, contemptores detractoresque, merito inuoluentium, nullus ingeritur scrupulus, si decreta, definitaque cō plectitur uniuersa, haud dubium, quòd cum debitis accipiendū est clausulis, nempe, non fraudulenter, non temere facta, & ad Lydium, ut dictum est lapidem, consistentia.

Quare, nec ecclesiam repræsentat, simpliciter uniuersalem.

Exploratissimum est, ecclesiam uniuersalem, omnes complecti fideles, ut quæ integrum (ut in hac saltē contingit peregrinatione) christi continent corpus. Ergo, si simpliciter, omniq; est repræsentāda ex parte, necesse est, ut tota, integraq;, omnibus cum membris, & suo præsertim repræsentetur cum capite. Ergo palam, quòd Papa absente, qui solus christi, simpliciter & absolute capitis, gerit uices, simpliciter, & non ut aliquando, sinec dochice, integra, totaq;, repræsentari non potest.

Adde, quòd sicut particulares ecclesię, in suis, & computantur, & repræsentantur pastoribus (propter quod, & illis conuocatis, eorū adesse censentur ecclesiæ) ita & uniuersalis ecclesiā, non nisi in summo, & computatur, & repræsentatur pastore, pontificeq;. Qui & illam (ut loquuntur) uirtualiter continet, & in concilio, proxime, pro illis, qui in eo, pastores peculiares, non habent, populis, & ecclesijs, insigniter supplet.

Et licet Papæ Legati, illius uices gerant in multis, sicut tamen, illis datum non est ut gerant christi uicem, ita nec ut pro uniuersali, supplere possent ecclesia. utrumq; sane, munus est papę personale, & non secus ac, potestatis, ut diximus, plenitudo, communicari

cari

cari simpliciter nequit. Cuius rei, uel inde, accipitur testimonium quòd id nunquàm, in eorum, quantumuis uberi, quantumuis ampla, expressum legitur commissione, aut alias, quouis pleno mandato.

Preter id, quòd absq; papæ præsentia, plenitudine (ut dictum est) non potitur potestatis, & quam habet, proxime non habet, à christo. Et tamen obscurum non est, ecclesiam non uere integram, non uniuersalem esse simpliciter, quæ utraq; non complectitur. Et notum est, quòd cum summum includit pontificem, ipsius ratione, & plenitudinem habere potestatis, & proxime in eo proficisci, a christo.

Sed duo, ex Martini interrogatorio, se efferunt scrupuli, quos (sed paucis) non dissimulabo. Alter est, quia iudicatur hæreticus, qui quoduis generale concilium, dummodo sit legittimum, representare non dixerit, uniuersalem ecclesiam. Reliquus est, quòd Constantiense, quod sine papa, extitit celebratum, eiusmet decernitur repræsentationis fore.

Ad primum dicitur, ꝙ si sermo sit, de repræsentatione simpliciter, & non, ea de qua admittitur sæpe, ex hoc, ꝙ non minima, in aliquo reperitur pars, cum papæ illud intelligendum est assistentia, & non alio modo. Ad secundum respondetur, quòd Constantiense, eo pro tempore, quo sine uero extitit papa, ecclesiam & si representauit uniuersalem, non tamen simpliciter, sed eo quo tunc reperiebatur pacto, at cũ est electus Martinus, qui & concilio erat præsens, indubie illã repræsentauit simpliciter intrgreq;.

At resumis. Basiliense concilium, legittime est congregatum, & sine præsentia papæ, eoq; non reclamante, illo non semel usus est titulo. Dicendum, quòd & si eo est usus, usus est illegittime, quin & præsumptuose, sicut, & quod subdit, a deo potestatem habere immediate. Vnde & secunda mox sessione, ausum est eousq;, quòd & summos legittimosq; pontifices presumpsit, suis nedum decretis astringi, sed & posse contrafaciendo deponi. Reclamauit satis Eugenius, quando eorum audacia ponderata, concilium nedum aliò transtulit, sed & dissoluit.

Nec quæ decernit, usquequo nõ probentur à Papa, supremum sortiantur robur.

Si quæ in concilio sunt decreta, ex plenitudine profecta non sunt potestatis, nulli dubium, quòd si ad eorum confirmationem, illius accederet plenitudo, ea non parum roborari contingeret.

Ergo,

Ergo, & locupletari possent in robore, ergo palam, quòd non erant sortita supremum. Sed dicis. Nam propterea, uim non obtinet coactiuam, qua illa urgeamur præstare, absoluereq; ? Et si ea de re portione sequenti, sic tamen per paucis habe, nempe, quòd licet illis, sua non denegetur uis, ad sui tamē prorsus nō alligant obseruationem.

Siquidem (præter id, quòd ius dictat) suadetq; naturæ, ut ea (sicut tactum est) non contemnamus, quin & exosculemur, tum quia sanctiones patrum, ad communem frugem, tum quia a spiritu (ut credit) sancto dictata propositaq;, & ita dictat, suadetq; ut uæ, si quis contempserit, uæ si quis onoratus non fuerit, com pertum est, quòd & conciliari, quale quale sit; etiam cogunt nos iura. Verum quantum, ex illa proficiscitur potestate, nō astrin gunt simpliciter, sed aliquo pacto, prout inquam, in illis uolun tas p̄sumit esse (saltem ex parte) summi pontificis. Cuius aucto ritate, concilium non solum est coactum, sed & sanctiones fecit.

Et cum ea præsumptio quousq; de Papæ non constat, tacita uel expręssa probatione, reprobationeq; merito in nostris uige re debeat mentibus, ambigendum non est, quòd ad eorum, quo dam urgebit pacto, nedum reuerentiam, sed & piam ut fas est, executionem, non dicam iudicialiter, sed quasi amicabilius, & eo pacto, ut si factum sit secus (absit contentus) legis non sim absolute transgressor, aut capitaliter uiolator.

Nec obstat, concilium, Papæ auctoritate coactum, legatorū præsencia fultum, ampla auctoritate donatum, & demum, quæ fuerint definita, ꝓ ratis, gratisque habenda promissum, quoniam (præter id, quòd ea cum debitis diximus) intelligēda sunt clausulis, & circunstantijs, non satis sunt, ut definita, uim simpliciter sortiantur, ut mox uidebitur, legis, & per hoc, sicut nō ualet simpliciter alligare, ita nec simpliciter poteſt in trangres sores, ut trangressores animaduertere.

Ergo, & quę statuit, ad ecclesiæ disciplinam, uel moram mo derationem, uim eousque non obtinent legis, ut ad eorum, sim pliciter astringant obseruantiam, & quę in materia decernūtur fidei, nobis non sunt prorsus eousque indubia.

Quàmquàm hæc sunt ex præmissis deducta, non erit forsitan importunum, si confirmentur denuo. Ergo quæ disciplinā tan gunt ecclesiæ, probationem. confirmationemq; necessario exigere Papæ, idque non solum, ut constantius, frugaliusque man

dentur executioni, conferantque communi hominum obseruantiæ,sed ut & uim simpliciter sortiantur legis, supremam recipiāt qua & astringamur absolute,in roboris efficaciam, uel ex hoc, difficile non est euincere.

Cum omni ex domini uoce, Petro totius regimen, ut non semel diximus, creditum sit christianæ Reip.summusque pro tēpore illi succedens Antistes, & pater, & Princeps a concilio Florentiæ sub Eugenio celebrato,ecclesiæ decernatur uniuersalis,indubie ad illum spectabit quàm maxime, nedum leges, pro ecclesia constit uere, sed & opus erit, & quæ fuerint constituta, per illum, illiusue expresso saltem promulgari consensu. Id enim, ut cogat, natura postulat legis, ut non solum docent legis periti, philosophi morales, sed & D Thomas, prima secundæ.

Quare & si in Conciliorum calce,cum qui interfuerunt, soliti sunt subscribere, promulgationis aliquādo interponeretur uerbum (præter id, quòd res foret particularis, & cōtra cōem cursum p̄sumeret,noua Papæ, id factum commissione,uel nouo eius consensu, sicut ni fallor, & eo casu contingeret. uel ita uerbum illud proferretur quòd constaret non præiudicatum arbitrio Papæ, ut factum dicitur a Donato Ostiensi episcopo, Papę legato in octaua synodo. Sic enim referunt. Ego Donatus Episcopus Ostiensis,locum tenens Adriani pontificis maximi, omnia quæ leguntur superius,huic sanctæ, & uniuersalis præsidens synodo, ad uolūtatē eximij præsulis,p̄mulgaui,& mea manu subscripsi.

Quàmquàm si alicubi, promulgata legerentur absolute, sineque pontificis scitu, non immerito interpretandum foret, id factum. quantum ex conciliaria potest pendere potestate. Quod simpliciter, ut diximus, non ligaret, quousque de Papæ non cōstaret approbatione. Nec haberent propterea, eousque uim iuris simpliciter, nec ad tribunal adducta, absolute probarent,minusque ex illis tantum, posset sententia, iuridice ferri cōstituique. At de sancitis, pro fide.

Hæc etsi pendent non minus, ex determinatis(quandoquidē ea que fidei sunt, infallibiliter decidere, muneris est capitalis,qđ alij a Papa, tum Dei ordinatione, tum sedis apostolicæ priuilegio, communicari non potest,unde & merito, oēs ad illam sedem, deuoluuntur qōnes difficiles, & per hoc, & quæ fidei sunt (cum sint perarduæ)non puto tamē inutile, si unde ualeat donū illud educi,quoue Christi uerbo firmari proferatur in medium:

Et

Et quamquam, ex pluribus scripturæ sumeretur locis, erit in presenti sufficiens, unus, uel alter. Primus sextodecimo habetur Mathei, quando Simon factus est Petrus, dicente domino, Tu es Petrus. Siquidem, ut D. docet Ieronimus, illud christi uerbum, uerbum extitit potestatis, quod & mox est secutus effectus. Nam tunc factus est constans, & firmus in fide. Et ea quidem firmitudine, ea cõstantia, ut posset totam firmare, & substinere ecclesiam. Propter quod, & ilico pollicitationem meruit, & hanc supra petram, meã ædificabo ecclesiam. Verum, quia locus iste, cum de primatu egimus Petri, est satis excussus, alius pertractandus est.

Legitur uigesimo secundo Lucæ, quòd contendentibus de primatu apostolis, christus ad petrum uersus sic dixit. Rogaui pro te, ne tua deficiat fides, & tu aliquando conuersus, tuos confirma fratres. Quo ex loco, Agathon papa, in ea, quam ad sextam synodum scribit epistola, confisos, asserit prædecessores, semper solitos confirmare concilia. Quod & pollicetur, pariter facturum sese. Et constat concilium illud, nedum Domini prædecessoris autoritate collectũ, sed & ad illud ab Agathone, Theodo. Georgium, & Ioannem legatos destinatos, ac in eodem fuisse, sui loco præfectos, Ita quidem, premissis domini uerbis, quæ sunt pro ducta, subiungit.

His Dominus Petro, non defuturam promissit fidem, & confirmare eum admonuit fratres, quod apostolicos põtifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidentes, semper fecisse, cunctis est cognitum. Quorum & pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto diuina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Verum ut christi uerba, sint magis illustria, hunc expendãtur in modum.

Orta inter discipulos, de primatu, ut dicebatur, contentione, illisq; ut parfuit, benigne commonitis, mox christus uerba conuertit ad Petrum, ut ad quem ex pollicitatione spectabat Primatus. Simon inquit, Simon, geminat quidem uerbum, ut ponderet quod subiungit. Ecce, qđ forte nõ cogitabas. Ecce (inquã) nam res est præsentanea, & tentata modò. Sathanas, qui nũquam ad exturbandum calumniandumq; non est sollicitus. Expetiuit, omniq; instantia efflagitauit (nam ad libitum deb accari non potest, Vt cribraret, agitaret, excuteretq; omnes uos, non secus ac, triticum, ut tandem me derelicto à fide penitus desciscatis. Et

iusto Patris iudicio,sed uobis impræsentia in accesso,uoti factus est compos.

At,ego rogaui,qui ob meam, nūquàm non exaudior reuerentiam Non dicam pro uobis omnibus(nec quidem id, in scrutabilis exigit sapientia dei,quæ singulis,optimo prospicit,cum consilio)sed pro te,cui & alias pollicitus sum primatum, ad quem & mearum cura pertinebit ouium. Rogaui eaq;, pro te, uerum non tui,sed crediti tibi muneris gratia. Vt,non solum, in hac Sathanæ cribratione,non solum,in hoc,quod modo,omnes patiemini naufragio,sed & in quibusuis turbinibus, sæuissimisq; tempestatibus,nunquàm Tu,tuiq; successores(summi,hoc est pontificis,priuilegium) tua defutura sit fides.

Tua inquam fides,tum quia,cum tibi est à patre donata,potissimum futuro in te, pōtificio muneri est concessa,tum quia in te tui officij ratione,est firmata, stabilitaq;, & quia Petrus factus, constantissima reddita. Et merito quidem, cum non tam super credito tibi munere,mea sit construēda ecclesia. Præter id, quòd tua est,quia à te insigniter explicata, cum me christum, uiuentis dei filium, præ reliquis es confessus. Ergo, non iniuria, si te, tuumq; munus, peculiari est suffultum fauore, non iniuria, si te tuiq; successores,nunquam destituendi sunt fide, quin &si ab eis reliqui confirmandi sunt fratres.

Et quamquam, res ita se habet, quamquam nec petrus, nec successores,deficere permitantur in fide,non propterea, illis datum est,peccare non posse,aut aliquid,fidem aduersus,non committere. siquidem immaniter peccauit petrus, & grauissime in fidem commisit,quoniam in fidei confessione,non semel defecit. Peccauit & in fidem Marcellinus, cum thus obtulit simulacro. Verum,non perdiderunt fidem,cum ea non processerint, ex incredulitate,sed ex mortis formidine.

Et licet nōnulli Romanæ sedis Antistites,sint insimulati de heresi,ni fallor,fuere calumnię. Habent qui illos uendicent,tum ex probatis hystorijs, tum ex ualidissimis coniecturis, quare, non est cur moremur. Quamquam si aliqui admitterentur hæretici, non propterea quicquam summo detraheretur pontificatui, sed lapsus concederetur personæ. Quod plane, sine summæ sedis pręiudicio, posse contingere, Romanam conuincit ecclesiam, numquam heresi fuisse infectam, sed aliarum omnium, semper permansisse magistram.

Et quamquàm deliquerit,ut dictum est, Petrus, deliquerit & Marcellinus,conuersi sunt tamen. Et tantum abest, quòd eorum lapsu,sit periclitata ecclesia, ꝙ ea, constantior reddita est,occa sione. Siquidem uterq; ,non solum,suam mirum in modum,dete stati sunt culpam,sed & in fidei confessione,eo usq; sunt facti con stantes,quòd eorum crimen,ecclesiæ cesserit, nedum ad profe ctum,sed ædificationem,& frugem. Hactenus de christi uerbo.

Ex quo,cum constet,petri fratres, Episcopos inquam, ex Petri confirmandos fide,haud dubium,id fore potissimum necessarium,ubi uentilatur maxime. Ergo & potissimum necessarium est,in Generali Concilio,ubi quæ sunt fidei, potissimũ resoluuntur. Sed iam,est dicendum,de Praxi.

Nicena Synodus, in qua trecenti octendecinq; conuenerunt episcopi,& si Syluestri conuocata est potestate, ut ex epilogo, Romani edocemur concilij,per eundem,eò temporis, in termis celebrari,& si in ea Osius Cordubẽsis episcopus,uictor & Vincentius,romani præsbiteri,& legati,& uicem Romani gerentes pontificis præfuerunt,ut ex præfatione ad cõcilium legitur Sardicense,uel uictor saltem,& Vincentius,qui in eodẽ, nomine subscripsere Syluestri,ut ex Concilij licet uidere subscriptione, Nihilominus,missum est ad Papam,ut illius confirmarentur decreta.

Et quòd ab eo sint confirmata,& si ex illius satis cõstat responsione,clarius tamen,id ex frontispicio euincitur concilij, per Syl uestrum Romę celebrati,ubi sic legis. Syluester episcop us, sanctę & apostolicæ sedis,præsul urbis Romæ,dixit. Quicquid in Nicea Bithiniæ,constitutum est,ad robur sanctę Matris ecclesię, catholicæ & apostolicæ, à sanctis sacerdotibus, trecentis decem & octo,nostro ore conformiter confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti,et magni concilij, quod apud Niceam congregatum est, sub præsentia pijssimi, & uenerandi principis, Constantini Augusti, anthematizamus. Et dixerunt omnes, Placet.

Quòd approbatio,facta sit cũ concilio,nullum hac in re,affert incommodum,quin & confir mat intentum. Non affert incommodum, quoniam non maior, ob id, in confirmando, infertur potestas.Eadem quippe est uis, eademq; auctoritas, in Papa solo, & unà cum Concilio, & si cum est solus, est in illo collecta, & cum est in concilio,est ad p attres effusa. Confirmat intentum, quoniam ex hoc demonstra tur, plenitudinem non esse potesta-

tis,

tis,quantum uis foret eximium, ficut & Nicenum,in generali cõcilio,in quo,& fi funt papę legati, non tamen eſt papę perſona. Siquidem,opus non fuiſſet confirmatione, ſi diſparitas non fuiſſet,in auctoritate.

Calcedonenſis quoque, in qua ſexcenti & triginta fuerunt epiſcopi,non modo papæ auctoritate collecta,ut ex epiſtola habetur Valentiniani, & Marciani, ad Leonem primum, ſed & Romani pontificis legatis,Lucentio & Paſchaſino epiſcopis, & Baſilio & Bonifacio ſacerdotibus, & in ea præſidentibus, adminiſtrata, qui non ſolum,quæ ad fidem ſpectabant,proponebant,ſed & ſententiam Leonis uice, inquam concilium conceſſurum erat, ferębãt,ut in tertia illius legitur actione,& Leonis quadrageſima prima, & quadrageſima quinta apoſtolis,ſuorum confirmationem petijt Decretorum.

Et licet de omnibus,quæ eo in concilio acta, decretaq; ſunt, a Leone petita ſit approbatio, ut in relatione ſanctæ Calcedonenſis Synodi,ad Leonem, de omnibus eius geſtis, incipiente, repletum eſt gaudio, os noſtrum, facile eſt videre, licet & omnia Leo videatur probaſſe, præter præceſſionem Cõſtantinopolitani Antiſtitis,vt in eiuſmet inſinuatur epiſtola,numero quinquageſima nona,certum eſt tamen,quòd ea, quę illo, ad fidem pertinentia, ſunt deciſa concilio, & ſi iuxta Leonis erant definita mandatum, vt conſtat ex tertia, vt diximus, concilij actione, & quinquageſima ſeptima eiuſdẽ epiſtola, ab illo potiſsimum confirmata ſunt. vt ex epiſtola habetur,vt dictum eſt,quinquageſima nona. Tametſi Legati, eius in concilio tenuerint locum, & fidei negocium debuerint,ex peculiari mãdato tractare, ut liquet in illius epiſtola ſexageſima.

Conſtantinopolitana tertia,ſed reſpectu quinque uniuerſaliũ, quę præceſſerant ſexta,quę ſub Donno eſt, vt diximus,conuocata,ſub Agathone, cepta, & ſub Leone ſecundo abſoluta, ab ipſo Leone,vt in ijs,quę ad pijſſimum Conſtantinum Auguſtum,videre per facile eſt,indubie confirmata fuit. Ita quidem legis. Quia, definitionem rectæ fidei, ſancta vniuerſalis, & magna ſexta Synodus,pleniſſime prædicauit, quam & apoſtolica ſedes, beati petri apoſtoli,cuius licet impares,miniſterio fungimur,ueneranter ſuſcipit,iccirco,& nos,& per officium noſtrum,hæc veneranda ſedes apoſtolica, concorditer, & vnanimiter, ijs quę definita ſunt ab ea, conſentit, & beati Petri auctoritate confirmat, ficut

ſupra

ſupra ſolidam petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo domino, adeptus eſt firmitatem.

Nicena ſecunda, quæ inter uniuerſales computatur ſeptima, tempore celebrata Conſtantini & Irenes matris, in quam & Adrianus primus, nedum conſenſit, vt ex illius apparet epiſtola, ad Tharaſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, ſed & legatos, ſuumq; locum tenentes, Petrum protho presbyterum eccleſię.s. Petri apoſtoli, & Petrum presbyterum ac preſidem.s.Sabe, qui & Adriani ſubſcripſerunt loco, deſtinauit, ut in calce conſtat definitionis, ſanctæ, magnæ, & uniuerſalis Synodi, in Nicea ſecundæ, ab eodem Adriano (in qua de ſacrarum imaginum definitum eſt ueneratione) confirmata eſt. Alias in fine, opus non erat, Tharaſiũ ad illum, concilij mittere confeſſionem, vt in epiſtola teſtatur, quam ſcripſit ad eum. Nec fuiſſet proteſtatus Pontifex, ſe non traditurum confirmationem, niſi ſacrę in locũ priſtinum reſtituerentur imagines. Vt in ea habes, quam ad Tharaſium dedit epiſtola.

Denique, & quis neſcit, Conſtantienſem Synodum, quæ omnem proculdubio, quæ in eccleſia, tunc reperiebatur, habebat auctoritatem, preſertim cum ex omnibus conſtitit obedientijs, tandem in ijs, quæ in materia definita erant, de fide, a Martino quinto confirmata fuiſſe, vt illius apparet ex bulla, ac ſeſſione quadrageſima quinta? Et notum eſt, Baſilienſe, ut confirmaretur, & nõ ſemel, a papa tentaſſe, ſed & iure, non obtinuiſſe, teſtis eſt, Ioan. a turre crema. in geſtis ipſius concilij. Licet Nicolaus quintus, qui Eugenio quarto ſucceſſit, admiſerit, ualereq; uoluerit, quæ a patribus, in eo fuerunt geſta, quo ad cenſuras, & beneficiales cauſas.

Mitto Gelaſium, non ſolum, omnia quæ ante illum preceſſerũt concilia approbaſſe, ſed & recipienda fore decreuiſſe. 15.d. ſancta. Et Leonem ſecundum, non modo probaſſe, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Calcedonenſe, Conſtantinopolitanum ſecundum, quod quintum dicitur, vniuerſale, ſed & ſextũ, pariter Conſtantinopolitanum, pari conſenſu ac veneratione ſuſcepiſſe probaſſeq;. Vt in illius habetur ſcriptis, quæ ad Conſtantinum dedit Auguſtum, & decimaoctaua habentur, ſextę Synodi actione. Mitto, & teſtimonium Symachi. Bene quidem. d.96. Et uerbum Iulij. 17.d. Regula. Et paſchalis. Significaſti. de electione. Ex quibus docemur, non niſi, per Romanæ ſedis auctoritatem,

concilia esse firma,rata,& robur adepta. Adde, & uerbum Nicolai,ad Michaelem Imperatorem, in 2. con.Tom.pag.756.col. 2.in calce. Quòd Romana ecclesia, collecta concilia, sua firmat auctoritate,& sua custodit moderatione, & quòd ea non habent ualitudinem,quæ non habent Romanæ sedis consensum.

Sed dices. Fateor,concilia de quibus sermo,a summis confirmata pontificibus, sed non euincitur, id factum ex necessitate. Verum, qui hec obijcit, primatum non ponderat apostolicum, nec ꝙ summus pontifex, Christi voce,pastor est ouium uniuersi, & ꝙ penes illum,non secus ac penes patrem,ac principē, ex proprij muneris ratione, iurisdictio super totam commissa est ecclesiam,ut definitum,etiam est,sub Eugenio quarto. Adde,ꝙ continua,concilia confirmandi obseruatio, inani innixa non est fundamento,& ꝙ nisi fuisset opus, concilia, & presertim Orientalia, & Imperatorum fulta fauoribus, eam nō subijssent prouinciam, aut illi se astrinxissent oneri. Et demum, non foret refragrandū, quòd si aliud rem non probaret, quę hactenus viguit consuetudo,rem habet,in necessitatem conuertere.

Nec eorum est probanda sententia, qui admittunt confirmationem quidem necessariam, sed non propter rei infirmitatem, cum sine illa forent, non minus firma solidaq;: sed uel in superioritatis papę testimoniū,vel vt certi simus,presentiam nō defuisse spiritus sancti,uel ad supplendum,siqui in actis, admissi essent defectus: Non inquam est probanda sententia, non quia falsa, sed quia deficiens,cum non totum explicet, quin & propriam rationem transit.Minus placet,quod tradunt alij, nempe eam sufficere approbationem,quam concilium in sui sortitur initio, vt satis constare potest ex supradictis. Siquidem ex illa habet cōcilium uim conciliariter conficiendi decreta,sed non supremum adijciē di robur,quo uti firma simpliciterq; valida alligemur lege.

Nec obstat,si ante approbationem papæ,concilij acta,nonnūquam sint executioni commissa (nam & episcopi,alijque prelati, conciliari sententia,a suis non raro deijciebantur gradibus, non solum ante papæ confirmationem,sed & ante illius notitiam. Vnde & Nestorius in Ephesino concilio,ab episcopatu per Cyrillū, sociosq;,priusquam ad papam res deferretur,depositus est) non quidem obstat,quoniam in ijs casibus,vel sententia concilij,non simpliciter,uel quantum ex illo pendebat,committebatur executioni,a qua tamen,ad papam poterat appellari, vel in vigore fiebat

bat

bat commissionis apostolicæ,seu probatorum per illam, dispositionem canonum,ut ea quæ facta est in Nestorium, si uera sunt, quæ secūdo cap.primi hystoriæ Scholasticæ,refert Euagrius. Tradit.n.ꝙ patres qui pronunciauere sententiam,falsi sunt, compulsos se ab epistola Celestini,& ab ipsis sacrosanctis canonibus. Nēpe a Nicena synodo editis,& a Syluestro probatis,vt illa ex synodo(de Ephesina loquor)facile est animaduertere.

Superest,ut et ille demum eruatur scrupulus,quo nam inquam pacto , quæ in concilio rite collecto , & per legatos apostolicos administrato (cum sine controuersia sit in illo spiritus sanctus) papæ non accedente probatione,sunt decreta, possint esse nutātia,aut in fide non prorsus indubia,cum & receptum sit,conciliū in ijs quæ fidei sunt errare non posse. Respondetur. Quòd etsi sanctus spiritus sit in concilio,etsi illo moueantur patres in constituendis decretis,& fidei definitionibus, quia tamen non decernunt,non definiunt sine iudicio proprio(nam eo mediante, sanctus operatur spiritus)palam quòd licet,quātum ex spiritus sancti proficiscitur parte,decreta definitaq;. esse non possint inualida,aut minusquam certa(spiritus quidem sanctus,spiritus est veritatis & roboris) quantum tamen ex humano pendent iudicio, haud mirum,si humanę subiacent imperfectioni.Siquidem cogitatiōes mortalium timide,& incerte omnes prouidētiæ nostræ. Ergo, nec mirum, si hac ex parte egeant stabiliri, egeant & certificari.

Sed obijcis. Nonne & spiritus sanctus,in papa,per illius operatur iudicium? Ergo & eius confirmatio,eadem ratione,non erit melioris sortis:sed & deterioris potius,cum magis uideant oculi,quam oculus.ut in prouerbio est. Respondetur; Quod etsi confirmatio per iudicium progrediatur papæ,illud tamen (& in ijs maxime,que fidem attinent) fit per sanctum spiritum infallibile.Et hoc propter munus,vt dictum est capitale,quo donatus est Petrus,& successores. Siquidem cum cōfirmat decernitve, que fidei sunt,tanquam papa,hoc est,iudicialiter ferendo sentētiam, tam eximio agitur spiritus sancti afflatu,quòd illius non ualet periclitari iudicium. Non ꝙ ea in re uiolentetur (nam uoluntarie operatur)sed quia tam efficaci mouetur impulsu, quòd & si, suo agit iudicio, suauiter tamen actus, humanam imbecillitatem,eo non patitur,in negotio . Qua de re,alibi latius.

Et quanquam adsit sanctus spiritus in concilio,quanquam ne-

mini ferre,non fuccurrat muneribus ſapientiæ, conſilij, pietatis, alijsq; coommunibus eccleſiæ membris donis,& chariſmatibus, cum eo tam inſigni eximioq;, quo iudicium redditur, in ijs quæ fidei ſunt,penitus infallibile,non adeſt,niſi eccleſiæ totius Antiſti ti,cum Chriſti(vt dictum eſt)ordinatione, ſit priuilegium capita le, & proprium apoſtolicæ ſedi. Ergo etſi, quæ in concilio ſunt definita de fide, eſſe poſsint, ſintq; & communi curſu veriſsima, quia tamen,id nobis(ſine iniuria)non eſt manifeſtum,quouſque calculum non ſortiuntur, ſedis apoſtolicæ, palam quôd non temere,ſi a nobis,omnis eouſque nõ depellitur hæſitatio. Et quod dicitur, in ijs quæ fidei ſunt, concilium errare, non poſſe, uerum eſt, quando in illo papæ inuenitur perſona, a quo pendet vltima reſolutio. De qua re,etiam oportuniori loco diffuſe.

Et cum hæc ſententia ſit catholica. Nam ex diuinis comprobata eſt literis,ſacris canonibus,& pontificum geſtis. Ab ea nefas eſt diſſentire. Committeretur enim, non ſolum, in ius eccleſiaſticum, ſed & in diuinum.


Nec modo ſecus dicere, ad hæreſim pertineret, ſed & hæreticum, addita obſtinatione decerneret. Errare poſſum, inquit Auguſtinus,ſed hæreticus eſſe non poſſum,nam obſtinatio,in errore fidei, hæreticum facit, vt ſacri docent Theologi. Et hic ſit finis. Ad gloriam Dei. Amen.

DE EPISCOPORVM RESIDENTIA

ILLVST. VIRORVM DIVERSORVM OPVSCVLA, in gratiam eorum,


QVI VEL EAM IMPVGNARE VEL TVERI VOLVNT,

IN VNVM COLLECTA.



THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. SIXTI, DE EPISCOPORVM RESIDENTIA.

AN EPISCOPI, SVB PECCATI MORTALIS *uinculo, teneantur ad residendum in suis ecclesijs.*



ET VIDETVR, quod non, quia aut hoc esset ex iure positiuo, et tunc hoc esset per accidens. s. malum quia prohibitum, quod est exire proposi tum, quum ius positiuum contraria tollatur con suetudine. Aut ex diuino seu morali iure, & hoc non Tum quia cõstat in pluribus casibus licitum esse non residere. Tum quia necessitas ista non nisi ex fine esset, scilicet salute animarum curanda. Quando ergo Episcopus per alium sufficienter, uel etiam sufficientius curam gerit animarũ quam per se, non teneretur residere, etiam si nulla necessitas, nulla ecclesiæ commoditas ad extra manendum inducat. &c. Tum etiam, quia infinitorum episcoporum consuetudo uidetur non residendi, nisi forte ad breue tempus in ecclesiis suis. Sed curias sequuntur multi, nec putant se reos qui bonos habent ui carios. Valde quoque durum, & absurdum esset damnare tot prælatos, quos ecclesia non reprehendit, sed honorifice sic mo rientes tumulat. Preterea aut episcopus tenetur ad residendum tantum, aut ad opus tantum, aut ad residendum, & opus simul. Non ad residentiam tantum, quia uanum esset. Non ad opus tã tum, quia sic posset per alium supplere, & non residere, nec ad utrũq; simul. Tum quoniam quædam dioceses sunt, ita magnæ, ut impossibile uideatur episcopũ posse personaliter omnia per soluere. cõstat autem nullum teneri ex diuino, aut ecclesiastico præcepto, ad impossibile. Tum quia aliqui episcopi sunt illu stris generis, quos nõ decet ad huiusmodi ministeria personali ter descendere continue, &c.

In Oppositum autem est, quia pastor, nec nomẽ pastoris me

retur

retur, si non personaliter attendat suo gregi. Non enim quilibet ouium dominus, sed ille tantum qui pascit suas uocatur pastor. Alioquin prīcipes habētes multos ouium greges, quos per alios pascunt, pastores ouiū essent, quod est falsum. Episcopus aūt est uere pastor, iuxta uerbū domini ad Petrū: Pasce oues meas. Io. 21

Ad hoc dicitur quod Episcopus tenetur ex præcepto iuris diuini ad residendum personaliter in suo episcopatu.

Ad cuius euidentiam tria agēda sunt. Primo probabitur qđ hoc cadit sub pręcepto diuino. Secundo ex qualitate præcepti redditur ratio contingentium. Tertio satisfiet obiectis.

Quo ad primum. Ad illud tenetur Episcopus sub præcepto diuino, quod necessarium est ad finem episcopi, qui est cura animarum. Sed residentia episcopi est necessaria ad curam animarum, ergo Episcopus tenetur sub diuino præcepto ad personaliter residendum in suo episcopatu. Maior propositio est per se nota & patet inductiue. Constat nanque quod omnis qui simpliciter tenetur ad aliquid agendum tenetur ad medium necessariū ad illam actionem. Dixi autem simpliciter ad differentiam eorū qui tenētur ex suppositione. Verbi gratia: Famulus tenetur ad sequendum dominum si prouidetur ei de equo & de expēsis. Milites aliqui tenentur ad pugnandum, si prouidetur eis de armis, &cę. Episcopus autem non ex suppositione, sed absolute, & simpliciter tenetur ad curam animarum. Et propterea tenetur ad medium sibi possibile necessarium ad curam animarum. Nec solum tenetur, sed eadem necessitate qua tenetur ad finem, tenetur ad medium, ex quo medium est ita necessarium, quod sine illo non potest finem consequi. Et quia constat quod de necessitate præcepti diuini iuris tenetur Episcopus ad curam animarū, consequens est quod etiam de necessitate præcepti tenetur ad medium necessarium ad curam animarum. & sic patet Maior. Minor autem, scilicet, Residentia personalis episcopi est necessaria ad curam animarum probatur. Episcopus tenetur ad curam animarum mediantibus his actibus personalibus. s. doctrina, ministratione sacramentorum, consecrationibus, uisitatione, custodia ac diligentia. Ergo residentia personalis episcopi est necessaria ad curam animarum. Consequentia ista est clarissima. Antecedens quo ad singulas eius partes probatur. Quo ad doctrinam, patet ex autoritate Apostoli. Oportet Episcopum esse doctorem. Et non dicit. Oportet Episcopum habere doctorem.

Et in ordinatione episcopi dicitur, Vade prędica populo Dei. & non dicitur. Mitte ad prædicandum. Quo ad ministrationem sacramentorum patet ex eo, quod tenetur ad ministrandum populo sacramenta quę solus episcopus potest ministrare. Vt sunt sacramenta confirmationis & ordinationis. Quo ad consecrationem patet. quia cōsecratio ecclesiarū, clericorum, altarium, ac uirginum, confectio Chrysmatis, benedictio Olei sancti, corporalium, & reliquorum requisitorum ad uestiendum sacerdotem, ac ornandum altare, ad solum episcopum spectant. Quo ad uisitationem custodiam ac uigilantiam paret ex eo quod, nisi personaliter ad hoc teneretur, non esset ipse pastor custodiens gregem, & uigilans super eo, ac uisitās singulas oues, ut cuiq; tribuat quod conuenit. Sed, ut dictum est, esset dominus ouium habens pastorem ouiuum, mercenarium scilicet illum, cui cōmittit quod uigilet, custodiat, & uisitet. Et tamen liquido constat episcopos ipsos esse pastores ouium Christi, & ad illos spectant Ezechielis actus sex. cap. 34. a domino expressi, scilicet consolidare infirmum, sanare ægrotum, alligare confractum, reducere abiectum, requirere perditum, custodire pingue ac forte. Ad illos deniq; in Petro dictum est. Pasce oues meas. non Pascere fac oues meas.

Nec obstat huic rationi si dicatur quod episcopi exercent hæc per episcopos pauperes, quia quilibet episcopus tenetur ad hæc omnia in sua diœcesi, ac per hoc incōpossibilia sunt hec duo simul scilicet, quod quilibet episcopus exerceat hec in sua diœcesi, per se uel per alium episcopum, & quod omnibus diœcesibus fiat satis, nisi unus episcopus sit simul in diuersis locis puta, feria quinta cenæ domini ad conficiēdum chrisma. Abusionis quidem est detestabilis quod pauper episcopus relicta sua ecclesia alteri inseruiat. Nec etiam obstat, si dicatur quod per episcopos titulares supplentur hi deffectus, quoniam per accidens est quod inueniantur episcopi titulares, ex hoc scilicet accidente, quia ecclesiæ aliq; sunt in manibus infidelium uel destructæ. Quod autem est per accidens ab arte relinquitur, nec infirmat rationem per se solidam. Restat igitur ratione firmatum, quod per se loquendo, quilibet Episcopus tenetur ex diuini iuris precepto residere personaliter in suo episcopatu. Hec de primo.

Quo ad secundum, quia præceptum de residentia est affirmatiuum, præcepta autem affirmatiua licet semper obligent, non tamen obligant ad semper, sed pro loco & tempore, ideo uidendum

dum est pro quo tempore obliget. Nam de loco nulla est quæstio, quia ad certum locum obligat. s. propriæ diœcesis. Quamuis igitur tempus pro quo obligat, affirmatiuum preceptum sit, illud tamen in quo oportet affirmationem ponere in exercitio, oportet diligenter considerare, quando opus est actum episcopalem ponere in exercitio. Sunt autem triplicis differentiæ episcopales actus. Nam quidam exigunt certum & determinatum tempus, ut collatio ordinum, confectio chrysmatis, ut patet. Ex ratiōe horum sufficeret quod episcopus resideret pro tunc, quando exercere oportet hos actus. Quidam uero sunt interminati temporis, sed non frequenter occurrunt, ut consecrationes & benedictiones. Et ratione horū sufficeret episcopum residere, ita quod non pateretur defectus istorum. Quidam autem sunt temporis indeterminati & frequentis, ita quod nullum tempus est exceptum, in quo non facile & sæpe occurrat horum necessitas, ut est actus pascendi Christi gregem. Oportet nanq; pastoralibus actibus ita assiduum pastorem esse, ut quasi continue pascat oues. Scriptum est enim. Qui prę est in solicitudine. Et rursus solicitudo mea omnium ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror? A pastore quoq; exiguntur illi actus supradicti ab Ezechiele enumerati, quos aut continuum, aut frequens ualdę tempus exigere constat. Et ratione eorum tenetur episcopus cōtinue in episcopatu residere, quoniam tanta temporis frequentia, continuam exigit residentiam, tum ex frequentia exercitij actuum huiusmodi, tum ex preparatione ad istos. Nam licet omne tempus non occupetur in exercitatione actus pastoralis, nullum tamen tempus est exemplum, in quo non oporteat episcopum esse paratum ad exercitationem actus pastoralis. Et quia actus pascendi, est principalis actus episcopi, iuxta uerbum Domini ad uniuersalis ecclesiæ episcopum, pasce oues meas, & ex principali actu iudicium sumendum est, ideo episcopus tenetur, per se loquendo, sub præcepto ad continuam residentiam in suo episcopatu, ita quod hoc præceptum affirmatiuum ex natura rei præceptæ sicut habet locum determinatum, scilicet, propriam diœcesim, ita habet tempus determinatum scilicet assidue. Et sic licet præcepta affirmatiua formaliter obligēt semper sed non ad semper, sed pro loco & tempore quo oportet, & in hoc differant formaliter a negatiuis, hoc tamen præceptum gratia materiæ obligat ad semper seu assidue, quod

est

est quasi semper & ad certum locum. Et quoniam obligatio ista ad semper ex parte materiæ est,& materia ipsa mutabilitati subiecta est,idcirco contingit absq; uiolatione præcepti episcopum non semper residere. Quæcunq; enim ita se habent ad huius pręcepti materiam,quod secũdum rectę iudiciũ rationis absoluunt illam a uinculo necessarię continuitatis,excusant episcopum ab obligatione ad residendum pro tunc. Sunt autem quæ ab huiusmodi uinculo absoluunt & excusant tria. Necessitas impedimenti, qualitas negotij,& conditio personæ. Impedimentum quidem inuenitur dupliciter .s. ab extrinseco uel ab intrinseco. Si enim extrinseca persecutio uel infidelium uel principis christiani,cogit episcopũ exularę uel recedere,ut contigit beato Ioanni euangelistæ, & B. Thomę Cantuariensi licite episcopus subtrahit propriam presentiam gregi suo. Et in huiusmodi persecutionibus seruanda uniuersaliter est regula a D. Thoma tradita secunda secundę q. 185. ar. 5. in corp. Quod scilicet, quando subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam,non debet pastor personaliter suum gregem deserere,neq; propter aliquod commodum temporale, neq; etiam propter aliquod personale periculum imminens,cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si uero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium prouideri, tunc licet pastori uel propter aliquod cõmodum ecclesiæ, uel personæ periculum corporaliter gregem deserere. Quam regulam D. Thomas elicit ab Augustino in epistola ad Honoratum. ubi dicit. Fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, quando eorum quisq; specialiter a persecutoribus quæritur,ut ab alijs, qui nõ ita quærun tur non deseratur ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum,hi qui alijs indigent non deserantur ab his,quibus indigent. Si enim perniciosum est nautam in tranquillitate nauem deserere,quanto magis in fluctibus? Idem habetur.6. q. 2.Hæc D. Thomas. Distinguendum est itaq; quando expedit ecclesiæ præsenria corporalis seu personalis episcopi, etiam si corporalis eius uita auferenda credatur a tyranno, quoniam bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et quando expedit ecclesiæ ut uita uel libertas episcopi conseruetur. Ex ecclesie siquidem bono summenda est ratio præsentiæ seu absentię. Hæc de extrinseco impedimento.

Intrinsecum uero impedimentum quod ex corporea procedit. infir-

infirmitate, absolute loquendo excusat a residentia, puta si oportet mutare aerem ad recuperandam sanitatem, uel ire ad balnea & huiusmodi. In casu tamen imminentis periculi ecclesiæ suæ, cui sua obuiaret præsentia, teneretur sustinere egritudinẽ, etiam usq; ad mortem inclusiue. iuxta uerba domini iam citata. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

Negocium autem excusans a residentia licet multiplex ualde sit, ad triplex tamen genus reducitur, sicut ecclesia ipsa ex cuius bono, ratio residentiæ sumitur, tripliciter se habet. Nã ad aliquid se habet, ut totum ad partem, ad aliquid vero, vt pars ad totum, ad aliquid autem, vt pars ad compartem. Verbi gratia. Ecclesia Caietana habet se ad singulos actus sibi debitos puta visitari, doceri, defendi, & huiusmodi, vt totum ad partes. Habet autem se ad vniuersalem ecclesiam, vt pars ad totum. Ad alias vero ecclesias, vt pars ad compartes. Quando igitur negocium exigẽs absentiam episcopi, se habet ad ipsam suam ecclesiam, vt pars ad totum, puta quia imminet defensio ecclesiæ ob quam oportet episcopum ad remotiores partes se transferre, tunc liquet episcopum excusari a residentia. Et ratio est quia ipse tenetur suæ ecclesiæ exhibere non solum alios actus, sed istum, etiam qui est defendere, uel procurare bonum eius. Et propterea licite ob ecclesiæ suæ bonum, subtrahit corporalem præsentiam. Et ad hoc membrũ directe respicit quod in loco citato D. Tho. dixit, quod propter aliquod ecclesię commodum, episcopus potest se absentare. Quum uero negocium exigens episcopi absentiam ad uniuersalis ecclesiæ bonum spectat, clarum quoque est licite episcopum se absentare a sua ecclesia. Et ratio est, quia bonum partis ordinatur ad bonum totius, vt ad finẽ, & debet pars exponi pro totius bono, & si oportet etiam detrimentum pati, vt patet cum inciditur quandoque manus, ut saluetur persona. Vnde ecclesia particularis tenetur pro ecclesia uniuersali suũ exponere pastorem, & damnum etiam pati suæ absentię. Est tamen hic opus distinctione, an negocium huiusmodi vniuersalis ecclesiæ sit necessario exigens episcopum uel non. Nam si negocium necessario exigit episcopum, ut ire ad concilium generale, uel ad synodum prouincialem quæ etiam se habet ad episcopalem ecclesiam, ut totum ad partem, constat quod rationabilis est absentia. Sed si negocium vniuersalis ecclesiæ non necessario exigit episcopum, puta quia persona episcopi habet officium quo oportet ipsum

uniuersalis ecclesiæ seruitio perpetuo personaliter Romæ deseruire. Verbi gratia. quia est secretarius sedis apostolicæ, uel auditor rotę, aut huiusmodi, non ex hoc excusatur a residentia quo ad Deum. Et ratio diuersitatis est, quia partes dupliciter ordinātur ad bonum totius. Primo absolute. Et sic secundum naturalem statum ordinantur ad bonum totius, sicut manus, pedes, & cetera membra hominis absolute ordinantur secundum suos naturales status ad bonum, hominis cuius sunt partes. In casu autem quo totius bonum periclitatur, partes etiam perdendo naturales suos status ordinantur ad bonum totius.

Secluso autem casu necessitatis seu periculi totius, natura non requirit defectū in parte aliqua, sed utimur singulas partes salua re suis naturalibus statibus. Sic autem proportionaliter oportet fieri in toto & partibus ecclesiasticæ politiæ secundum rectā rationem, ita quod quęlibet particularis ecclesia ordinatur ad bonum, & seruitium vniuersalis ecclesiæ absolute quidem salua cuiusq; ecclesiæ perfectione, in casu autem necessitatis ordinat̃ ad bonum vniuersalis ecclesiæ etiam cum sui detrimento. Et quia seruitia quędam, vt ire ad synodum, sunt manifeste in articulo necessitatis ecclesię vniuersalis, vel prouincialis, seruitia autem quæ Romæ in huiusmodi officijs exhibentur nulla necessitate communiter exigunt, quòd episcopi incumbant talibus officijs, sed sunt tales in ecclesia dei velut monstra in natura, ideo nō excusantur a residentia.

Et si instetur, quod residentes in ecclesia communi, qualis est Romana, censentur vbique residere; Respondetur, quod si hoc est verum, fictione positiui iuris quod iuristis relinquo, non tamē est verum quo ad Deum, quia secundum ueritatem alius est finis proprius cure ecclesiæ communis, & alius est finis proprius cure ecclesiæ particularis, ac per hoc aliud est incumbere cure communis ecclesiæ, & aliud est incumbere cure particularis ecclesię. Et eadem ratione aliud est residere in cura particularis ecclesię, & aliud est residere in cura communis ecclesie.

Et si rursus instetur quod Cardinalis Romane ecclesie de iure potest esse episcopus alicuius particularis ecclesie, etiam remotissime ab vrbe, ac per hoc excusatur a perpetua residentia in sua particulari ecclesia ex hoc quod residet Rome, uacando cure uniuersalis ecclesie.

Respondetur dupliciter. Primo iuxta illorum opinionem qui

tenent Cardinalem non episcopum, posse nõ solum retinere episcopatum prius habitum, sed etiam posse eligi in episcopũ, quod hoc non conuenit Cardinali ex hoc quod perpetuę seruituti uniuersalis ecclesiæ est addictus, sed ex hoc quod presumitur, quia sic debet esse quod Cardinales sint flores orbis electi ex vniuersa ecclesia, ut uiri excellentissimi in uita & doctrina; ita ut merito ad uniuersalis ecclesię non qualecunque seruitium, sed hoc maxime scilicet curam, sint assumpti. De talibus autem viris rationabiliter presumitur quod non minus bene pascent particulares ecclesias suas absentes, quam alij presentes. Et idcirco non ex hoc capite solo, hoc est ex negocio vniuersalis ecclesie, sed ex alio adiuncto capite postmodum tractando, scilicet conditione persone excusatur Cardinalis a residentia in suo episcopatu etiam quo ad Deum. Vtrumque autem caput clauditur in hoc quod dicitur Cardinalis Romane ecclesie, quia incumbit perpetuo cure vniuersalis ecclesie, & presumitur de iure vnus ex primis sapientibus orbis, ad regendum, ac pascendum ecclesiam dei.

Secundo, iuxta doctrinam iuris communis editi ab Innoc. 3. Extra de postu.c. Bone memorie. vbi patet quod falsum assumitur, scilicet quod Cardinalis de iure potest esse episcopus cuiuscunque ecclesie quantumcunque remote, quoniam vt in dicta patet decretali propter impossibilitatem residendi in vtraque ecclesia Romana, scilicet & Rauennate prefertur vtilitas vniuersalis ecclesie, vt Cardinalis presens sit Rome, & non admittitur postulatio ipsius ad archiepiscopatum ecclesie Rauennatis. Et quia textus clarus est, & rationi innititur facte, ideo dicendum videtur quod Cardinalatus, & episcopatus sunt de numero incompassibilium de iure, vt Panormi. etiam ibidem sensit, quicquid sit de consuetudine, si tamen consuetudo, & non potius abusio appellanda est. Quum autem negocium ad bonum alterius particularis ecclesie ordinatum, exigit absentiam episcopi, contingit licite, & illicite episcopum abesse. Nam cum quelibet particularis ecclesia se habeat ad aliam particularem tam ecclesiam, quam personam, vt pars ad compartem, eo quod sumus omnes vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, potest & debet illam adiuuare. Dupliciter tamen vnum membrum ordinatur ad bonum alterius, tam in naturalibus, quam in politicis, scilicet absolute, vel in casu. Et absolute quidem quodlibet membrum saluo suo naturali statu confert alteri sicut oculus vi-

det sibi,& pedibus ac manibus. Et similiter pedes ambulant sibi & oculis & sic de alijs. Et similiter quelibet ecclesia ac persona in sua perfectione consistens,& sibi,& cuilibet prodest. Scriptum est enim in Symbolo, Sanctorum communionem. In casu autem necessitatis videmus naturam membrum quidem minus necessarium pro magis necessario exponere, vt pedem pro capite, sed non econuerso. Et rursus videmus quod pro maiori necessitate membri minus opportuni natura abhorret aliquid detrimenti sustinere in membro magis nobili, & necessario, vt patet quando ne perdamus pedem sustinemus lesionem aliqualem in capite puta cauterium. Quocirca, quum officium episcopi precipue circa spiritualia versetur, & spirituale est magis necessarium ecclesie, quam temporale, non licite episcopus propter tale negocium alterius persone, vel ecclesie priuaret ecclesiam suam spirituali pastu, ad quem persone sue presentia tenetur. Sed econtra optime faceret si in temporalibus damnum sustineret sue ecclesie, vt alteri in spiritualibus subueniret. Similiter cum vnum spirituale sit magis bonum necessarium quam aliud, puta negotium fidei vel pacis, quam ministratio sacramentorum, & huiusmodi. Laudabiliter episcopus pro negotio fidei vel pacis, in aliena moratur ecclesia. Et hac ratione episcopi licite sunt legati ad pacem inter Reges Christianos componendam. Si enim cuiusquam, inquit Ambrosius, officium est pacem facere, sacerdotis maxime officium est. Quod autem legati eant promiscue ad temporalia negotia, abusionis est. Scriptum est enim. Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. Posset quoque tanta necessitas alteri ecclesie, vel persone in minus bono spirituali, aut temporali imminere, vt laudabiliter ecclesia eligeret sustinere aliquod detrimentum, in seipsa per subtractionem sui pastoris ad tempus, vt tante alterius necessitati subueniret.

Prudentie autem humane relinquitur pensanda quantitas aliene necessitatis cum quantitate damni spiritualis precipue ecclesie proprie. Si enim bona fide prudens propter aliquod pietatis opus ecclesiam suam ad tempus corporaliter deserit, etiam si minus recte iudicaret non imputaretur ei ad culpam mortalē ab eo qui intuetur, quod cogitationes mortaliū timide & incerte sunt prudentie nostre.

Conditio autem personæ excusans episcopum a personali residentia

sidentia est unica, quando scilicet, persona talis est ut melius, aut saltem æque bene pascatur ecclesia a tali persona absente quam pasceretur ab alio præsente. Ob hanc rationem sunt sex episcopi uicini Romanæ ecclesiæ, habentes Romę residentiam, quia sunt episcopatus Cardinales. Ob hanc quoq; rationem posset unus plures ecclesias habere deficientibus alijs idoneis, & excusaretur a iugi residentia in una. Ob hanc quoq; rationem secundum quorundam opinionem, ut dictum est, concedunt iura ut Cardinalis Romanæ ecclesiæ possit eligi in episcopum alicuius particularis ecclesiæ. Et quia excusatio ex isto capite est per accidens, per accidentem scilicet penuriam pastorum bonorum, ideo nō est mirum si per accidens in huiusmodi casu oportet per aliquem titularem episcopum aut uicarium supplere opportunos actus, qui personalem præsentiam in ecclesia exigunt. Quod autem hæc quæ de personali residentia diximus ita se habeant, ex ipso etiam iure scripto de Clericis non residentibus satis patet, quia priuandi sunt non residentes absq; rationabili causa. Ex regulis quoq; Gregorij in pastorali personalē exigere industriam ac probitatem patet. Constare quoq; potest & ex articulo prius adducto secunda secundæ hanc esse Diui Thomę doctrinam, ubi nec persecutionis tempore concedit licitam esse absentiam pastoris nisi in casu. Quanto ergo magis absq; persecutione illicita est & perniciosa absentia pastoris sine rationabili causa? Hæc distin. 2.

Quo ad tertium respondendo obiectis dicitur ad primum, quod obligatio episcopi ad residendum in sua ecclesia, est ex pręcepto diuini iuris, ut monstratum est. Et ad primam obiectionem in oppositum dicitur quod, quia præceptum hoc est affirmatiuum, ideo nihil illi obstat quin in multis casibus liceat ab ecclesia abesse.

Ad Secundam dicitur, quod nec illa comparatiua .s. sufficientius per alium quàm per se episcopus regit, excusat ipsum a residentia, quia licet uerum sit quod sufficiētius per alium quam per se episcopus regat, non tamen ex hoc habetur quod sufficienter regat. Quilibet enim malus rector sufficientius per alium bonum quàm per se regit, & tamen stat quod nec alius sufficiēter regat. Nec illa positiua scilicet sufficienter per alium regit excusat ipsum a residentia, quoniam licet per hoc sufficienter sit prouisum episcopatui ex parte ecclesiæ, non tamen sufficienter ex parte

episcopi,quia non solum tenetur ad prouidendum ecclesiæ, sed tenetur ad personaliter pascendum ecclesiam ut monstratum est. In debitis autem personalibus non absoluitur debitor si per alium facit. Verbi gratia, Sacerdos si per alium deuotum ac sanctum clericum diuinum officium pro se dici faciat, sufficienter satisfacit illis pro quibus tenetur orare, sed non propterea excusatur a dicendo officium, quia est debitum personale. Et similiter accidit in proposito. Vnde cum dicitur, si residentia sub præcepto caderet hoc esset ex necessitate finis qui est salus animarum, conceditur, & dicitur quod salus animarum necessitat pastorem suum ad personale debitum, hoc est personalem curam animarum. Et quum dicitur. Salus animarũ procurari potest absq; personali episcopi cura, ergo non necessitat ipsum ad personalem curam. Respondetur, quod quia in moralibus non attenditur possibile secundum potentiam logicam, hoc est quod non implicat contradictoriũ, sed secundum potentiam moralem officiorum. constat autem ex Domini sententia quod mercenarij officium non se extẽdit ad id quod præcipuum est in pastore, scilicet amorem ouium suarum non alienarũ, & propterea dicitur quod per se loquendo, salus animarum ita necessitat pastorem ad personalem curam, quod regulariter non potest sine ipsius personali cura episcopi haberi, quamuis per accidens contingere forte hoc possit, Sed quod est per accidens non uariat naturam moralium uinculorum. Et propterea non excusatur episcopus a personali residentia ex hoc quod per optimum uicarium prouidet ecclesiæ.

Ad Tertiam dicitur, quod non consuetudo sed abusus est tot episcorum non residentium & sequentium curias. Et quia, unusquisq; pręsumitur pænitens in fine uitæ suæ, quando cum sacramentis & sanctæ ecclesiæ communione recedit, ideo nihil honoris non residentium tumulis ecclesia adimit. Nec hoc uideri debet durum ei qui illud Hieronimi considerat, non omnes episcopi, sunt episcopi.

Ad secundum principale dicitur quod Episcopus tenetur ad utrunq; simul residentiam & opus, & quum instatur contra hoc ex parte magnitudinis diocesis, respondetur, quod nulla est adeo magna diœcesis cui non possit unus episcopus personaliter exhibere omnia quæ sui sunt officij, si uere uult curam ouiũ suarum gerere. Quum autem instatur ex parte illustris generis respondetur,

detur, quod nemo illustrior illo est qui pontifex assistens futurorum bonorum introiuit sem el in sancta. Qui de seipso dicit, Filius hominis nõ uenit ministrari sed ministrare & dare animam suam pro multis. Nec acceptet uir illustris episcopatum si non uult pastorale officium exercere. Sibi ipsi imputet illustris qui acceptauit episcopatum & exequatur quod promisit. Seruet Deo & ecclesiæ fidem. Turpem se recognoscat, si nomen, potentiam, honorem, ac diuitias Episcopi tenet in persona sua, officium autem alteri delegat, quoniam priora omnia suę data sunt personę, ut habeat simul cum ipsis personale officium episcopi. Cum his tamen stat quod persona episcopi, salua conscientiæ puritate, ex rationabili causa abstineat ab aliquo proprio sibi actu, & per alium exerceat illum, puta quod prædicet per alium, ubi hoc magis expediens fuerit, exemplo Valerij, qui per Augustinum prædicabat &c.

FINIS.

CONTROVERSIA DE NECESSARIA RESIDENEIA PERSONALI EPISCOPORVM, ET ALIORVM inferiorum Paſtorum Tridenti explicata per F. Bartholo-mæum Carranzam de Miranda inſtituti B. Dominici.

ET REGENTEM IN COLLEGIO S. GREGORII *eiuſdem ordinis in Valle Oletana.*

LVCAE DECIMO.

Meſsis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo dominum meſsis, ut mittat operarios in meſsem ſuam.

CONTROVERSIA DE RESIDENTIA MINISTRORVM ECCLESIAE.

DECLARATVR QVIBVS GENERIBVS *argumentorum examinanda ſit præſens controuerſia.*

CAPVT PRIMVM.



IN SACRIS diſciplinis multiplex eſt locus arguendi unus eſt ex ſacrarum ſcripturarum teſtimonio, & hic eſt firmiſsimus locus argumentandi. Alter eſt ex ſacrorum conciliorum generalium, uel prouincialium traditione. Tertius eſt ex ſanctorum, & ueterum Patrum eccleſiæ, ſentẽtia. Iſti omnes ſunt proprie loci Theologici, quibus omnibus contendam demonſtrare, uniuerſos miniſtros eccleſiaſticos ex iure naturali, & diuino teneri ad reſidentiam perſonalem in eccleſijs à quibus temporalia ſtipendia deſumunt. Poſtremo addemus, & rationes humanas, qui locus arguendi nõ eſt alienus ab

hac

hac disciplina, sed ne diu uagemur. Primum ostendamus, unde uim habeant quæ nobis præcipiuntur, & an pastores spirituales dignitate tantum nobis præsint & imperio, an etiam munere & officio. Magna quidem res est residētia pastoralis, & grata omnibus esse debet, & iocunda certe populo christiano, quandoquidem ex ea omnis instaurandę ecclesiæ ratio, omnis restituendæ religionis modus leges, instituta, mores, ueterem christianam ueramq; disciplinam reuocandi facultas pendeat atq; proficiscatur, quę cum ita sint, & tanti referant, silere non licet, neq; in tāto religionis nostræ discriminę tantoq; aïarum cōi periculo cuiquā consulere potius, quam officio nostro, & publicæ utilitati.

EXPLICATVR PER DVO AXIOMATA *totus status præsentis controuersiæ. Cap. 2.*

EORVM ad quæ legibus tenemur, quædam sunt iure diuino prohibita, uel præcepta, quæ nullam institutionem habent à iure naturali, ut baptizari aqua, & usus aliorum sacramentorum. Alia uero sunt iure naturali prohibita, quæ nullam nouam institutionem habent à iure diuino, ut furari, mœchari, &c, Alia autem ab utroque iure prohibita sunt, uel præcepta V. g. reuerenter tractare sacramenta, mūdum summere cœnam Dominicam, ne liceat uendere sacram uestem, aut præbendam, quia sacra res est. Hæc pendent ab utroque iure. Qui in istis offendit, omnia iura uiolat naturalia & diuina, quoniam hæc habent institutionem à iure diuino (ab eo enim sunt sacramenta, & ministeria sacra) si tamē dederis aliquid esse a Deo destinatum ad sacra, aut assumi instrumentum an sanctificādos homines (quod uocant sacramenta) iura naturalia prohibent illa uēdere, aut emere. Nec opus est noua aliqua prohibitione, aut legē diuina. Et eadem iura præcipiunt, ut istæc reuerenter tractentur. Huius tertij generis sunt, quæ nunc controuertuntur, de residentia ministrorum ecclesiasticorum.

Futuros esse in ecclesia Episcopos, & pastores alios inferiores iura diuina instituunt, & Apostoli tradiderunt. Actu. 20. Attendite uniuerso gregi in quo spiritus sanctus uos posuit episcopos ad regendam ecclesiam Dei, & j. Timoth. 3. & Tit. j. Et iura naturalia, & eam diuina pręcipiunt, ut faciant officia sua. Ideo utriusq; iuris uiolator est, q̃ ab illo cessat. Quo circa statuat. j. cō-

ꝯclusio quam inter orthodoxos indubitatam processu operis demonstrabimus.

Omnes ministri ecclesiastici pręsertim Episcopi, & parochi ex iure naturali, & diuino tenentur non per mercennarios, sęd personaliter facere officia sua.

Ex qua colligitur secunda conclusio æque certa.

Ex utroque iure tenentur Episcopi, & parochi ad regularem & ordinariam residentiam siue præsentiam, corporalem in suis ecclesiis, & diecœsibus.

Arbitror non esse diuersa, re, teneri ad usum officij, & ad residentiam personalem, sed solo nomine esse diuersa. Quoniam ad hoc nempe personaliter residere nemo tenetur nisi propter illud.s.ut faciat officium suum. Vnde siquid operis est, quod ponit absens ecclesię sue facere, in eo non tenebitur ecclesiæ adesse, quia cessante causa, cessant & illa, quæ ad eam consequuntur. Quo circa eisdē argumentis ostendemus utrāq; cōclusionē.

Ad utriusque igitur euidentem demonstrationem statuamus ista ministeria, & prælaturas ecclesiasticas esse a Deo instituta, & ad hoc instituta, nempe ad certas actiones exercendas, ut patet ex Ioan. cum Christus instituebat Petrum primum, & summū ecclesiæ pastorem, non dixit ei. esto Pontifex, sed: pasce, guberna, rege oues meas, gregem meum, certam operationem mādauit, nempe pascere, regere. & Num. 18. cum in lege institueret dominus sacerdotes: Aaroni, & filijs suis tradit primitias ꝓ officio sacerdotali; filiis autem Leui iubet donari omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt ei in tabernaculo fœderis, & j. Timoth. 3. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus dixit, non imperium, non dominationem, non dignitatem, quamuis sit etiam præclara dignitas. & Aug. (explicans Paulum) inquit, exponere uoluit Apostolus, quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Episcopi sunt superintendentes, &c. et habetur. 8. quæstio. j. Qui episcopatum. ergo sua institutione tenentur. ad præscriptam operationem. et Hieronym ad Oceanum explicans eiusdem Apostoli uerba. Si quis episcopatum desiderat, &c. opus, non dignitatem, laborem, non delicias, opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio, &c. Idem ad Nepotianum. episcopi Sacerdotes, sciant se ministros esse, non dominos. et infra subdit. Recordemur semper quod Apostolus Petrus præcepit Sacerdoti-

dotibus. Pascite enim qui in uobis est gregem Domini; prouidentes non coacte, sed spontanee, secundum Domini præceptum habetur dist. 95. esto. Origen. in Esaiam. Hom. 7. Qui uocatur ad episcopatum, non ad principatum uocatur, sed ad seruitutem totius ecclesię. Si uis credere de scripturis quia in ecclesia seruus sit omnium, qui præest, suadeat tibi ipse Saluator & Dominus, qui talis tantusq; factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans. Accipiens linteum postquàm exutus est uestimentis &c. Bernar. ad Eugenium papam epistola .237. Si Christus te misit, æstimabis tibi, non ministrari sed ministrare uenisse, & ministrare, non solum substantiam, sed ipsam quoq; animam; sicut præfatus sum &c. Huc facit canon ille ecclesiasticus. Beneficium datur propter officium. Omne ergo ministerium ecclesiasticum institutum est ad aliquam actionem hęc est status nostri tam firma & certa probatio, ut si opus sit etiam aduersus omnes portas inferorum queat subsistere.

TESTIMONIIS VETERIS TESTAMENTI *probatur necessaria residentia personalis ministrorum ecclesiæ.* cap. 3.

SED iam ostendamus quod in principio promisimus, nos ostensuros, teneri, scilicet pastores omni iure ad residentiam personalem, ac primum quid in sacris literis inueniamus incipientes ab scripturis ueteris instrumenti.

Postquam Dominus sub Mose constituerat ministros tabernaculi sui Aaronem & filios eius, addideratq; eorum coadiutores Leuitas fratres suos, dixit uniuersis. Excubate in custodia sanctuarij, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel &c. omnia quæ sanctificantur à filijs Israel tradidi tibi & filijs tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna, filijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis &c. Hæc Dominus ad Aaronem. Omnia in figura fiebant apud illos, inquit Paulus, & tabernaculum illud nostræ ecclesię figura fuit in Aarone & filijs, intellige pastores maiores, nempe Romanum cum cæteris episcopis orbis. In filijs Leui adsumptis a Domino, ut ministrent maioribus ministris, nempe Aaroni & filijs suis, intellige inferiores pastores, quos olim uetus ecclesia uicarios, uel coaudiutores episco-

porum uocabat. Vniuersis igitur dixit Dominus. Excubate in custodia ecclesiæ meæ,& in ministerio altaris mei, ne oriatur indignatio super populum meum,Non dixit dominus.Ne oriatur indignatio mea super uos dormientes aut ociosos, abalienatos à ministerio altaris mei, sed super populum meum, ostendens punitorum peccata sacerdotum in populo,non in illis tantum,quoniam populus particeps semper est delictorum ministrorum. Vix caueri potest,ut corrupto sacerdotum collegio,non corrumpatur & populus,iuxta illud.Qualis populus talis sacerdos. Deinde si cessent sacerdotes fungi suo officio,necesse est,indignetur Dominus super Israelem, à quo semper offenditur, & nisi placetur intercessione sacerdotum,sæuitura est ira eius in populum. Modo certum est sacerdotes in curijs Pontificum aut Cæsarum degentes,aut aliàs secularia negotia tractantes, non posse excubare in custodia ecclesiæ suæ,nec in ministerio altaris sui occupari. Si ergo id exigebat Dominus à Leuiticis ministris, quid exactûrum putas ab Euangelicis? quorum iustia abundare debet supra iustitiam scribarum, & Pharisæorum? Merito timeamus, ut hæc mala, quibus nunc premitur ecclesia, immiserit Dominus propter cessationem, & ignauiam Pastorum. deinde annota quòd cum assignat Dominus mercedem temporalem suis ministris semper subiungit,hæc tradidi tibi pro officio sacerdotali & filijs Leui dedi decimas pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo.unde collige quòd si cessent ibidem seruire,nō meretur mercedem eis assignatam.

Secundo, Salomon libro Prouerbiorum,inquit,diligenter cognosce uultum pecoris tui, tuosq; greges considera. non enim habebis iugiter potestatem,sed corona tribuetur tibi in generatione & generationem. Hebrea uersio sic habet,cognoscendo cognosces faciem pecoris tui, & pone cor tuum ad greges. Bona pars Doctorum ecclesiæ putat hæc dicta ad ministros ecclesiasticos,habentes curam aliquam animarum.Quid.n.lucidius potuit proponi,ut intelligeremus lege esse prohibitam absentiam ministrorū ab ouibus suis?Si non satis est ministro de nomine tantum agnoscere oues suas,sed oportet(ut uidemus ex precepto Dominico)quòd de facie etiā uniuersas & singulas agnoscat, quæ uix potest facere præsens & in suo munere uigilātissimus episcopus, quomodo absens poterit satis facere huic præcepto spiritus sancti? Minime gentiū. quod dixit hic Salamon spiritu Dei afflatus

uisa est aperte explicare æterna illa sapiētia Christus Iesus,dicēs, Ego sum pastor bonus,& cognosco oues meas,& cognoscūt me meæ. Et paulo inferius.Et oues uocē pastoris audiūt, & sequunt illum,quia sciūt uocē eius,& pastor proprias oues uocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiserit ante eas uadit.hæc Christus,hic pastorum princeps & quiuis alius uerus pastor cognoscendo cognoscit faciem pecoris sui, suosq; greges cōsiderat.Et quid obsecro est dicere, Bonus Pastor animā suam ponit pro ouibus suis,nisi ꝙ iuxta hebræam uersionē hic dicitur. Pone cor tuū ad greges,quæ uerba singularem quandā curam & insignem sui gregis dilectionem designāt,de qua dilectione Ioannes.In hoc cognouimus(inquit)charitatē Dei,quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.Si pro fratribus quorum non est peculiaris cura nobis,debemus uniuersi animas ponere,quāto magis pastores hoc ipsum facturi sunt pro animabus illorum, pro quibus reddituri sunt rationem Domino in die iudicij? hic nihil exaggeramus,sed tātū relinquimus sola uerba spiritus sancti prudēti lectori expendēda,& quid sentiēdū sit de hac diuina ordinatione ipse iudicet.

Tertio produco ex ueteri testamento Exechi. prophetam ad quē sic dicit Dominus.Fili hominis ꝓpheta de pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nōne greges à pastoribus pascuntur? Lac cōmedebatis,lanis operiebamini, quod crassum est occidebatis,& gregem meum non pascebatis.Quod infirmum fuit non consolidastis,quod ęgrotum nō sanastis, quod confractum est, nō consolidastis,& quod abiectum est,non reduxistis,& quod perierat,non quæsistis,sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.Et dispersæ sunt oues meæ,eo ꝙ non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. Errauerunt greges mei in cunctis montibus.& in uniuerso colle excelso,& super omnem faciem terræ dispersæ sunt,& non erat, qui requireret &c. quo loco audi Grego. in Pastora. parte.1. cap.6. Abiectum reducitur. cum quis in culpa lapsus ad statum iustiæ ex pastoralis solicitudinis uigore reuocatur, fracturam uero ligamen astringit,cum culpam disciplina deprimit,ne plaga usq; ad interitum defluat, si hanc districtionis seueritas non coartat, sed sæpe deterius frangitur,cum fractura incaute colligatur,ita ut grauius scissuram sentiat,si hanc immoderatius ligamenta constringant. hactenus Grego. Non uideo quid explicatius possit dici.

Hic

Hic opus est non argumentatione aliqua, sed attention ͏e ocla & fide. Si ad hæc verba attendamus & credamus, quòd ex ore domini prodierint, & ab spiritu domini proponantur, quis negabit teneri pastores ad perpetuam residentiam in suis ecclesijs? Si hæc requirenda sunt a pastoribus, si ea cura, ea solicitudo, vt quod ægrotum est in animabus fidelium contendant sanare, quod con fractum est, alligare, quod abiectum est, reducere, & quod perie rit ex numero fidelium reuocare, viderint illi, si hæc absentes, & ignorantes ouium suarũ, quas absentes cognoscere minime potuerunt, præstare poterunt. Quod si possunt, dicant se nullo iure obligari, vt inter oues suas sint frequentes, & familiariter conuersentur. Quod si non possunt (vt verum est) relinquant aulas, & veniant ad caulas ouium suarum, & curam earum agant. Obserua lector verba illa Domini. Dispersæ sunt oues meæ, & factæ sunt in deuorationem bestiarum agri, eo quòd non sit pastor. Quid est dictu non esse pastorem aliquem in Israel? Si nullus erat pastor, quid est, quòd Dominus dicit ad prophetam. Fili hominis propheta de pastoribus Israel. Et propheta clamat. Væ pastoribus Israel, & si veri pastores erant in Israel quid dicit, eo ꝙ non sit pastor? Certum est dixisse dominum, non esse pastores in Israel, quia perinde est, absentes esse pastores, aut ociosos, nec exercentes officia sua, ꝙ est non esse pastores. Quid enim confert esse pastorem, si nihil agat? Huic veritati prætexunt aliqui, & causantur, quòd sint iuste occupati in negotijs, & officijs publicis, quorum recta, & bona administratio est ecclesiæ maxime necessaria, & iō per viros probos & doctos exercenda. Hac excusatione puto grauari magis peccatum eorum, quoniam stipendijs ecclesiasticis obeunt prophana munera. Sed & quamuis necesse sit, publica illa officia per tales viros administrari, non tamen hęc tam necessaria, & tam sacrosancta munera erant propter illa deserenda, sed econtra, illa alijs deleganda, vt hęc possent per idoneos ministros rite dispensari, sicut fecerunt Apostoli, de quorũ successione Episcopi vere gloriantur. Qui cum œconomiã exercerent, & curam pauperum haberent, videntes quòd minime possent vtrique officio pro sua necessitate satisfacere, abdicarunt sese ab officio suo ciuili, & reseruarunt solum ecclesiasticum, elegerunt Diaconos siue œconomos, qui œconomiam exercerẽt, vt ipsi Apostoli prædicationi & orationi vacarent. Qua in re obseruandum est, quam longe ab Apostolis distent nostri pastores.

Nam

Nam Apoſtoli retinuerunt id officium, quod vere Apoſtolicum erat, puram adminiſtrationem euangelij. At, noſtri paſtores abdicatio alijsq; delegato prædicandi euangelij, officio, retinuerūt ſibi ciuilia & prophana miniſteria. Vtinam ad menſas, & curam pauperum, quam reliquerunt Apoſtoli, iſti redijſſent.

Præterea quarto ſunt verba Domini ad Zachariam prophetā dicentis. Ad huc ſumme tibi vaſa paſtoris ſtulti, quia ecce ego ſu ſcito paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum nō quæret, & contritum non ſanabit, & carnes pinguium comedet. O paſtor & idolum derelinquens gregem gladius ſuper brachiū eius, & ſuper oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur. Hæc dicit Dominus. Vide quam graphice depingantur nonnulli paſtores huius noſtræ tempeſtatis, qui habent quidem vaſa paſtoralia, peram, baculum, & mitram, & lana, & lacte ouium fruuntur: gregem tamen eis commiſſum non paſcunt: Hos appellat ſpiritus Domini, paſtores & idola: Paſtores quidem, propter authoritatem epiſcopalem, quam etiam mali paſtores retinent; idola, propter repræſentationem eius rei, quam vere non habent, ſed mortuam illius imaginem. faxit chriſtus, ne videamus & reliqua, quę ſpiritus ſanctus comminatur Epiſcopis derelinquētibus gregem ſibi commiſſum, nempe gladium ſuper brachium eorum, hoc eſt, ſuper potentiam eorum temporalem, ſicut iam ab Aquilone deſcendebat, diſſecans, & perdens eccleſiaſticam poteſtatē, niſi dominus eccleſiæ ſuæ miſertus, per Carolum Cæſarem huic gladio occurriſſet, qui in fortitudine brachij ſui, aduerſariorum eccleſiæ comminuit hoc anno potentiam.

Per oculum dextrum intellige rectitudinem iudicij, prouidentiam, ſolicitudinem, in agendis, intelligentiam legis, & myſteriorum eius. Hunc minatur excæcandum Dominus paſtoribus ſtultis, qui derelinquunt gregem, contra quos ſpiritus Domini adhuc clamat per Hier. Sacerdotes non dixerunt populo meo, vbi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me: Et paſtores præuaricati ſunt in me. Hoc ipſum viſus eſt dixiſſe Hiero. cum ſcriberet ad Heliodorum. Non omnes epiſcopi, epiſcopi ſunt, quoniā epiſcopus græce inſpector eſt ſiue curator. Hinc falsò dicuntur epiſcopi, qui ſibi viuunt, non gregi, ſed de nominibus, ſuus poſt erit locus.

Duo ſunt hoc loco, quæ meo iudicio euidenter demonſtrant immane

immane delictum reputari apud Deum absentiam episcoporum a suo grege. Primum est, quia eiusmodi episcopos derelinquentes greges, vocat spiritus Domini pastores & idola. Alterum est seuera illa pœnæ interminatio. Brachium eius ariditate siccabit. Quibus malis non solet comminari Dominus, nisi vbi est insigniter offensus. quæ duo lectori expendenda relinquo.

Item lib. Nume. Moses cui iam significata erat mors sua, de pastore sui loco ordinando sic dominum allocutus est. Prouideat dominus deus hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore. Quibus verbis aperte Moses declarauit officia episcoporum, quæ (vt vides) necessario requirunt præsentiam personalem eorundem. confirmat hoc Esai. enuncians aduentum filij Dei in carne, describitque illum pastorem, & in eo declarat munus spirituale pastorum, dicens: Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit. Diligentius adhuc hæc duo loca considerarem atque tractarem, nisi haberemus alia loca multo manifestiora, quibus collatis & ista liquidius manifestantur, & si ista non essent, illa sufficerent.

TESTIMONIIS EVANGELICIS PROBA-
tur residentiam personalem ministrorum ecclesiæ esse de Iure diuino. Cap. 4.

MATTH. 10. quando misit Christus duodecim Apostolos per ciuitates Israelis prædicare euangelium, cum præfatus fuisset. Messis quidem multa, operarij vero pauci, rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam &c. Sed hæc obiter annotemus, quia non dixit Christus, sacerdotes pauci, doctores pauci, sed operarij pauci, quia semper orbis habuit sacerdotum, & doctorum numerosam multitudinem, operarios vero, qui sacerdotum, & episcoporum officio recte fungerentur, semper habuit paucos. Hæc igitur præfatus primo ordinauit, vt gratis administrarent munera illa cœlestia, tantum permisit, vt operantes apud illos salutem æternã quę ad vitã naturalem seruandã erant necessaria, desumerent, dicẽs.

Edentes, & bibentes, quę apud illos sunt, quoniam dignus est operarius cibo suo. Theophi. hoc est à discipulis pascemini, debebunt enim hoc uobis ut operarijs. Dixit autem cibo, nō luxu, neq; n. delitiari oportet doctorem. Hæc Theophi. Expēdamus uocem illam, operarius, Qui non est operarius non est dignus cibum desumere, nec illi debetur aliqua merces in ecclesia. Sed qui non sunt in dioecœsi sua non possunt in ea operari, ergo absentes non possunt iure accipere mercedem aliquam, cum non sint operarij. Hoc idem præscripsit Christus septuagintaduobus discipulis. Luc. 10. Dicens; Comedite, & bibite, quæ uobis apponuntur, dignus est operarius mercede sua. Theophi. Pro mercede autem habere cibum, & ne quęratis, & pasci, & mercedem insuper accipere, sed cibum pro mercede habetote. Soli ergo operarij suscipiunt ex institutione euangelica mercedē in ecclesia. Chrysost. super Matth. cap. 10. Expendamus utranq; uocē, operarius, & mercede sua; Mercedem appellat, ut rem debitā dari sibi ostenderet. Dignus est operarius cibo suo dixit Christus, ne Apostoli plus aliquid quærant. Confirmatur hoc ex uerbis Pauli in 2. ad Timoth. 2. Solicite autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem rectè tractantem uerbum ueritatis. quo loco Paulus instruit episcopum, & præcipit ut se exhibeat operarium inconfusibilem. Secundo cōfirmatur hoc ex eodem Paulo. j. Timot. 5. Qui bene pręsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo, & doctrina. Dicit. n. scriptura, Dignus est operarius mercede sua, & non alligabis os boui trituranti. Obserua uerba Pauli, docet duplici stipendio dignos presbyteros, sed eos tantum, qui bene præsunt, & eos, qui laborant in uerbo, & doctrina, quod probat per scripturā, quę iubet, ne infrænetur bos triturans. Vnde ociosus bos poterat infrænari. Ergo & minister ociosus, & absens potest infrænari, ne pascatur ex fructibus ecclesiæ. Igitur si uelint pasci, & fructus desumere, tenentur laborare triturando messem Christi, quod absentes facere non possunt. Ergo quatenus tenentur ad actionem ministerij, & laborē, eatenus tenentur ad præsentiā regularem in ecclesijs suis. Chrysost. j. Timot. 5. Duo adducit Apostolus testimonia, primum ex lege Deu. 25. Non alligabis, &c. Alterum ex Chryso. Dignus est operarius, &c. & ambo sibi consentiunt, uult Dominus laborare doctorem. Itaq; si quis delicatus est, aut remissus fuerit, dignus

pe inuiseret cognosceret illas, ac pastor qualis Christus cognoscit suas oues, quia curam illarum agit, & rursus cognoscitur ab illis, quas visitatione dignatur, & propter consuetudinem agnoscentium suum curatorem. Obserua quid intersit inter mercenarium & pastorem. Ille si lupum videt venientem, fugit, quia non pertinet ad eum de ouibus. Iste uero ponit animam suam pro ouibus suis. Et quot exempla nobis exhibent huius doctrinę præsentia hæc deploranda secula? Quid perdidit totam ferè Germaniam, nisi ocium & absentia pastorum? Volentes esse principes seculares, desierunt esse pastores. Venerunt lupi in stabulum ouium, non inuentis pastoribus rapuerunt, & aberrare fecerunt oues, sicut nunc misere per varias hęreses & sectas aberrant. Quæ mala flebat olim Dominus per Hierem. cap. 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Quid ab alienauit à tota ecclesia Angliam, nisi quod vix vnus pastor inuentus est, qui poneret animam suam pro ouibus suis? Et cum hæc sint luce meridiana lucidiora, sunt non rari pastores, qui sibi persuadent se nullo iure teneri, vt sint cum ouibus suis, nisi constitutione quadam Pontificia, non autem constringi lege aliqua diuina, aut naturali. Hoc loco idem Theophi inquit: Hinc differētiam mercenarij & pastoris elicies, Nam mercenarius ignorat oues, quia raro visitat eas, pastor vero cognoscit oues proprias, tanquam erga eas solicitus. Item Chryso. super Ioan. 10. hom. 59. explicans verba Domini: Ego sum pastor bonus, ita scribit. Magnum quiddam dilectissimi, magnum inquam ecclesiæ prelatio, & quæ multa indiget sapientia & fortitudine qualem Christus proposuit, vt nunquam oues deseramus, lupo generose resistamus. Hæc enim inter pastorem, & mercenarium differentia. Alter proprie contemptis ouibus, alter sua contempta, ouium semper saluti inuigilat. Et hoc ipsum ex testimonio Ezechielis confirmat. c. 34. Væ pastoribus Israel &c.

Quidam voluit infirmare argumentum acceptum ab hoc loco dicens, verba huius capitis pertinere ad solum Christum, nec ad alium pastorem posse accommodari, ac proinde aiebat, quæ in eo capite dicuntur, non esse requirenda ab alio pastore ecclesiastico, nec ex his sumendum argumentum, vt probaretur residentia ex iure diuino. Sed quam sint hæc voluntarie dicta, patet.

Primo, idem Apostolus qui ex persona Christi recensuit, quæ hoc capite annotantur, scripsit in epistola sua prima (& forsan arguens ex his, quæ scripserat in historia euangelica) In hoc cognouimus charitatem dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, hic Ioannes ex facto Christi arguit, quid nos debeamus facere, ad hunc modum ex his quæ hoc loco dixit Christus de se, proponēs seipsum exemplar à nobis imitandum, arguere debemus, quæ sint, quæ ille requirat à reliquis pastoribus ecclesiasticis, quod & ante nos fecerunt omnes patres ecclesiæ; Augustinus in epistola ad Honoratū arguit, quòd instante aliqua persecutione ouium, episcopus non potest fugere, quia exemplo Domini tenetur bonus pastor, ponere animam pro ouibus suis, simile quid collegit vbi ait, de verbis Domini Serm. 50. pastor bonus Christus, quid Petrus, nónne bonus pastor? nónne & ipse animam suam pro ouibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tēpora consequentes beati episcopi Martyres? Quid etiam iste sanctus Cyprianus; Nónne omnes pastores boni? Non mercenarij de quibus dicitur. Amen dico vobis perceperunt mercedem suam? Omnes ergo isti pastores boni, non solum quia sanguinē fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt. Idem alibi citatus in cathena. Si autem prepositi ecclesiæ, qui filij sunt, pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnius mēbra pastoris, & quidem qui pastor est, dedit hoc membris suis. Nā & Petrus pastor & ceteri Apostoli pastores, & omnes boni episcopi. Vides lector secundum Augustinum verba huius capitis, non ad solum Christum pertinere. Eadem & fusius annotauit B. Cyrillus in Ioannem, cuius verba infra recensebo. Deinde Christus hoc loco distinguit inter mercenarium, & pastorem, & generaliter notat signa, quibus iste distinguitur ab illo, & vnum est hoc, quia bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis, nec fugit veniente lupo, quod facit mercenarius. igit non de solo christo accipienda sunt, quæ hoc capite docentur, sed ab illo ad reliquos pastores transferenda, & ab eis requirenda.

Octauo arguitur ex verbis Domini ad Petrum, volens Dominus ascensurus ad patrem vicarium in terris instituere & Petrum vniuersæ ecclesiæ pastorem præficere dixit illi, Simon Ioannis diligis me plus his? dixit ei, etiam domine, tu scis quia amo te. Dixit ei. Pasce agnos meos. dixit ei iterum, Simon diligis me? ait illi

etiam

etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum. Pasce agnos meos. Dixit ei tertio. Petre amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me,& dixit ei, Domine tu omnia nosti,tu scis,quia amo te.Dixit ei. Pasce oues meas. Hoc loco solo scripturarum contendit.Caie.Cardinalis demõstrare certum, & euidens episcopos vniuersos teneri ex præcepto iuris diuini ad residentiam personalem, & vere locus hic est,meo quidem iudicio efficacissimus,qa verba illa tertio repetita,Pasce oues meas, sunt verum & absolutum Domini præceptũ, quibus aperte præcipitur ministerium pascendi, & regendi oues Dominicas ijs qui hanc curam susceperint, quod exerceri nulla ratione potest nisi adsit episcopus præsens:Quoniam ministerium pascẽdi implicat multa,quæ necessario requirunt præsentiã personalẽ,vt locupletissime explicauit Card.Caieta. & nos fusius infra adnotabimus. Sic intellexerunt hũc locum fermè omnes patres ecclesię,quorũ primo loco produco, Bernardum, qui super cantica sermo. 76. Sic ait. Non ociose toties repetitum est, Petre amas me,in commissione ouium, & ego quidem id significatum perinde puto,ac si illi dixisset Iesus,Nisi testimonium tibi perhibente conscientia quòd me ames, & valde perfecteque ames, hoc est, plusquam tua, plusquam tuos, plusquam & te, vt huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtique meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis tyrannorum corda concutere. Propterea attendite vobis quicunque opus ministerij huius sortiti estis. Attendite inquam vobis & prætioso deposito,quod vobis creditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam, sponsa est, studete ornatui,oues sunt, intendite pastui, & hæc tria ad illam Domini trinam sciscitationem forte non incongrue pertinere dicentur. Porrò custodia ciuitatis,vt sit sufficiens trifaria erit,a vi tyrannorũ,a fraude hæreticorum,à tentationibus dæmonum. Sponsæ vero ornatus in bonis operibus,& moribus,& ordinibus. Ac pastus ouium communiter quidem in pascuis scripturarum tanquam in hæreditate domini,sed est distinctio in illis. Nam sunt mandata quę duris atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ, & disciplinæ: Et sunt olera dispensationũ,quæ infirmis & pusillis corde de respectu misericordiæ apponuntur. Et sunt consiliorũ solida fortiaque, quæ ex intimis sapientiæ proponuntur sanis, & qui

exercitatos

exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Paruulis nanq; tanquã agniculis adhortationis lac, potus datur, non esca. Ad hæc boni soliciti q; pastores impinguare pecus non cessant bonis lętisq; exemplis & suis magis quam alienis, nam si alienis & non suis ignominia est illis, & pecus ita non proficit. Si.n.(uerbi causa) ego qui uideor inter uos pastoris gerere curam, uobis ap posuero Moysi mansuetudinem, patientiam Iob, misericordiam Samuelis, Dauid sanctitatem, & siqua sunt eiusmodi exempla bo norum, immitis ipse, & impatiens atq; immisericors, & minime sanctus, sermo, ut uereor, minus lapide eueniet, & uos minus aui de capietis. Verum hoc supernæ pietati relinquo, ut quod minus uobis ex nobis est ipsa suppleat, & quod perperam ipsa corrigat. Nunc uero bonus pastor hoc quoq; curabit, ut secundum euangelium inueniatur habere sal in semetipso, sciens quia sermo sale conditus quantum placuerit ad gratiam, tantum proderit ad salutem. Hæc interim de custodia ciuitatis atq; ornatu sponsæ, nec non & pastu ouium dicta sint. Hæc Bernadus. Audis candide lector testem omni exceptione, maiorem qui perspicue & plene confirmat sententiam nostram. quid potest ad hæc responderi, nisi negetur tanti doctoris authoritas? sed audi rursus eundem.

Item sermone secundo de resurrectione Christi, sic ait. Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem domini. Pasce, inquit, mente, Pasce ore, Pasce opere, Pasce animi oratione, uerbi exhor tatione, exempli exhibitione, Item Alcuinus eiusdem uocis signi ficationem explicat, dicẽs, Pascere oues est, credentes in Christo ne à fide deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est, subditis prouidere, & exempla uirtutum cum uerbo prędicationis impendere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Hæc Alcuinus.

Non ab re erit inter tot antiquorum patrum testimonia etiam Erasmi uerba afferre quæ maxime conferre uidentur, etiam si eius uiri authoritas non sit nobis argumentum. Hic igitur hunc locum non indiligenter annotauit in confusionem aduersariorum nostrorum in annotationibus super Ioannẽ ibi, Pasce agnos meos. Cuius annotatio sic habet. Qui ex loco gloriãtur sibi com missum gregem Domini eos primum oportet meminisse à Petro ter exactum amorem erga Christum, neq; quemlibet amorem, sed ardentiorem cæteris, Deinde ter item commissam illi curam gregis. Illud nimirum significatum est, non esse idoneum sacer-

dotio,

dotio,nisi qui neglectis omnibus nihil amet, nisi Christum, hoc est ueritatem, innocentiã,pietatem. Ad hæc nihil huic antiquius esse debere quàm incolumitatem gregis sibi crediti. Proinde quę so,quid frontis est istis quibusdam,qui prophanis, immò scelera tis principum obsequijs,qui pecunijs huc penetrant,qui sacerdo tium nihil aliud quàm quæstum ac tyrannidem esse putant? Nec meminerunt quam attente quibusq; legibus Christus suas oues Petro commiserit. Nec commiserit deuorandas, sed pascendas exemplo piæ uitæ, Pascendas euangelicæ doctrinæ pabulo, siue lac desiderabunt,siue solidum cibum, Pascendas etiam opum sub sidio,si res ita poposcerit, hæc citatus author quæ nec incõgrue, nec falsò hoc tempore annotata uidentur.

Nono,est locus non inefficax in actis Apostolicis ubi est oratio Pauli ad Presbyteros Ephesios exhortatoria, qua hortatur, ut officio suo diligenter fungantur. Qui ascendens Hierosolymam, transiens Macedoniam accersiuit Presbyteros Ephesiorum,quos sic allocutus est.

Contestor uos hodierna die, quòd mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi quominus annunciarem omne cõsilium Dei uobis. quo loco Gregorius libro epistolarum .1. epistola.33. sic ait. Mundus à sanguine eorum non esset, si eisdem consilium annunciare noluisset,quia cum increpare delinquẽtes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit. hac igitur consideratione compulsus uelis nolis locutus sum, quia omni uirtute aut te cupio saluari,aut de tua morte me eripi. Postquam hæc Paulus præfatus est,subiungit. Attendite uobis & uniuerso gregi,in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei,quam acquisiuit sanguine suo. Ex uobis surgent uiri loquentes peruersa ut adducant discipulos post se, propter quod uigilate,memoria retinentes quoniam per triennium die ac nocte nõ cessaui cum lachrymis monere unumquenq; uestrum &c. Si uerba Pauli attente consideres, uidebis, quibus rationibus ostendat,cur presbyteri Ephesij debebant suo ministerio diligenter fungi.

Primo quia (inquit Paulus) tota ecclesię cura iam in uos solos incumbet, & siquid negligatur, uobis solis culpa impingi potest, & debet.

Secundo,quia spiritus sanctus posuit uos episcopos ad regendam ecclesiam Dei. proinde, si fueritis ignaui neglectores, non

in

in homines,sed in Deum peccabitis,nec hominis,sed spiritus sancti mandatum uiolatis.

Tertio,quia Iesus Christus qui est Dominus Deus noster,acquisiuit ecclesiã,cuius ipsi episcopi,speculatores, curatores, doctores sunt,non uili,sed incomparabili pretio,uidelicet, non auro,argento, non deniq; ullis terrenis diuitijs, sed suo ipsius sanguine.

Quarto,sumit rationem à periculo,dicens,Ego scio,quòd intrabunt post discessum meum lupi rapaces in uos,non parcentes gregi &c. quo uos oportet esse magis attentos, & uigilantes super gregem Dominicum, quia bonus pastor animã suam ponit pro ouibus suis.

Quinto,sumit rationem ab exemplo,dicens,Memores estote. quòd per triennium nocte & die &c. Monet Paulus presbyteros, ut sui exempli meminerint,& quemadmodum ipse etiam cum lachrymis toto triennio singulorum salutem curauerit,Ita æquum est, ut illi multo maiori solicitudine ministerium suum urgeant, quando maiora pericula instant. Hæc Paulus ad Episcopos Ephesios.

Rogo te lector, quis tanta solicitudine curabit saluté ouium suarum,aut tam diligenter defungetur hoc sacro ministerio absens? Quid putas dixisset Paulus,si ep̃s aliquis Ephesius astans respondisset Paulo,ero quidem pastor,& episcopus,& curabo salutem harum ouium mihi commissarum, sed interim oportet me per aliquot annos manere Romæ,& in aula Cæsaris uersari,& defungi munere quodam,honesto quidem illo,sed Cæsareo. pascetur uero grex Christi per suppositum quendam pastorem. Nec tamen ponam ego gregis Christi curam,nam è Roma per literas curabo multa,& cũ uacauerit,interim etiam ipse uisam gregem mihi commissum per dies aliquot. Non ne sic abunde satisfecero demandato mihi muneri? Quid inquam putas responsurum Paulum? Credo neminem fugit, quid Paulus fuisset dicturus, ad hæc tam noua & inaudita uerba.hoc ipsum puto,cum & nunc respondere multis apud tribunal Christi iudicis.

TESTIMONIIS APOSTOLICIS OSTENDITVR *de iure naturali & diuino esse necessariam residentiam pastorum ecclesiasticorum.* cap. 5.

PAVLVS 1.Cor. 9. disputat quam potestatem habeant ministri ecclesiastici desumendi,siue metẽdi carnalia ab eccle-

sijs

ſijs fidelium, ubi duplici ordine argumentorũ probat ſolum lice re illis mãducare, & bibere ſiue uiuere ex miſterio eccleſiaſtico.

Primo id aſtruit argumentis dumtaxat humanis, dicẽs. Quis militat ſuis ſtipendiis unquàm? Quis plãtat uineam, & de fructu eius non comedit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non mã ducat? Si obſerues Apoſtoli uerba, uidebis, quod tantum militantibus, plantantibus, paſcentibus gregem Dominicum concedit ius percipiendi fructus temporales. Cum igit illas actiones non poſſint facere niſi præſentes, conſequitur miniſtros teneri ad pręſentiã corporalẽ, qua ſola poſſunt implere miſteria ſua.

Secundo arguit ex lege Moſis. Scriptum eſt, Non alligabis os boui trituranti. Quæ uerba exponens quidam haud obſcurus Doctor, ſic ait. Annotandus hic locus his, qui tantis clamoribus tantaq; tyrannide decimas, & pluſquam decimas extorquẽt à pauperrimis quoque laicis, nec intelligunt legem uetare, nequis obliget os boui, ſed trituranti, hoc eſt, docenti, monenti, exortanti, ſacrificanti, ac cęteris ſacerdotalibus officiis fungenti. Quid autem hoc ad iſtos quoſdam, qui non ſolum in ocio, ſed in ſardanapalicis deliciis uitam omnem tranſigunt? Hæc ille, audi nunc Paulum. Quæ propter nos miniſtros euangelii ſcripta ſunt, non propter boues, quorum Deus non habet tam peculiarem curam. ſi nos uobis ſpiritualia ſeminauimus, magnũ eſt ſi carnalia metamus? Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt. Et qui altario deſeruiunt, cum altario participant. Ita & Dominus ordinauit iis, qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere. quæ uerba explicans Bernardus in declamatione. Ecce nos reliquimus omnia, ſic ait. Viuat, inquit de altario, & iuxta Apoſtolum alimenta, & quibus tegatur habens his contentus ſit, uiuat, non ſuperbiat, non luxirietur, denique non ditetur, neć ex clericatu ditior fiat. Hęc Bernar. Huius uocis emphaſim annotauit; & Theophilactus, & ante hunc Chryſoſtomus. Non enim, ait, ſacerdotes, ſed qui aſſident altario, ut intelligamus aſſiduum cultum ſacrorum. at hodie nulli ferè magis abſunt ab altario, quàm hi qui maxime participes ſunt altariorum, nec ulli moleſtius exigunt à populo decimas, quàm hi, qui nihil eorum pręſtant populo, quorum gratia dandæ fuerãt decimæ. nec ſatis eſt aſſidere, ſed operandum eſt, nec ſatis quid uis operari, ſacra oportet operari, & in his aſſiduum eſſe, nec dixit ex ſacro accipiunt, ſed ex ſacro ueſcuntur, ut admoneat ui-

ctum deberi non diuitias.sic ferè quidā quem semel superius citaui,quæ ob id adscripsi, q nimis ad præsens argumentum faciunt, & uere, pieq; dicta sunt. Obserua obsecro Christianæ lector, quid Apostolus nobis tradat secundum doctrinam, qua edoctus est ab spiritu sancto, & secundum ordinationem Christi quam exhibuit, Apostolis seminantibus spiritualia, asserit licitū metere carnalia, & seruientibus sacrario ex illo edere, & annunciantibus euangeliū,uiuere ex illo. Hæc à Christo ordinata sunt, ergo qui uolet non modo uiuere ex ministerio euangelico, sed abundare, sed luxuriari, & instar principum prophanorum aulam alere,hæc non faciet secundum ordinationem Dominicam. Nam, ut Apostolus nobis tradit, Dominus ita ordinauit, ut qui euangelium annunciant,uiuant ex illo. Rursus qui uolunt, nihil spirituale seminantes,metere stipendium carnale, altario non in seruientes ex altario edere, nouerint se id non secundum ordinationem domini facere,nisi dicant,se hæc facere perfictitios quosdam ministros, quos uulgus titulares uocat. Auertat Deus ab ecclesia eiusmodi monstra. Nónne monstrum est pastores fingere ubi nullę sunt oues pascendæ? causentur quod uolunt, satis superq; intellexit orbis, quòd uolentes ociosi, aut absentes, & in prophanis negocijs occupati,ab ecclesia stipendia percipere, & oues Christi deglutiere, contendunt munus episcopale propham, & mundanam quandam dominationem facere, sicut cum maximo ecclesiæ malo fecerunt multi, & nunc etiā faciunt. potuit alijs fortasse temporibus potuit aliquando firmitate sua negligentiam,& episcoporum a suis sedibus absentiam ferre ecclesia Christi, iam non potest, disiecta sunt à capite suo non pauca membra, reges, populi, nationes, morbus in dies crescit,serpit ubique hæretica pestis, inest hoc tempore malum haud penitus animis hominum insitum, sed foras emergit, atque erumpit undeq; ut cohiberi non possit. omnes boni mœrent,templa gemunt,tecta ipsa urbium lugēt,populus Christianus uniuersus in cœlum clamat,& si ista tacuerint, lapides clamabunt.

Vndecimo, Rursus produco Paulum in prima ad Thessalonicen.cap.5.ubi sic alloquitur, Plebem fidelem, Rogamus autem uos fratres, ut noueritis eos qui laborant inter uos, & pręsunt uobis in Domino, & monent uos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.O uerba aurea,& uere a diuino spiritu prolata ob perfidiam huius temporis.Rogat Paulus,

ut

ut rōnē hēamus prælatorū nostrorū,& honore summo illos afficia mus Sed audi prius quibus rōnibus roget honorandos a nobis ec clesię præsules. Prima ratio, quia laborant, inquit, inter vos, quo liquet ociosos nullum promereri stipendium á subditis, iuxta il lud, qui non laborat, nō manducet. Item neque absentes etiam si laborent, quoniam foris non inter nos laborant, & ibi hono randi vbi laborant. Secunda ratio, & præsunt uobis in domino. Quo loco audi Theophilactum. Si enim præsides tuos in huma nis rebus in pretio habes, quanto potius his qui in diuinis rebus tibi præsunt, gratiam & honorem te debere fateri debes, quod ait in Domino, hoc est, non in mundanis rebus tibi præsidet, sed in his quæ ad dominum pertinent. Orat pro te, regenera uit te per baptisma, incitat prætérea, & adhortatur. Medicus tibi est, medijs in noctibus voces veniet, Hæc Theophi. Vides lector hic clare doceri necessariam præsentiam prælatorum. Ter tia ratio, & monent vos, aliàs annotauimus ex Paulo. Quia oportet episcopum doctorem esse. Quarta ratio. Abundan tius illos habeatis in charitate propter opus illorum. Noua ædi tio habet, vt habeatis illos in humano pretio per charitatem, hoc est, ministrādo illis necessaria propter opus illorū. Igitur vbi nullum est eorum opus, non tenemur illis necessaria ministrare. Nam Paulus propter opus ipsorum inquit. Honorate eos, Quare Paule? An quia nobiles? An vero quia sumptū magnū in curijs principū faciunt? Nihil horum, sed propter opus ipsorum, ꝙ si officium suum non faciunt, nec suis digna nominibus præstant, Non est cur (authore diuo Paulo) habeamus illos abundantius, nec illos agnoscamus episcopos, si non laborant inter nos qui il los nostris sumptibus, & oblationibus alimus. Hæc locutus est Apostolus ad subditos. Audi qualem describat esse debere curā prælatorum. Rogamus autem vos fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. Et quid ex plicatius potuit dicere, vt intelligeremus necessariam præsentiā personalem prælatorum? Nunquid absens monebit aut arguet inordinatos, consolabitur pusillanimes, & meticulosos, subleua bit infirmos, erit patiens erga omnes? Bene vides candide lector, quā sint hæc clara & aperta, vt qui hæc non videat, in media luce cæcutiat. Hūc locū admonet quidā annotandū diligenter ab epi scopis, qui exigunt à suis summū honorem cum ipsi non curent

hortari non poteſt,pſeudo epiſcopus eſt. Nam alias virtutes in alijs ſub epo cōſtitutus īueniat quiſquā,nimirū hoſpitalē eſſe, ſobriū,idq; genus alia,quod maxime vero epiſcopum veluti characteribus quibuſdā & ſignis exprimat,docendi munus eſt.

Decimotertio, demonſtratur præfata veritas ex verbis Pauli ad Timo.quo loco ſic ſpūs domini per organum,illud electionis ſuę in vno epiſcopo alloquitur vniuerſos. Teſtificor corā Deo, & Chriſto Ieſu,qui iudicaturus eſt viuos & mortuos,& per aduētum ipſius,& regnum eius,prædica verbum, inſta opportune,importune,argue,obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt,ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus,& a veritate quidem auditum auertent,ad fabulas autem conuertētur.Tu vero vigila,in omnibus labora. Opus fac euangeliſtæ,miniſterium tuum imple.Hæc Paulus. Quis nō videt hoc loco aperte demandatā eſſe & præſentiam & ſolicitudinem omnibus epis? Audi ſecundo vocem ſpūs.Prædica verbum,inſta opportune,importune,argue,obſecra,increpa.Nunquid & iſta fient per mercenarium,quem tibi ſubrogaſti? Tu vero vigila,in omnibus labora. Neceſſe eſt labores non in oībus, ſed in paucis, ſi abſens es à grege tuo.Miniſteriū tuum imple.Qui potes implere tā remotus a grege,quē verbo & exēplo paſcere in tua ordinatione iuraſti? Vtinam oēs epi ſic cogitarent hanc obteſtationem cuiq; ſingulatim eſſe proditam,ſicut eſt re vera.Quid aūt exigit ſpūs cū tā religioſa obteſtatione, Prędica verbum? Quid Paulo reſpondebunt paſtores,vbi ventū erit ad iudiciū,cuius ipſos hic cōmonefacit?

Quartodecimo, eſt & alius locus meo iudicio, euidenter demonſtrans premiſſam veritatē in epiſtola canonica Petri,qui ſic habet.Seniores ergo,qui in vobis ſunt,obſecro conſenior &cet. Paſcite qui in vobis eſt gregem dei:prouidentes,non coacte,ſed ſpontanee ſecundum deū,nec turpis lucri gr̄a,ſed uoluntarie,nec vt dominantes in cleris,ſed forma facti gregis ex animo, & cū apparuerit princeps paſtorū, percipietis immarceſſibilē glorię coronam. Hec Petrus Apl's. Preceptū hoc Apl'orū principe dignū, in oībus omnium eporum aulis uel aureis literis erat inſcribendum.Paſcite(inquit) gregem,non opprimite, non expilate,idq; non coacte uelut ex officio,ſed ex ſyncero affectu,tanquam pr̄es; nec turpis lucri gr̄a,quaſi preſentiens eccleſię peſtem ex hac radice orituram,deniq; non dominantes more principum,ſed exēplo

& doctrina pascite,benefactis uincite.nũc episcoporũ bona pars nihil audit ab assentatoribus doctis. nisi dominia, ditiones, gladios,potestates,atq; hinc fastus nonnullorum plusquam mundanus.Multa sunt hoc loco à pastoribus ecclesiasticis consideranda in usum ministerij sui,sed tria,quæ in rem nostram agunt, ego oculis lectorũ subijciam. Obserua obsecro christiane lector hęc quæ spiritus sanctus per os Petri Apostoli iubeat episcopis, ut recte obeant sua munera.

Primum pascite gregem uobis commissum. Quidam sic uertunt Græca.Pascite quantum in uobis est,gregem Christi.

Secundum & id faciatis uoluntarie,non uelut dominium exercentes in greges,qui uobis uelut sorte gubernandi obtigerunt, hos.n. uocat æditio uulgata cleros.

Tertium,& sic,ut sitis exemplaria gregis ex animo, quod nostra æditio dixit,facti forma gregis, Nunc cuiusuis lectoris iudicio relinquo causam nostram,si possunt hęc tria obseruari per absentem pastorem,uel ociosum,ingenue fateor non teneri episcopum ad residentiã in ecclesia sua. Si potest quis pascere gregem. Christi,& esse exemplar,siue forma uiuendi suis ouibus absens, & aliud agens,tutissimus degat,ubi uelit.Si uero non potest, uel relinquat munus,uel subeat onus manẽdi, & pascendi suas oues, à quibus ipse pascitur.His testimonijs hæc controuersia probata est sufficienter, ita ut non reformidet æqui iudicis iudicium, immo ut ipsas penè conscientias aduersariorum appellare audeat.

DE PASTORVM SPIRITVALIVM NOMINIBVS,
Nam hæc uidentur partem esse diuinæ scripturæ,quæ ut à spiritu sapientiæ indita semper consonant rebus ipsis,ac proinde testimonijs scripturarum illa subiecimus. C. 6.

POSTREMO excutiamus si libet,quibus nominibus episcopi appellantur in sacris scripturis, uel hinc enim astruemus quod tantopere quærimus. Et mihi quidem uidentur suum nomen ignorare,qui putant sibi ociosis uagari licere, uel potius negotio longe ab officio alieno implicatis. In alijs quidem disciplinis leue esset argumentum à nomine sumptum, quæ uel casu aliquo, uel humana ratione imponi solent, & licet aliquando uera, interdum tamen uana,sæpe etiam mentita usurpamus nomina.

In hac uero disciplina cuius author & magister est spiritus sanctus, firmissimũ est à nomine acceptũ argumentum, quæ quidem accomodare solet rebus ipsis, secundum ipsarum rerum naturas, ut quod ipse uelit in re, hoc nomen ipsum designet. Episcopus is dicitur qui speculatur, & attente rimatur, quid geratur. Nam ubi habemus. 1. Petri. c. 5. Prouidentes, Græce est ἐπισκοποῦντες i. intendentes, aut episcopum agentes, quod tamẽ adeo uulgare est, ut nemo non intelligat. Si episcopos tantum excipias, hinc Ezechiel Vigiles & speculatores appellat episcopos. Quis igitur unquam speculator conductus relicta prouincia, in qua munus illud habet, aliena pererrat? hoc igitur est, quod olim dixit Hieronymus Heliodoro, Non omnes episcopi, episcopi sunt, hoc est multi sic uocantur, sed pauci respondent suo nomini.

Dicuntur Angeli, cum apud Lucam & Marcũ, tum apud Esai, & Malach. Cur ita? quia mittuntur ut nuncij prædicaturi uerbum Dei, Quomodo prædicabunt (dicit. D. Paulus) nisi mittantur? Quisquam ne est adeo perfrictæ frontis, qui si nuncius mittatur Toletum, Tarraconem proficiscatur, ut ibi fungatur legatione? hoc nõ facturus erat ab homine missus, & qui à deo nuncius mittitur ut Toleti quæ fert in mandatis palam faciat, Romam petet ubi quid Deo præstet obsequij, libet magis silere quàm dicere.

Montes etiam appellantur, cum alibi sæpe, tum à Dauid Psal. 71. Quo uerbo potuit uox diuina significantius firmitatem & præsentiam episcopi ostendere? Suscipiant (inquit) Montes pacem populo, & colles iustitiam. Montes Apostolos & eorum successores uocat, quia populo subdito Mesiæ annunciant pacem per Christum & ueram iustitiam. his montibus Dauid pręcatur, ut suscipiant pacem à domino, sed non sibi solis, uerum populo, ut populus sub eis pace fruatur, & collibus, ut suscipiant iustitiam ut iustitia dirigantur, quæ pax & iustitia uenit omnibus regnis quæ Christum susceperunt, sicut scriptum est. Quam speciosi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Sicut enim terreni montes primi excipiunt influentias cœlorum, & ex illis ad ualles deriuantur, sic sacerdotes primi accepturi sunt cœlestia dona. Item per montes immobilitas designatur, & montes eminent cæteris terræ partibus, sic & sacerdotes perpetuo eminere debent reliquis fidelibus. Ad hęc uero opus erat episcopis & ministris, qui spiritu Christi feruentes bellum indicerent aduersarijs potestatibus, & sic pacem annunciarent populo Dei, at nunc ma

o nostro uidemus impletum illud eiusdem Dauidis. Transferentur montes in cor maris. Per mare enim in scripturis sacris hic mundus solet designari. Videmus nonnullos montes ad cor maris, hoc est ad aulas principum secularium & alias curias migrasse. Vnde cum dominus in argumentum fidei & uice miraculi dixerit. Si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis monti huic transi hinc, illuc, & transibit, ita puto nunc non minoris miraculi & fidei argumentum foret, si quis hos mysticos montes à corde maris ad aridam reuocaret.

Vocantur Boues ex interpretatione Pauli, qui exponens illud Mosis. Non alligabis os boui trituranti. Propter nos (ait) scriptam legem non propter boues, ut non negemus mercedem episcopo. Boum nomine episcoporum & doctorum labor designatur. Vnde Salomon. Vnde non sunt boues præsepe uacuum est, sic etiam actum est de ecclesia, ubi episcoporum & doctorum labor cessauerit, sicut iam in bona ecclesię parte cessauit, postquam creuerunt opes in ecclesia, interiit doctrina, quia quāto crescunt opes crescunt curæ, & augetur familia, hinc Episcopi desierunt esse doctores in ecclesia, & hæc uidentes principes (Deo sic permittente) cœperunt pinguiores prælaturas, & episcopatus conferre ijs per quos regna, & ditiones suas gubernant, sic & opes & personæ ecclesiasticæ ab ecclesijs in aulas principum maxima ex parte translatæ sunt. Dic mihi Christiane lector, an potuerit nobis proponi ullum animal tardius, & minus habile ad peregrinandum? Quis nescit boues in eodem quo nascuntur loco, & opus facere, & animam agere? Non uocauit Episcopos equos, aut canes quòd illi in bello nati, hi adulatores & uoraces, & peregrinandi auidi uideantur, quamuis, & equi triturationi, & canes ouium custodiæ non inepti sint, sed uocauit boues, quasi dicat immobiles, & perpetuos operarios.

Insigniuntur etiam militū nomine, ita Paulus Timotheum episcopum, bonum militem uult esse, & se bonum certamē certasse, exultat. Quis igitur adeo uecors est, ut militem sibi conducat in familię, & patriæ tutelam, & securitatem & illum patiatur uagari longe à stationibus ut conductor sit præda hostibus, dum miles in alieno uersatur? Verum & si episcopus militis nomine satis admonebatur ne à loco discederet, tamen quia non omnino graue ui lebatur, Si unus aut alter miles discederet, uocantur etiam Duces qui nec transuersum quidem digitum possunt à castris abesse,

Dicuntur

Dicuntur patres, & Spirituales patres nomine peruulgari, sed quis erit tam crudelis pater, ut filios quos alere tenetur, deserat fame perituros, dum ipse ut paulo licentius agat nouas permutat regiones? & ut intelligamus quam exposcat Paulus hanc prę sentiam non ueretur subire imaginem mulieris prę gnantis, quæ tantum abest, ut filios quos in utero fert relinquere ualeat, quo leges humanæ partum uiscerum, matris partem diffinierint. Audi quid scribat ad Galat. Filioli mei, quos iterum parturio. Euge optime episcope Paule, & uere pater, an hos tu unquā deseres, an hos aborsu abijcies quos iterum te parturire fateris?

Nominantur arietes a Dauid. Afferte Domino filios arietū, & hoc ipsum uoluit significare cū dixit, induti sunt arietes ouiū. An quisquam gregem reliquit sine ariete, qui præiret? Modo deplorabimus cum Hieremia gregem dominicum, & dicemus, facti sunt Principes eius, uelut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis.

Dicuntur etiam custodes ciuitatis Hierusalem, uigiles, sponsi ecclesię, gubernatores regni Christiani, uicarij Christi, quæ omnia nomina nihil aliud clamare uidentur quàm præsentiā episcoporum in custodia, & uigilia ob gregem commissum. an episcopi qui subditos nunquam uiderunt, nec cibo illos spirituali aluerunt, digni sunt aut honore, aut mercede ulla? Immo uero nō aperte digni sunt, qui utroque priuarentur ut proditores muneris taciti? Tu ne cum tot nominibus exciteris ut operam tuā præstes præsens præsentibus, audes dubitare, An ad hoc iure diuino tenearis? Tu ne absens, & ignotus ecclesiæ tuę audes usurpare prædictos titulos? Diceris, Pastor. Cum nihil minus agas quàm pascere? Tu ne audes plebem domini deuorare ut panem, cum tenearis illi panem spiritualem frangere, & temporalē, nec facias? Qua fronte exposcis mercedem, nec uis tibi os alligari, cum operas nullas exhibeas, nec triturationem ullam facias?

Vocantur etiam pōtifices de cuius nominis ratione audi Bernardum in epistola quadragesimasecunda ad Senonensem Archiepiscopum. O quàm pulchra est (vt Sapiens clamat) casta generatio cum charitate, cum illa, inquam, charitate quam describit Apostolus de corde puro, & conscientia bona, & fide nō ficta. Porro puritas cordis in duobus consistit, in quærenda gloria Dei, & utilitate proximi, ut in omnibus uidelicet actis suis,

uel dictis nihil ſuum quærat epiſcopus, ſed tantum aut Dei honorem, aut ſalutem proxorum, aut utrunque. Hoc enim agens implebit non ſolum pontificis officium, ſed & etymologiam nominis ponrem utique ſeipſum faciēs inter Deum, & proximum: Prtingit pons iſte uſque ad Deum ea fiducia qua non ſuam, ſed illius gloriam quærit. Pertingit uſque ad proximum illa pietate qua & ipſi non ſibi prodeſſe deſiderat. offert Deo bonus mediator preces, & uota populorum reportans illis à Deo benedictionem, & gratiam. Supplicat Maieſtati pro exceſſibus delinquentium, uindicat in peccantes iniuriam dei, ingratis improperat beneficia pietatis, contemnentibus potentiæ ſeueritatem inſinuat. Vtriſque tamen nihilominus placare ſtudet indignātis furorem, nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc diuinæ magnitudinem pietatis. Denique ſiue excedat Deo, ſiue ſobrius ſit nobis, aut Deo ſemper, quantum in ipſo eſt, placere geſtit, aut præſtare nobis, non quod ſibi omnino utile eſt, quærens, ſed quod multis. Fdelis pōtifex qui bona quælibet per manus tranſeuntia, ſiue diuina beneficia ad homines, ſiue hominum uota ad Deum, columbino intuens oculo, nihil ſibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum ſed lucrum, nec dei gloriam uſurpat ſibi. Acceptum talentum non ligat in ſudario, ſed partitur numularijs a quibus, & uſuras recipit non ſibi, ſed domino. Non habet foueam ut uulpes, non tanquam uolucris nidum, non loculos quomodo Iudas, non deniq; (ſicut nec maria) locum in diuerſorio. Imitatur profecto illum qui non habebat ubi reclinaret caput, factus in præſentiarum tanquam uas perditum, quandoque proculdubio futurum uas in honorem, & non in contumeliam. Denique perdidit animam ſuam in hoc mundo, ut in uitam æternam cuſtodiat eam. hoc tanto puritatis internæ gloriari non poteſt ueraciter, niſi extrinſecus gloriolas perfecte reſpuerit. Nec enim pure ualet, Dei uel proximi, quærere lucra, qui propria non contempſerit. hęc Bernardus.

Item dicuntur ſcribę docti non admodum, ſed ad regnum cœlorum. ſcriba doctus in regno cœlorum profert de theſauro ſuo noua, & uetera.

Item miniſtri Chriſti, diſpenſatores miniſteriorū Dei, adiutores Chriſti, colūnæ eccl'æ, legati Chriſti. Itē dicunt lapides sāctuarij de quo Greg. lib. paſtoralis curæ part e. 2. c. 7. ſic ait hoc cum

magno dolore charitatis Hier.prophe.conſpicens quaſi ſub deſtrūctione tēpli deporat dicens.Qūo obſcuratū eſt aurū,mutatus eſt color optimus , diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in medio oīum,platearū. Quid per ſanctuarij lapides, niſi ſacrorū ordinū pſonæ figurātur? Quid platearum nomine,niſi præſentis vitæ latitudo deſignatur? Sanctuarij lapides in platea diſperguntur, cum cauſarum ſecularium foras lata itinera expetunt hi,qui ad ornamentum eccleſiæ internis myſterijs quaſi in ſecretis ſanctuarij vacare debuerunt, ad hoc quippe ſanctuarij lapides fiebāt,vt intra ſancta ſanctorum in veſtimento ſummi ſacerdotis apparerent. Hæc Greg. Si ergo uelis præclaros hos titulos cum re ipſa poſſidere,neceſſe eſt,vt labores in domo domini, uigiles ſuper gregē dominicum, & facias vigilias noctis, ſicut de paſtoribus Bethlemiticis dixit Lucas euangeliſta. erant vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. In quæ uerba Theophilactus ſic dicit,paſtores illi figura ſunt ſpiritualium paſtorum. oportet igitur epiſcopos cuſtodire gregem ſuum, & docere populum, & ſic audire diuinas viſiones & auditus, officium itaq; ſpiritualium paſtorum fuerit, quærere panem cœleſtem, quem cum viderint, debent illum & alijs predicare,ſicut,& paſtores, qui viderunt infantem,locuti ſunt,de eo,& alijs.Idem Greg. In Homil. Myſtice autem quòd vigilantibus paſtoribus angelus apparet eosq; claritas Dei circumfulſit, hoc eſt, quòd illi præ ceteris uidere ſublimia merentur. qui fidelibus gregibus preeſſe ſolicite ſciūt, dūq; ipſi pie ſuper gregem uigilant, diuina ſuper eos latius gratia coruſcat.Idem Beda in homilia. Liceat mihi chriſtiane lector huic parti præſentis controuerſiæ eis uerbis finem imponere, quibus ueri epiſcopi deſcriptionem Hieronymus ad Oceanū abſoluit. Obſecro nequis me in ſigillationem iſtius tēporis ſacerdotum, ſcribere quæ ſcribo exiſtimet,ſed in eccleſie utilitatem, & euangelice doctrine propugnationem. vt enim oratores, & philoſophi deſcribentes qualem uelint eſſe perfectum oratorem & philoſophum non faciunt iniuriam Demoſtheni & Platoni, ſed res ipſas abſque perſonis diffiniunt, ſic in deſcriptione epiſcopi, & in eorum expoſitione quę ſcribo quaſi ſpeculum ſacerdotij proponitur. Iam in poteſtate & conſcientia ſingulorum eſt, quales ſe ibi aſpiciant, ut uel dolere ad deformitatem uel gaudere ad pulchritudinem poſſint.

LEGIBVS CONCILIORVM GENERALIVM ET PRO-
*uincialium comprobatur pastorum ecclesiæ necessaria resi-
dentia personalis.* *Cap. 7.*

LEGISTI pater in Christo obseruantissime, quid spiritus Christi in sanctis voluminibus tradiderit nobis de præsenti controuersia, lege nunc, quid sancti patres ecclesiæ in sacro sanctis concilijs obseruauerint. illud tamen mihi præfandum est, non tantum uoluisse me adducere quæ ad residentiam pertinent verbis apertis, sed etiam quæ ad difficultatem muneris episcopa lis agunt, vt facile quis contemplare possit vix hominem solertis simum, etiam si uel pedem nunquam dimoueat, posse satisfacere suo muneri, & primo profero Sardicense concilium generale, & ab vñi ecclesia receptum & probatum, cuius canon. 14. sic habet. Eps in aliena prouincia non moretur vltra tres dominicas, quia per id tempus ibidem nō recipi inhumanum est, & si diutius resi deat, perniciosum est, hoc ergo ne fiat prouidendū est. Osius epi scopus dixit. Memini autem superiore concilio fratres nostros constituisse, ut siquis laicus in ea, in qua cōmoratur ciuitate tres dominicos dies, id est per tres septimanas non celebrasset conuē tum, communione priuaretur. Si hæc ergo circa laicos constituta sunt, multo magis episcopo nec licet, nec decet, si nulla sit tam grauis necessitas, quæ detineat, vt amplius a suprascripto tempo re absens sit ab ecclesia sua. vniuersi dixerunt placere sibi. simile quiddam statuerunt in canone. 18. In canone octauo eiusdem concilij Sardicensis habetur, ut episcopi etiam pro tuendis pau peribus, uiduis, aut pupillis, quibus aliquæ illatæ fuerint iniuriæ, nullo modo ad comitatum, id est ad curiam ueniant, eo quòd ex nimia frequentia accessus ad principum curias, ob q; importuni tates, & iniustas petitiones gratiam, & fiduciam coràm principi bus amiserint. Eo maxime, ꝙ sub prætextu suas defendendi ec clesias, aliosq; protegendi iniuriam patientes, dignitates, secula resq; postulent administrationes. Quā prauitatem (dicunt p̄res) olim non solum murmurationes, sed scandala excitasse digno scitur.

Hoc idem habetur in can. 10. Eiusdem concilij ubi dicunt pa tres ꝙ accessus episcoporū ad principum curias, sine inuidia ho minū, sineq; reprehensione esse non pōt. Et si propter prædictas,

honestasq;

honestasq; causas talis profectus non nihil habere rõnis posset. Quod maxime testaretur si ob defendẽdos iniuria, & incommo dis affectos susceperint peregrinationis incommoda.

Quo circa in eodem concilio canone. 9. statuitur ad obuiandum talium episcoporum improbitati (sic habet textus) vt sique iustæ emerserint causæ, vt pro pauperibus, uiduis, pupillis tuendis, suum ipse diaconum ad curiã mittat eps, eo ꝙ persona ministri inuidiosa non est, & quæ impetrauerit celerius poterit referre. Qui tamen diaconus cum literis demissorijs, & comendatitijs sui Metropolitæ curiam adire debet. Si tamen eps (a quo diaconus ad curiam destinatus est) nonnullos apud Imperatorem habeat amicos, quos scit benignam intercessionẽ sibi absenti posse præstare. Tunc si iusta esset postulatio, absq; Metropolitæ uenia suum poterat episcopus mittere ad Curiam Diaconum.

Quæ omnia, ut firma permanerent in sequenti canone. 11. hæc diffiniuntur.

Ea quæ salubriter præmonita sunt, conuenientia & æstimatione oĩm, & deo placitura, & hominibus tenere hanc firmitatem possunt, si metus huic sententię coniungatur. Scimus enim & ipsi propter paucorum impudentiam religiosum sacerdotale nomẽ fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus, uoluerit ambitioni magis placere quam Deo, is debet scire causis redditis, honorem, dignitatemq; se amissurum. Quod ita demum compleri poterit, si unusquisque nostrum, qui in canali constitutus est, cum progredientem episcopum uiderit, inquirat transitum eius, causas uideat, quò tendat, agnoscat. Et si quidem eum inuenerit ire ad comitatum, requirat & illud: quod superius comprehensum est, ne si forte inuitatus est, ut ei facultas eundi permittatur. Si uero propter desideria, & ambitiones ad comitatum pergat, nec in literis eius scribatur, nec in communionem recipiatur. Vniuersi dixerunt hoc honestum esse & placere sibi hanc constitutionem. Quid obsecro dixissent isti patres, si vidissent, ut nunc, cum tanto ecclesiæ malo uidemus, pertetuo uersantes episcopos in curia uel Cæsaris, uel pontificis, & nec in ecclesia sua, nec in aliena ullum ecclesiasticum exercentes ministerium?

Deinde confirmat hanc ueritatem can. 17. In concilio Antiocheno sic habens. Siquis episcopus per manus impositionẽ episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus ministerium

subire

re. Qui contra fecerint anathematizentur. Mens Synodi meo quidem iudicio fuit, cauere, ut ministri ecclesiastici non se impli carẽt negocijs secularibus, sicut prohibuerat Paulus Apostolus. Quoniam non est possibile, ut quis utrunque munus rite possit obire, ecclesiasticum & seculare, spirituale & mundanum. Quocirca non est audienda glosa in uolumine decretorum. 20. quæstione tertia. Eos qui semel, quæ dicit honores seculares esse, in quibus exercetur iudicium sanguinis, astruens alijs posse honeste, & licite implicari clericos, & episcopos. Perspicuum est cauisse Synodum transitum ad honores seculares, quoniam necesse erat eos manere in ecclesijs suis, & ibidem propria munera exercere.

Item quinto, est canon. 17. concilij Romani celebrati tempore Syluestri papæ præsente Constantino Imperatore habens in hunc modum. Nemo enim clericus, uel diaconus. aut præsbiter propter causam suam quamlibet, intret in curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulachrorũ est. Quoniam siquis clericus in curiam introierit anathema suscipiat.

Rogo te christiane lector an non tibi uidentur sancti illi uiri di uinasse omnem pestem status ecclesiastici emanaturam à curijs principum secularium & ab urbe Roma? Qui tanta solicitudine curarunt, ut episcopi in suis essent ecclesijs, & longe abessent curijs principum seculatium.

Item sexto, in synodo illa celebrara sub Carolo magno tempore Zachariæ Papę, cuius mandato congregata fuit Synodus, in canone. 2. habetur quòd presbiteri in quadragesima rationem, & ordinem ministerij sui, puta de baptismo, de fide catholica, de prę cibus, & ordine missarum, episcopo reddant, & ostendant, & ipsi etiam episcopo testis assistat castitatis, & uitę, & fidei, & doctrinę illius. hæc synodus. Quę quidem impossibile est adimpleri, si episcopus ipse, uel parochus ab episcopatu uel parochia absen tes sint. Sed dices, minime. Immo rationem ministerij sui mercenario presbyter, mercenarius episcopo quadragesimæ tempore reddere poterit. Quod sanè expresse contra canonis mẽtem est. Sed tamen hoc concesso, ultimum stare non potest. Nam si episcopus in curia Romana Cæsareá ue degat, quomodo obsecro parochus, qui in diecœsi manet, uel è diuerso, testis castitatis, uitæ fidei, & doctrinæ sui epi esse poterit? nõ ergo putet aliquis, ꝙ sit possibile ĩpleri officiũ pastorale sine ꝑsentia corporali pastoris.

Item

Item ſeptimo etiam ſeptima ſynodus generalis in canone. 15. hæc diffiniuit.

Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus eccleſijs non col locetur, hoc enim eſt negotiationis & turpis lucri proprium, & ab eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Ab ipſa enim Domini uo ce audiuimus non poſſe quenquam duobus dominis ſeruire aut unum amplectetur, & alterũ negliget. Vnus quiſq; ergo (ut uox eſt apoſtolica) in eo, in quo uocatus eſt, debet manere, & in una eccleſia aſſidere. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in eccle-ſiaſticis negotijs, ea à Deo ſunt aliena. Ad huius autem uitæ uſum ſunt diuerſa ſtudia. Ex his ergo ſiquis uelit ea, quæ ſunt corpori ad uſum neceſſaria, comparet, Dixit Apoſtolus. Vſui meo, & his qui mecum ſunt ſubminiſtrauerunt manus meæ. Quid reſponſu-ros putamus ſanctos illos patres iſtis, qui queruntur non poſſe ſe ſimplicibus beneficijs uiuere, ſed cẽtumplices querunt? nimirum illud Bernardi, nõ futuros illos ſimplices in ſupplicijs. ſed tamen ſi reſidentia non eſt neceſſaria, non uideo cur non unus centum habere poſſit eccleſias, quas nunquam eſt aditurus.

Item octauo, in octaua ſynodo generali quæ ſequuntur deffi-nierunt patres. In can. 17. Sic habetur. Quoniam ſunt quidam epiſcoporum qui ne ſecundum uocationem Apoſtolici præſulis occurrant, ſe mundi principibus impeditos cauſantur, Placuit ta lem excuſationẽ omni modo eſſe inualidam. Impium eſt, ut ſum-mos præſules ad ſynodos pro eccleſiaſticis negotijs celebrandas impediant ſeculares principes, licet tale impedimẽtum, & fictam prohibitionem, Epiſcoporum ſuggeſtione diuerſis modis fieri didicerimus. hæc ſynodus. An non tibi uidentur loqui de ſyno-do Tridentina tam infrequenti, in tanta copia epiſcoporum quos pauperes alunt ſuis ſudoribus, & nunc in rerum maxima turbatione quando mundus præcipuo iure, eorum indiget ope-ra, ut ſi non in integrum, ſaltem in aliquam partem res perditę reſtituantur, omnes dormiunt, omnes ſurdi ſunt, ſed de hac re alius dabitur opportunior locus.

Item canon. 19. eiuſdem ſynodi ſic habet. Definiuit ſancta hęc, & uniuerſalis ſynodus, nullum archiepiſcoporum, aut Metropoli tanorum relinquere propriam eccleſiam, & ſub occaſione quaſi uiſitationis ad alias accedere, & conſumere redditus, qui apud il los inueniuntur ad eccleſiaſticam diſpoſitionem, & alimenta pau perum. qui cõtrafecerit deponatur, & ſequeſtretur, ut ſacrilegis.

Vltimo

Vltimo est canon. 24. In eodem concilio qui sic habet. Diuina scriptura dicente, Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter, quidam Metropolitanorum extrema negligentia, & desidia delapsi, præceptionibus suis subiectos ad se adducũt Episcopos, & committunt eis ecclesiæ propriæ diuina officia, & lætanias. & cuncta omnium sacra, quæ ad se pertinent mysteria, ut per illos celebrent omnia, quæ per semetipsos alacriter agere debuerunt, ac per id eos, qui episcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo clericos sibi subiectos exibeant. Vacant ijdem præter ecclesiasticas leges secularibus curis, atque dispositionibus demittentes perseuerare in orationibus, & obsecrationibus pro suis delictis, ac populi ignorantijs, quod nusquam apud aliquos penitus inuenitur cum sit canonicis nimirum, contrarium omnino præceptis. Hæc autem omnia magnis, & multis ac uehementissimis damnationibus dignos huiusmodi statuunt. Probantur enim tales per hęc, quæ faciunt etiã sathanica iactantia, & superbia languere. Quisquis ergo Metropolitanorum post hanc sanctæ, & uniuersalis Synodi defensionem eadem audacia uel superbia, & contemptu abusus non per se cum timore, & alacritate, seu conscientia bona, debita ministeria in propria ciuitate, sed per suffraganeos episcopos suos efficere tentauerit, pœnas exoluat coram proprio Patriarcha, & aut corrigatur, aut deponatur. hęc synodus. Sed ego sum egregie ineptus qui cum sacra scriptura hoc unum præcipiat, concilia nihil aliud sanciant, sacri doctores ad hoc unum exhortẽtur, uim nunc omnia in unum cogere, quasi nunc potius sint episcopi Christo obsecuturi. Vtcunq; tamen hoc cesserit, iuuabit me nullum non mouisse lapidem, ut ob oculos hoc libello illis posuisse ad quid teneantur, ne causari possint, nihil de residentia pręcipi. Sed ad alia transeamus

Audi nunc pater obseruãtissimę, quid in Africa obseruauerint & legibus sanciuerint ecclesiæ Carthaginẽ. ut in omnibus orbis partibus incognitam, & ignoratam intelligas nouam hanc opinionem, canon. 6. con. Carthaginensis primi. Nicasius episcopus Culusitanus dixit, credo placere suggestionem meã sanctitati uestrę, & displicere uobis, ut qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, nunc accedant ad actus seu administrationem, uel procurationem domorum. Gratus episcopus dixit. Et apostolorum statuta sunt quæ dicunt. Nemo militans deo ingerit se ne

gotiis fecularibus. Proinde aut clerici fint fine actionibus domorũ,& aut actores fine officio clericorũ. Vniuerfi dixerunt hoc obferuemus. nunc uero contrariũ putant noftri epi præceptum a facra fcriptura, ita omnes aliena curant, & fua negligunt.

Item in eodem concilio cano. 8. Cauetur ne implicati negotijs fecularibus ordinentur clerici.

Item canon primus concilii Carthaginenfis quarti fic habet. Qui Epifcopus ordinandus eft, antea examinetur fi natur fit prudens, fi docilis, fi moribus temperatus, fi uita caftus, fi fobrius, fi femper fuis negotijs cauens, fi humilis, fi affabilis, fi mifericors, fi literatus, fi in lege Domini inftructus, fi in fcripturarum fenfibus cautus, fi in dogmatibus exercitatus, & ante omnia fi fidei documenta uerbis fimplicibus afferat, id eft, patrem, & filium, & fpiritum Sanctum, &c. Quærendam etiam ab eo, fi noui, & ueteris teftamenti, id eft, legis & prophetarum, & apoftolorum unum eundemque credat authorem, & Deum. Si diabolus non per conditionem, fed per arbitrium factus fit malus hactenus fynodus. an hæc omnia nunc poftulentur a futuro epifcopo his noftris perditis temporibus, & an illis hæc requirerent, ut poft ociaretur in curiis, & aulis principũ chriftianus lector poterit expendere.

Item in eodem concilio. can. 14. Sic habetur. Epifcopus non longe ab ecclefia hofpicium habeat.

Item canon. 15. eiufdem concilij hæc cõtinet, ut epifcopus uilem fuppellectilem, & menfam ac uictum pauperem habeat, & dignitatis fuę authoritatem fide, & meritis quærat.

Item in canone. 17. eiufdem concilij hæc habentur nerba. Epifcopus gubernationem uiduarum, pupillorum, ac peregrinorũ non per feipfum, fed per archiprefbyterum, aut archidiaconum agat. si hæc tam fancta iubetur per alium negotiari ne epifcopus ab ecclefia difcedat, quid cenfes illos facturos fi audirẽt, quæ nunc allegantur, ut Romæ epifcopi perpetuo uerfentur, ne uilefcat, fcilicet curia pontificis, ne defit cardinalibus ante ambulones? ò tempora, ò mores.

Item canon fequens in eodem concilio fic habet. Epifcopus tuitionem teftamentorum non fufcipiat.

Item canon. 19. eiufdem concilij. Epifcopus non prouocatus pro rebus tranfitorijs, non litiget.

Itẽ canõ. 20. ibidẽ, Eps nullã rei familiaris curã ad fe reuocet,

fed

ſed ut lectioni,& orationi,& uerbi Dei prędicationi tantūmodo uacet. hæc canon. Quid nūc iubent qui epiſcopos abeſſe uolunt à ſuis eccleſijs, ut hæc omnia ſomnium arbitrentur, & quærant mundi negotia, &alia quæ pudet dicere?

Item canon. 31. eiuſdem concilij carthaginen. epiſcopus rebus eccleſiæ tanquã cōmendatis, non tanquam proprijs utatur.

Item canon. 33. eiuſdem concilij. Epiſcopi uel præſbyteri ſi cauſa uiſendæ eccleſiæ alterius epiſcopi ad eccleſiam uenerint, & in gradu ſuo ſuſcipiantur & tam ad uerbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam inuitentur.

Item canon. 5. In concilio carthaginen. 5. ſic habet. Nulli epiſcopo ſit facultas, relicta principali cathedra ad aliquã eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre, uel in re propria diutius quàm oportet, conſtitutum, curam, uel frequentationē propriæ cathedræ negligere. penes te ſit lector in hac cauſa iudiciū, ſi ad aliam eccleſiam, deſerta propria non licet accedere, licebit per regiones ſeparatas, & principum aulas uerſari?

Veniamus nunc ad eccleſias Hiſpaniarum quę olim Toleti ad extirpandam hæreſim arrianam & ſtatuendam chriſtianæ legis obſeruantiam non infrequenter cogebantur.

Et primo hanc noſtram ſententiam ſummopere iuuant patres ſecundi concilij Toletani. qui in canone ſecundo poſt alia docent, qūo neceſſe ſit epiſcopum prædicare, & ab alijs curis ceſſare ne quos ſub regiminis cura tuetur, famē uerbi Dei perire ſinat.

Deinde eſt in concilio Toletano. 4. canon. 24. In hac forma uerborum.

Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in ſacerdotibus Dei euitanda eſt, qui officium docendi, in populo dei ſuſceperunt, ſacerdotes.n. legere ſanctas ſcripturas frequenter admonet Paulus dicens ad Timo. attende lectioni & exhortationi. Sciant ergo ſacerdotes ſcripturas ſanctas, & canones meditentur. Omne opus eorum in prædicatione diuina & doctrina conſiſtat atq; ædificent cunctos tam fidei ſcientia quàm operum diſciplina. Hæc omnia ſanctiſſime quidem conſtituta eadem facilitate qua laudantur: contemnuntur, & ad ſolos mercenarios deriuantur.

Item canon. 31. eiuſdem concilij.

Epiſcopi (quibus hæc cura à deo impoſita eſt) dum conſpiciunt iudices, ac potentes, pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos ſa

cerdotali admonitione redarguant,& si contempserint emendari,eorum insolentiam regis auribus intiment,ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad iustitiã,regalis potestas ab improbitate coerceat.siquis episcoporũ id neglexerit, cõcilio erit reus.

Item canon.32.eiusdem concilij.Auaritia radix est cunctorum malorum cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet,ideo constitutum est à præsenti concilio suas episcopos diecœses ita regere,ut nihil ex earum iure præsumant auferre.Sed iuxta priorum authoritatem conciliorum tam de oblationibus quàm de decimis,tributis,ac frugibus tertiam consequantur,ut cõcessa à fidelibus in Christi & martyrum honorem,ipsorum episcoporum parochijs,intacta maneant.Item canon.35. in eodem concilio. Episcopos per cũctas diecœses parochiasq; suas per singulos annos ire oportet ut exquirant quo unaquæq; basilica in reparatione sui indigeat.Quod si ipse aut languore, aut alijs occupationibus implicatus id explere nequiuerit, presbyteros probabiles, aut diaconos mittat,qui & redditus basilicarum & reparationes, & ministrantium uitam inquirant.hæc synodus. quam auide accepturi sunt huius canonis occasionem,qui sibi uiuere cupiunt ex alienis sudoribus.Sed non est cur sibi blandiantur, hic iubentur peregrinari,sed intra episcopatum, & in hac re admittitur procurator,dum tamen ipse impeditus sit,non absentia in curijs, & aulis,sed morbo.

Postremo,munus episcoporum quale sit docent patres in concilio Toletano.11.congregati,qui in canone secundo in hunc modum illud describunt.Quantum qui pręcelsi culminis obtinet locum,tantum necesse est præcedat cæteros gratia meritorum ut in eo, quòd præsidet singulis,singulariter ornetur eminentia sanctitatis,habens semper & in ore gladium ueritatis & in opere efficaciam luminis,ut iuxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana & contradicentes reuincere.

Nos proinde nostri ordinis gradum,uel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus,ut qui officium prædicationis suscepimus,nullis curis à diuina lectione priuemur.Nam quorundam mentes pontificum ita corporis ocio à lectionis gratia secluduntur,ut quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non inueniat præco mutus. insistendum ergo erit maioribus, ut quos sub regiminis cura tuentur,fame uerbi dei perire non sinant.hæc synodus. Vide quam solicite commendetur prædicatio uerbi &

quàm

quàm censeatur necessaria, quę si iuxta doctrinam Pauli reponenda est loco alimentorum corporalium, cui dubium futurum est, residendum esse in suis ecclesijs?

Item est canon. 19. Synodi Elibertinæ qui &. nostram confirmat sententiam habens in hunc modum,

Episcopi, præsbyteri, & diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes prouincias, quæstuosas nundinas sectentur, sanè ad uictum sibi conquirendum aut filium, aut libertum aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant. Vides præcipi omnia potius experienda quàm abesse à proprijs ecclesijs. Quod si priuatis clericis ita est interdictum, quid censendum de episcopis?

Item est canon. 39. concilij Agathēsis habēs in hunc modum.

Siquis diaconus uel presbyter per tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, triennio à communione suspendatur, Siquis autem in clero constitutus ab ecclesia sua diebus solennibus defuerit, id est natiuitate Domini, epiphania, pascha uel pentecoste, dum potius singularibus lucris studet, quàm seruitio dei parere, conuenit ut eidem damnationi succumbat.

Item canon. 38. eiusdem synodi.

Ciues qui superiorum solennitatum, idest paschæ, ac natalis Domini, uel pentecostes festiuitatibus cum Episcopis interesse neglexerint, cum in ciuitatibus communionis, uel benedictionis accipiendę causa positos se nosse debeant, triennio communione priuentur ecclesiæ.

Item canon. 7. synodi Tarraconen. sic habet.

Episcopi annuatim diocœsim uisitent, & basilicas destitutas restituant &c.

Item in synodo Aurelatensi in canone sexto hoc statuitur a patribus.

Episcopus pauperibus, & infirmis qui debilitate faciente, non possunt suis manibus laborare, uictum & uestitum in quantum possibilitas habuerit, largiatur.

Item in eadem synodo canon. 13. sic habet.

Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiæ, cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet.

Item canon. 10. concilij Maguntiaci uitā sacerdotum in hunc modum describit.

Placuit sancto concilio, ut qui dicunt seculum reliquisse, & qui adhuc

adhuc seculum sectantur ita discernantur, sicut in regula clericorum dictum est, his igitur lege patrum cauetur, ut uulgari uita seclusi a mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, nō pompis intersint, conuiuia in honesta, turpia fugiant: Hieron. ad Nepotianum dicit. Omnium christianorum domus quasi proprias amare debemus, vt cōsolatores nos in mœroribus suis potius quam conuiuas in prosperis nouerint, & Isidorus, clerici tamen conuiuia priuata, non tantum pudica sed & sobria colant, turpium lucrorum occupationes non appetant, amorem pecuniæ quasi matrem cunctorum criminum fugiant, secularia officia negotiaq; abijciant, honorum gradus per ambitionem non subeant. Non vagis oculis, non infræni lingua aut petulanti tumidoq; gestu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu, & incessu ostēdant, obscœnitatem etiam verborum sicut & operum penitus execrentur, viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia fœminarum, nullatenus appetant. Castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuo conseruare studeant. Senioribus quoque debitā prębeant obedientiam. Nec vllo iactantiæ studio se attollant. Postremo, in doctrina, & lectionibus, psalmis & hymnis, & canticis exercitio iugi incumbant. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus se mancipandos student exhibere, scilicet vt dum scientiæ operam dant, doctrinę gratiam populis administrent.

Item canon. 25. eiusdem synodi.

De officio prædicationis si forte episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente, non valuerit, nunquam tamen desit diebus dominicis, aut festiuitatibus qui verbum Dei prædicet, & iuxta quod intelligere vulgus potest.

Item in concilio Rhemensi sub Leóne. 3. cóngregato in canone. 14. quo sequitur statuitur.

Episcopi diligentius operam dent, lectioníque diuinæ incumbant, idest canonicis libris & opusculis patrum, & verbum dei omnibus predicent.

Item in eodem cano. decimoquinto sequenti sic habetur. Episcopi, sermones, & homilias sanctorum patrum prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prędicare studeant.

Est & alius canon eiusdem synodi. 17. episcopi, & abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes, & indigentes

gentes ſecum ad menſam habeant & lectio diuina ibi perſonet. Et ſumant cibum cum benedictione,& laude Domini ſecundum Apoſtolum, ſiue manducent ſiue bibant, omnia in laudem dei faciant.

Item in ſynodo Triburien canon.27.ſic habet.Semel in clero deputati, nec ad militiam, nec ad aliquã veniãt dignitatem mundanam, vt in ſynodo Calcedonenſi ſtatutum eſt, ne tales ſint ſicut Sanctus Iſidorus dixit, eſſe ſimiles hippocentauris qui nec equi, nec homines, ſed quaſi bruta animalia libertate ac deſiderio ſuo feruntur.

Item ſunt & canones apoſtolorum qui non vulgariter confirmant & hanc noſtram ſententiam, primo eſt canon ſeptimus ſic habens.

Epiſcopus aut preſbyter, aut diaconus nequaquam ſeculares curas adſumant,ſinautem eijciantur.

Item & canon.57.ſic habet.

Epiſcopus, aut presbyter qui negligentius circa clerum, aut populum agit,nec in pietate eos erudit,a communione ſegregator.Si vero in ea ſocordia perſeuerauerit,deponitor.

Item eſt etiam can.Apoſt.80. In hunc modum habens. Dicimus ꝙ non oportet epiſcopum,aut presbyterum publicis adminiſtrationibus ſe immittere, ſed vacare, & cõmodũ ſe exhibere vſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc nõ facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire iuxta præceptum dominicum.

Quibus obſecro legibus, aut decretis manifeſtius agere potuiſſent Apoſtoli contra paſtores à ſuis gregibus abſentes, & ſui miniſterij neglectores?

Vniuerſos canones ueterum ſynodorum qui hanc veritatem, vel aſtruunt,vel adiuuant in præſentia recenſere foret penè infinitum: Ideo conſulto, ne lectorem amplius grauaremus, abſtenuimus ab aliarum ſynodorum enumeratione. ſatis ſuper quæ ex ſupraſcriptis explicatam habet lector ſynodorum ſententiam,ſi uelit illam tenere. Veniamus nunc ad ea quæ ijdem patres in proprijs ſcriptis non ſine afflatu ſpiritus ſancti nobis de præſenti cõtrouerſia tradiderunt.

Summorum

SVMMORVM PONTIFICVM DOCTRINA ET DECRE-*tis, episcoporum residentia necessaria conuincitur.* *Cap.* 8.

AVDI nunc quid ecclesię catholicæ pontifices qui citatis concilijs authoritatem, & robur dederunt, decreuerint circa hanc veritatem, quam explicamus & demonstramus.

Gregorius cognomento magnus, sanctus & Papa in libro Pasto. quanta eruditione, & pietate cõtendit prædictam veritatem demonstrare, quod & fecisse cum omnium legentium admiratione, nemo non nouit. hic parte 2. ca. 3. post alia multa, quæ de officio episcopali docet sic habet.

Sit rector operatione præcipuus, ut uite uiam subditis viuendo denuntiet, & grex qui pastoris uocem moresq; sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur, qui. n. loci sui necessitate exigit summa dicere, hac eadem necessitate cõpellit summa monstrare. illa vox nanq; libentius auditorum corda penetrat q̃ dicentis uita commendat, quia dum quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat. Hinc. n. per prophetam dicitur, super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.

Idem capite sequenti exponens prædicta uerba Esaię sic habet.

Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse. s. clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris uocem daturus est præcor motus? Hinc est enim quòd super pastores primo in linguarum specie. Spiritus sanctus insedit, quia nimirum, quos repleuerit, de se protinus loquentes facit.

Idem vbi supra. c. 10. docet, quanto studio pastor inuigilare debet super populum suum, quanta attentione subditorum ingenia obseruare debeat, vt interdum eorundem vitia prudenter dissimulanda sint & caute indicanda, interdum aperte cognita, mature toleranda, interdum salubriter, & occulte perscrutanda, interdum leniter arguenda, interdum uehementer increpanda. Quæ omnia latissime explicat idem author. 3. parte eiusdem libri, vt ex illis quilibet considerare & colligere ualeat,

diffimltateuc

difficultatem muneris episcopalis,& dicere cum ueritate ipsa, Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tpe tritici mēsurā?

Idem lib.5.epistola 37.ad Anthenium subdiaconum:

Peruenit ad nos Pigmenium Amalphicanæ ciuitatis episcopū in ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per diuersa loca uagari, quod uidentes alij, nec ipsi in castro se retinent, sed ipsis exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare. Idcirco hac tibi authoritate pcipimus, ut supradicto episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat, quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas.

Item lib.4.epistola 15. summopere commendat, ut episcopi exhibeant in opere, quod designant in nomine, quia nomen pastoris non ad quietem, sed ad laborem susceperūt, &c. Quæ certum est eos absentes præstare non posse.

Item libro.8.epistola.11.

Prælatum ad nos est.R. F.nostrum Basilium Episcopum uelut unum de laicis in causis secularibus occupari, & prætoria inutiliter obseruare. Quæ res, quoniam & ipsum uilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat, statim ut Reuerentia tua hoc præceptum susceperit, eū ita ad reuertendū districta executione compellat, quatenus ei illic te in resistēte, quinq; diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, ne si quolibet modo eum ibidem moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

Item lib.2.Epist.31. in qua Greg. cumanam, & Musitanam ecclesias præcipit esse unitas propter uicinitatē locorū, & populos parum frequentes, ut non conueniat singulos, sicut olim, hr̄e sacerdotes proprios. Post alia præcipit nouo epo, Vbi uero commodius, atq; utilius esse prospexeris, ibi habitato, ita sanè ut alterā ecclam cui corporaliter præsens non es solicita prudentiq; cura disponas, &c. Quibus uerbis supponebat ueluti certū, ꝙ eps corporaliter in sua ecclesia futurus erat, & in lucrandis, & curandis animabus, perpetuo laboraturus, cum statim subdat, Fraternitas tua tanto in adhoratione popoli lucrandisq; animabus solicitiori cura semper inuigilet, quāto se unitarum ecclesiarum

gubernationis onera suscepisse cognoscit. Hæc Grego. ille uere magnus, ecclesiæ latinæ, & doctor, & pastor, quæ recensui uti ex his intelligat lector, quàm ignoratum erat ante hanc ætatem, Episcopum siue Pastorem alium ecclesiasticum absentem a grege suo, posse proprio officio satisfacere, quod nec nũc arbitror ab aliquo esse intellectum. Sed qui absunt uolentes, & scientes rei impossibilitatem, malũ magis abesse, & in delicijs agere, quã præsentes fastidia muneris pastoralis deuorare.

Ex Epistola Euaristi Papæ.

Episcopum uero oportet opportune, atq; sine intermissione ecclesiam suam docere, eamq; prudẽter regere, & amare, ut a uitijs se abstineat & salutem consequi possit æternam.

Non incongrue ponemus inter decreta patrum, & Gregorij xj. factum, & Valentiniani Christiani Imperatoris iudicium. Hic (ut fertur in historia tripartita) instante electione Epscopi Mediolanensis sic plebem, & clerum est allocutus. Nostis aperte, eruditi utique diuinis eloquiis, qualem oporteat esse Põtificem & quòd non deceat eum uerbo solum, sed etiam uita gubernare subiectos, & totius semetipsum imitatorem uirtutis ostendere, testemq; doctrinæ conuersationem bonam habere. Talem itaq; in pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, syncere nostra capita summittamus, & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario ueluti curantis medicamenta suscipiamus. Hęc Cæsar.

Ille uero Romam ex Gallia transtulit pontificiam, sedem motus ex uerbis cuiusdam Episcopi, qui interrogatus à Pontifice (dum simul inambularent) cur non rediret ad ecclesiam suam, quàm malum erat illam sine pastore nudam relinqui. Cur, inquit tu summe Pontifex cæteris exemplum daturus tuum episcopatũ non repetis? Quæ uerba adeo eum commouerunt, ut eis auditis continuo decreuerit ex Auinione Romam migrare, quod, & fecit. Hæc duo in medium adduxi, ut uideat Christianus lector, ꝙ semper ab exordio ecclesiæ fuerit communis animi cõceptio inter fideles cuiusuis ordinis, Pastores ecclesiasticos maxime omnium episcopus pręsentes esse debere in suis ecclesiis.

Deinde etiam confirmatur hæc ueritas nonnullis regulis quas iuris appellant canonistæ, & iurisperiti.

Primo dicit lex. C. de cadu. tollen. non est ferendus, qui lucrũ amplectitur, onus autem subire recusat.

Hinc

Hinc regula iuris. Qui ſentit onus,ſentire debet, & commodum,& econtra,qui non ſentit onus,non ſentiat, & cõmodum.

Eſt & alia deſumpta ex Gregorio in regiſtro.

Non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit.Quæ regulæ ſatis aperte oſtendunt, ꝙ vniuerſa iura ciuilia,& canonica damnant abſentes Paſtores & pręſentes ocioſos,qui cum reportent ſuorum officiorum commoda,nec uelint nec poſſint abſentes ſentire eorundem officiorum onera.

Præterea alia etiam uia probatur hęc noſtra ſententia.

Nam hoc viſa eſt tenere ab initio eccleſia Romana,quæ caput eſt reliquarum eccleſiarum & leges tulit Chriſti fidelibus. Ea autẽ vſa eſt ab initio & nunc ẽt vtitur, ut ſiquando cõtingat aſſumi aliquem epm ad officium Cardinalatus, abſoluaẽ à uinculo, quo tenebatur eccleſiæ ſuæ.Ratio eſt,quoniam Cardinalis ex officio tenetur manere Romę; Si uero eps ex officio non teneretur manere in eccleſia ſua,non erat abſoluendus, ſed cum uinculo eccleſiæ ſuæ erat aſſumendus,ad officium Cardinalis, quod tamen nõ fit,ne ad duo incompatibilia aſſumaẽ ſimul eadem perſona, vt patet ex cerimoniali Roma. Sect.8.c.1. Vbi forma creandi Cardinalem ſic habet. N. epiſcopum Firmanum abſoluimus ab uinculo quo tenebatur eccleſie ſue Firmanenſi, & ipſum aſſumimus in ſanctæ Romane eccleſie presbyterum Cardinalem. Ergo ſignum eſt certum quòd epiſcopus tenetur manere in eccleſia ſua.

Confirmatur ex vſu eiuſdem eccleſiæ, quoniam aſſumpto aliquo eccleſiæ miniſtro ad Cardinaliũ cenſentur uacare oĩa beneficia que habebat ante aſſumptionem. quare Pontifex ſolet cum illis diſpenſare in retẽtione beneficiorũ, ut patet ex eodẽ cerim. Sect.8.c.9. vbi ſic hr̃, & quoniã in aſſumptione ad Cardinalatum cenſenẽ omnia beneficia promoti uacare, conſueuit Pontifex ꝑ literas apłicas ad partem diſpẽſare cum promoto, vt oĩa beneficia que obtinebat retineat, & decernere illa non vacare, ſi ſecundum iura eſſet compoſsibilis Cardinalatus cum alio miniſterio eccleſiaſtico,non opus haberet diſpenſatione.

Secundo confirmatur, quoniam ſi contingat ꝙ Cardinalis aliquis eligatur epiſcopus ſecundum iura cano. non erat confirmãda eius electio, ſed infirmanda & extinguenda, ſiquidem manere debeat Rome ex munere Cardinalatus. nam ſi relicta Roma ſuę uelit preſens adeſſẽ eccleſiæ, non eſt cur dubitemus quin poſſit

episcopus creari qui est Cardinalis, utrunque patet ex. c. bonæ. de postu. prælat. quo. c. postu. est ad curam pastoralem Cardinalis quidam & extinguitur eius postulatio quia erat impeditus officio Cardinalatus, & ex. c. ecclesia uestra in 2. de elect. quoniam manens Romæ, vt Card. manere debet, impeditur ab administratione suæ ecclesię. Ergo tenetur illi presens inseruire. Alioquin iniuste extinguitur electio Cardina. cum sit canonica, & de uiro idoneo, nec impedito incompatibiliter, si episcopus non teneretur perpetuo manere in sua ecclesia &cet. Hinc credo dixisse patres illos delegatos à Paulo. 3. Pont. Max ut tractarent de reformatione ecclesiæ uniuersalis, abusum hunc inualuisse in curia, ut Reuerendissimis Cardinalibus episcopatus conferantur, seu commendentur, nec unus tantum, sed plures. Quem abusum uerissime dixerunt esse magni momenti in ecclesia dei, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi sunt incompatibilia, quod uere & sancte dixerunt.

Hanc eandem sententiam probat multo fusius & doctius Damasus papa in Epistol. 4. qua damnat corepiscopos in ecclesia, deinde & episcopos, qui propter suam quietem corepiscopis suas plebes committere non formidabant. Quos hisce rationibus damnat.

Primo quia curam sibi a deo commissam negligant, cũ dominus dicat. Bonus pastor animam suam ponit &c.

Secundo quia episcopi talia præsumentes, uidentur similes meretricibus, quæ statim ut pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, vt suam citius libidinem explere ualeãt. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos alijs educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est, ut pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod unicuique uisum fuerit, agant. pro talibus animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, ecclesiæ destruuntur, sacerdotes uitiantur. & reliqua mala proueniunt. non taliter dominus docuit, nec apostoli instituerunt, sed ipsi, qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos domino representent &c.

Tertio arguit ex facto Iacob Patriarchæ, qui postquam pro vxoribus diu seruierat, dixit Laban socero suo. uiginti annis fui tecum, oues tuæ, & capreæ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, diu noctuq;

æstu

æſtu vrgebar, & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis &cete. Si ergo ſic laborat, & vigilat, qui paſcit oues Laban, quanto labori quantiſque vigilijs debet intendere, qui paſcit oues d i? Sed in his omnibus ipſe nos inſtruat, qui dedit pro ouibus ſuis animam ſuam. Hæc Damaſus papa. Quis epiſcopus abſens a ſuis ouibus ualebit ſimilia dicere patri cœleſti, a quo accepit oues paſcendas? Nullus ut opinor. Audi quid in hæc uerba ſcribat Chryſo. in Gene.hom. 57. Vidiſti paſtoris vigilantiam? Vidiſti intentum ſtudium? Qualem habebunt excuſationem hi, quibus rationales greges crediti ſunt, & magnam præ ſe ferunt negligentiam, & quotidie iuxta Prophetam pecudes alias mactant, alias a beſtijs captas contemnunt, alias uero ab alijs raptas reducere non curant? Vide enim (inquit) die urebar æſtu, & nocte gelu, & diſcedebat ſomnus ab oculis meis. Quis hæc nunc poteſt dicere, quòd propter eos, quos paſcit, tot ferat labores & pericula? Et hoc quidem nunc nullus dicere audet, Paulo autem ſoli licebat hoc fidenter dicere, atque his maiora, quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? ò paſtoris dilectionem indulgentiſſimam. Alienæ ruinæ meos dolores augent. Aliena ſcandala fornacem doloris mei ſuccendunt. Hunc omnes imitentur, quibus rationales oues concreditæ ſunt, & ne deteriores fiant, hic qui tantæ in brutis pecudibus cuſtodiendis uigilantiæ fuit, idq; tot annorum numero, & illic quidem ſi in curia quadam occidens, nullum damnum, hic autem ſi ouis rationalis perierit, uel a beſtia fuerit capta, graue damnum, maximum detrimentum, ineffabilis pœna. Nam ſi dominus noſter ſanguinem ſuum effundere pro illa non declinauit, qua uenia dignus fuerit, qui ſic honoratā a domino deſpicere uoluerit, & non omnia quæ poteſt in curanda ouicula adimpleuerit?

Item Gregorius ſuper Ezechiel. hom. 11. ſuper illud. Sanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram &c. Penſandū eſt, quātum ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque præpoſitorum, quia ubi ſubiectus ex ſua culpa moritur, ibi is, qui preeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Et ſiquando uos fratres ad iniquitatem defluitis, etiam ex noſtro reatu, hoc eſt, ꝙ obſiſtētes atque reclamantes in prauis deſiderijs non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, ſi à prauo opere ceſſaſtis, uobis & nobis parcimus, quando hoc quod diſplicet, non tacemus. O quàm libera

ber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat, Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium dei uobis &c. Si enim non annunciasset, mundus à sanguine non esset, sed quibus omne cōsilium Dei annunciare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit, In qua uoce nos conuenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes uocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoq; mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi tacentes uidemus. Cum uero dicitur, sanguinem eius de manu tua requiram, si hoc in loco sanguinis nomine mors corporalis designatur, ualde nobis de nostro silentio augetur metus, quia si in subiectis suis, is qui prelatus ad speculandum est, & de monte corporis quandoq; morituri tam grauiter reus tenetur, quo reatu de morte animæ, subiecti constringitur, quæ potuisset semper uiuere, si uerba correctionis audisset? Sanguis ergo morientis, de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpa esse præpositi si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat, surgat, inuigilet, malis actibus contradicat. Tunc enim subiectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti cui non contradicis, adiungeris. Hæc Grego. Papa.

Hæc adeo plana sunt, si Gregorio & sancto Pontefi. summo, & ecclesiæ doctori, adhibere quis uelit fidem ut tergiuersationi nequaquam sit locus.

SANCTORVM PATRVM DOCTRINA RESIDENTIA *episcoporum demonstratur necessaria. Cap. 9*

HANC sententiam tradiderunt nobis omnes patres ecclesiæ primo Clemens Papa epistola 3. in principio. Oportet fratres omnes doctores, qui ad salutem animarum instituti sunt, & ad lucrandas animas episcopi sunt consecrati, pro cunctis sollicitudinem gerere, & errantes ad uiam ueritatis, & ad portam salutis reducere.

Item Hie. Tom. 2. in epistola ad Oceanum, ubi explicans uerba Pauli ad Tit. Oportet episcopum sine crimine esse &c. describit qualem oportet esse episcopum. In euangelio, & futuri pastoris longa oratione uitam deliniat quam separatus pastor ab oui-

bus

bus uiuere, nulla ratione potest, ad quem librum remitto lectorem, ut ex illo probet uel improbet sententiam nostram.

Item ad Paulinum. Officium pastorum est esse dispensatores, Græce œconomos mysteriorum Dei & doctrinę mysticæ, iuxta illud. Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.

Quis non uidet hæc requirere præsentem episcopum quę per absentem exerceri minime possunt? In commentarijs Ephe.4. in hæc uerba dedit alios Apostolos, alios prophetas, alios pastores & doctores. Hiero. sic habet. non dixit Apostolus Paulus alios pastores, & alios doctores, sicut dixerat, alios Apostolos, alios prophetas, sed alios pastores & doctores, indicans non esse diuersos pastores, & doctores, sed quod idem est in ecclesia pastor, qui & doctor. Cũ ergo absens nõ possit esse doctor, ergo nec pastor.

Hoc idem sentit Augustinus in epistola. 58. respondens Paulino quærenti quæ esset differentia inter pastores & doctores, eo quòd præpositis ecclesię utrunq; nomen adscriberetur. Cui Augustinus ubi supra. q. 4. sic respondet, Pastores autem & doctores, quos maxime ut discernerem uoluisti, eosdem puto esse sicut & tibi uisum est, ut non alios pastores, alios doctores, intelligamus. Ideo cùm prædixit pastores, subiunxit doctores, ut intelligant pastores, ad officium suum pertinere doctrinam.

Sed & Nicolaus papa primus, cuius decreta extant in .2. Tomo cõciliorũ, de pastoribus q & doctores esse deberẽt, sic dicit.

Episcopis dispensatio cœlestis seminis iniuncta est. Væ si non sparserint. Væ si tacuerint, sicut uas electionis formidat, & clamat. Si euangelizauero non est mihi gloria, necessitas .n. mihi in cumbit. Væ .n. mihi est, si non euangelizauero. Si .n. uolens hoc ago, mercedem habeo, si aũt inuitus, dispensatio mihi credita est.

Quo circa idem Nicolaus post pauca subiunxit.

Episcopos uero, qui dominici gregis suscipiunt curam, atq; solicitudinem, ab administratione eorum discedere nõ oportet, ut accepti talenti pulchritudo nõ deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicatur fructus. Hæc ille.

Enimuero, qui à gregibus suis discedunt pastores qui uelut canes latratibus abigere ab ouibus lupos non curant, se ipsos & oues perdunt. Si euangelizauero (dicebat Paulus) mercedem habeo, mercedem quidem non tantum æternam, sed & temporalem. Quis militat (eodem cap. dicebat Apostolus) suis stipen-

dijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? ergo qui non plant uineam, immo qui ut aper de sylua eam exterminat, quo iure eius fructu uescetur? Qui gregem non modo nō pascit, sed mactat & perdit, quomodo de gregis lacte manducabit? Qui non laborat (inquit Apostolus) non manducet. Hoc idem in lib. de pastoribus cap. 10. asserit Augustinus, ubi aperte indicat, ꝙ episcopi, qui non laborant in prædicatione uerbi, non percipiebant fructus ex ouibus. Ibi loquens de malis pastoribus, qui prædicantes legē operantur contra illam, dicit. Non uos (loquens ad populum) ipsi pastores mali pascūt, sed Deus, quia uelint nolint, pastores, ut perueniant ad lac & lanam, uerba Dei dicturi sunt. Hæc Augustinus. Quibus uerbis indicat quòd percepturi lac & lanam ex ouibus, debent necessario uerbum Dei prædicare. Sed & Væ ouibus si pastorem non habeant, qui pascuis uberrimis diuini uerbi eas pascat. Qui cum errantes uiderit, reducat, & ad salutis uiam ducat oues, qui ita inuigilent custodiantq; uigilias noctis super gregem suum, ita assiduis latratibus circuneāt gregem, ut non modo non mactet, sed nec grassari audeat lupus. At si pascua non habeant oues, unde illis lac ut nutrire possint pastorem? Si proprijs ob pastoris culpam expoliantur pelliculis, unde illis lana ut calefaciant episcopum? Si deniq; pastoris somnolentia grex luporū est esca, unde ouibus fœtus ut ipsum cibare possint? Mercedem deniq; suam, suasq; oues mali pastores perdūt. Vnde Augustinus in lib. de pastoribus. ca. 8. ubi optime distinguit bonum à malo pastore, post alia subiungit. Audi quid sentit de ista negligentia malorum uel falsorum pastorum. Et dispersæ sunt oues meæ eo quòd non sit pastor, & factæ sunt in deuorationem omnibus bestijs agri. furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes cum oues non hærent pastori. Hęc ille. Sed quomodo possint hærere illis, si per aulas Cęsarum uagantur? Si fugiunt ab ipsis pastores, quid non insequentur gregem leones? Quid nōn inuadent ipsum rapaces lupi cæterǽq; bestię agri, ut morsu amarissimo deuoret eum? Si pace cōposita pastores oues deserunt, tempore persecutionis, quonam comparebunt? Cum & tanto astringantur uinculo, ut persecutionis etiam tempore ipsis discedere ab ouibus minime liceat, Sed uelut ille bonus pastor (si opus est) animas suas pro ouibus suis ponant? Qua de re Nicolaus ille Pontifex ubi supra, cuidam episcopo sciscitanti, tempore ne

tene persecutionis suas posset deserere oues, respondet sic.

Sciscitatis, utrum cum a Normanis, ab episcopo depellaris, debeas de cætero in monasterio conuersari. In quo scias charissime frater, quòd sicut perniciosum est proreptam in tranquillitate nauim deserere, quanto magis in fluctibus? Vbi non dicimus quòd persecutorum non fugiamus insidias (maxime paganorum) cum ad tempus sæuiunt, & ob multitudinem delictorū nostrorum nocendi facultatem diuinitus assequūtur, præsertim cū eis prodire ultro non debeamus, & multos prophetas, & Apostolos, ipsum quoq; dominum huiusmodi fugisse insecutores luce clarius constet, Sed ꝙ præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui, & horum pastores sumus (Deo authore) cū eis in periculis pro uiribus persistere pro cætero conueniat. Et cum tranquillitas reddita diuina fuerit pietate, sopitaq; furentium infestatio, mox gregem perquirere, & in unum colligere, & eius animos cœlesti patriæ ac securitate prædicata, erigere debemus. Hæc Nicolaus Papa.

Item Augustinus epistola 180. ad Honoratum explicans, quādo & quomodo fugiendum in persecutione, & quibus, & quando non liceat episcopis fugere imminente periculo persecutionis, docet illic inter alia, quòd quando est barbaricus, & hostilis incursus, licet quidem fugere, sed his quos ecclesiastici officii non tenent uincula. Hæc Augustinus.

Item in eadem Epistola idem Augustinus sic dicit. Recolimus uerba dicentis. Cum persequentur uos in ciuitate ista, fugite in aliam, &c. Tunc de locis in quibus sumus permente persecutione Christi ministris licet, quādo ubi aut plebs Christi nō fuerit, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi, sicuti in sporta submissus fugit Paulus cum à persecutione proprie ipse quæreretur. Alijs utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic, absit ut desereretur ministeriū ecclesiæ, sicut fugit Athanasius Alexandrinus episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator, nequaquàm à cęteris ministris deserta plebe catholica, quæ in Alexandria commanebat. Quicunque igitur sic fugit, ut ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, quod dominus præcepit, siue permisit. Qui aūt sic fugit ut gregi Christi ea, quibus specialiter uiuit, alimēta subtrahantur, mercenarius ille est, qui uidet lupum uenientem,

 & fu-

& fugit, quoniam non est ei cura de ouibus. Hæc Augustinus.

Huic sententiæ subscripsit S.Tho.22.q. 185.Arti.5.ubi allegat decretum Nicolai Papæ,& quæ dicebamus ex Augustino.

Item Bernardus de persecutione sustinenda ca. 31. declarans illud domini. Mercenarius uidet lupum uenientem,& fugit, &c. sic dicit. Vtinam hodie quicunque pastores non sunt, mercenarios gregi uellent se exhibere, non lupos, utinam ipsi non læderent. Vtinam non fugerent nemine persequente, utinam nō exponerent gregem donec lupus ueniens uideretur. Nimirum sustinendi fuerant,si inuenirentur pręsertim tēpore pacis recipiētes mercedem suam, ut pro mercede sua saltim in custodia gregis laborantes, dummodo non ipsi turbarent gregem, & gratis auerterent à pascuis iustitiæ, & ueritatis. Nam persecutio quidē indubitanter mercenarios à pastoribus segregat, & discernit. Quando enim transitoria damna non timeat, qui temporalia lucra sectatur? Quando terrenam sustineat persecutionē propter iustitiam, qui terrenam mercedem plusquam iustitiam quærit?

Audi & alium testem non minoris fidei. Ambro. qui in lib. de dign.sacerdo.c.3.post alia sic habet.

Hæc uero cūcta fratres ideo nos permisisse cognoscere debetis, ut ostenderemus nihil esse in hoc seclulo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, & cum dignitatem episcopatus, eiscoporum oculis demonstramus, & digne noscamus quid sumus, & quid sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus,ut nomen congruat actioni,actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane, & post pauca. Sic episcopum non aliud nisi episcopalis opera designat, ut ex bono opere magis, quàm professione noscatur episcopus.

Idem cap. 6. ubi supra de officio episcopi.

Oculorum etiam in corpore officium,id est, in ecclesia, uoluntarius accepisti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet. Episcopus enim a cūctis indubitanter uocaris,præsertim cū ipso nomine censeris, Si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in ecclesia editione resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant?

Idem libro 2.de Abraham.cap.6.

Pastores

Pastores sunt magistri gregum, uel diligentes, & sobrij non sinentes agrorum culta obteri pedis uestigio, atq; à duris sentibus, uel negligentes & remissi, qui non reuocét pecus suum, quo herbosa, & non fructuosa pascatur, sed libere uagari per uarios agri fructus sinant. Hæc Ambrosius.

Eiusdem ueritatis catholicæ & alter testis accedat omni exceptione maior Bernardus in libro de consi. ad Euge. Et in declama. de uerbis Petri. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Summopere urget hoc argumentum de ministerio & residentia pastorum ecclesiæ. in declamatione sic habet.

Iam qui per Christum sibi in sortem ministerij huius introisse uidetur, de cætero quemadmodum ei seruiat, quemadmodum ministret, quemadmodum pascat, tripliciter, exemplo conuersationis, uerbo prædicationis, fructu orationis, gregem domini, solicita secum examinatione discutiat. indignus enim lacte & lana conuincitur, si non pascat oues, si non uigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat & uestit. Væ, uæ, tibi clerice, Mors in olla, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in huiusmodi delitijs est. non modo quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia populi cõstat esse peccata, quę comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando (ut aiunt) tibi prouenire uidentur, Sed bonum erat etiam fodere, aut manducare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere uiderentur. Solicitus esto, tanquam redditurus rationem pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus, alioquin tibi noueris ea imputanda, quæ modo inter delitias comedis, & paruipendis, & dissimulas tanquam nihil attinentia tibi. ò iudiciorũ Dei abyssus multa. ò terribilis Deus in consilijs super filijs hominum. frustra túnc incipient miseri dicere mõtibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Venient, uenient ante tribunal Christi, audietur populorum querela grauis, accusatio dura. quorum uixere stipendijs, nec diluere peccata, à quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt? Quia diuitiæ illę cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Vniuersa siquidem usq; ad quadrantem nouissimum exigeris.

Idem sermo. 3. de Aduentu Domini.

Longe tamen grauiori & periculosiori debito tenentur adstri

cti, si qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix? quò me uertam si tantum Thesaurum, si prętiosum depositum istud, quod sibi Christus, sanguine proprio prętiosius iudicauit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce domini sanguinem collegissem. esset repositus penes me in uase uitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utiq; sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istud in uasis fictilibus, & quibus multo plura quam uitreis imminere pericula uideantur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cum & meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraq; abyssus est imperscrutabilis. Vtraq; mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusq; custodia, & clamatur. Custos qui de nocte. Custos qui de nocte. Non est mihi dicere cum Caim. Nunquid custos fratris mei sum ego. Sed est fateri humiliter cum Propheta. Quia nisi dominus custodiret ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam.

Idem in Psal. Qui habitat. Sermo. 6.

Ipsa quoq; ecclesiasticę dignitatis officia in turpem quęstum & tenebrarum negotium transiere, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant. Pro episcopatibus, & Archiepiscopatibus, Abbatijs alijsq; dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut ecclesiarum redditus in superfluitatis & uanitatis usus dissipentur.

Idem Sermo. 77. Super Canti,

Non omnes sunt amici sponsi, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui (ut uulgo aiunt) eam quasi addextare uidentur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati circumamicti uarietatibus, tanquam sponsa procedens de Thalamo suo. Nónne si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem? Vnde uero hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, uestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem uasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est quòd illa pauper, & inops, & nuda relinquitur,

tur,

tur,facie miseranda,inculta, hispida, exangui, Propter hoc non est,hoc tempore ornare sponsam,sed spoliare,non est custodire sed perdere,non est defendere,sed exponere, non est instituere, sed prostituere,non est pascere gregem,sed mactare & deuorare. Dicente de illis domino.Quid deuorant plebem meam ut cibum panis,& quia comederunt iacob,& locũm eius desolauerunt. Et in alio Propheta.Peccata populi mei comedent,quasi dicat. Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam solicitudinem non impendunt.Quem dabis mihi de numero prępositorum,qui non plus inuigilet subditorum euacuandis marsupijs,quàm uitijs extirpandis? Vbi qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem domino?Leuiora loquimur,grauiora,grauius manet iudicium.Sine causa tamẽ uel his,uel illis immoramur, quia non audiunt nos. Sed & si literis forsitan mandentur ista quæ dicimus,dedignabuntur legere, aut si forte legerunt, mihi indignabuntur,quamuis rectius si hoc facerent.Propterea relinquamus istos non inuentores sponsæ, sed uenditores, & inquiramus potius illos à quibus sponsa se inuentam loquitur. Et quidem illorum isti sortiti sunt ministerij locum,sed non zelum. Successores omnes cupiunt esse,immitatores pauci.O utinam tam uigiles reperirentur ad curam,quam alacres currunt ad cathedram. Vigilarent utiq; solicite seruantes ab illis sibi creditam. Immo uero euigilarent pro semetipsis,nec sinerent de se dici.Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Iusta omnino querimonia,nec ad ullam iustius quam ad nostram referenda ætatem.Parum est nostris uigilibus quòd nõ seruant nos, nisi & perdant.Alto quippe demersi obliuionis somno ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiscũtur,ut uel suum ipsorum periculum expauescant.Inde est quòd non parcant suis, qui non parcunt sibi,perimentes pariter & pereuntes &c.

Et post pauca subiungit.

Et qui dimittit oues in pascuam absq; custode, pastor est non ouium,sed luporum,&c.

Et quid clarius,ut conijcere quis possit,quòd qui nõ proprias custodit oues eas in luporum pastum seruent & in cibos cunctis bestijs agri parent gregem,Non pascua gregi,sed ut grex in pascua sit lupis pastoris facit absentia.Si mercenarij alleges custodiã, nõ est, ꝙ effugere possis Bernardi,immo & Christi sententiã. Nonne Christũ audisti dicentẽ ꝙ lupi incursum,mercenarius effu

giat,

giat,& dimittat oues,eo ꝙ mercenarius sit,& nō pertineat ad eū de ouibus, & sic lupus rapit & dispergit gregē? Igitur si nō ipse custodias, si non defendas, si non pascas gregem, pro lupis oues custodis,luporum denique pastor & procurator es. Si enim patris non adsumeres nomen, suffecisset forsan Deus, qui non modo ut pater congregaret filios,sed ut mater ad ubera portaret,lactaret, foueret, atque filios nutriret, suiq; potius obliuisceretur quam filiorum. Nō defuisset ouibus pro quibus bonus ille pastor mortuus est,pastor inquam,si pastoris dignitatem,& si non curā sortitus fuisses, qui suis omnibus relictis, etiam pro una tantum errabunda oue desertum ascenderet,& inuentam gaudens humeris superponeret proprijs, & præ gaudio uicinos ut secum congratularentur conuocaret. Si doctoris, custodisq; personam nō induceres tuum profecto locum alius ascenderet qui uiam salutis uerbo,& exemplo populum suum doceret,qui custodis ita officium expleret,ut muros ciuitatis, ouileq; sui gregis ascendens diebus ac noctibus a clamoribus non cessaret, vt lupos a gregibus arceret,qui & lectum strati sui nō ascenderet,& oculis suis, suisque palpebris negaret somnum quoad usque requiem gregi suo inueniret.Modo cum iam patris, pastoris,doctoris atque custodis obtinueris locum,cum non pascas,non custodias,quę maxima indigent custodia,oues,quæ,ut pascua sibi spiritualia,& æterna, custodia atq; pastoris prę sidio comparare possent, magalia huius uitæ habitant, quas cum (ut deuoret) tanquam leo rugiens, hostis antiquus sæpissime, immo incessanter circumeat; Nonne custos es luporum infernalium,qui ut ipsi nemine contra dicento auidius,& facilius deuorent,& in oues grassentur, nomē custodis sumpsisti quo te superstite, qui custodire gregem posset,tuis non præficiatur ouibus? Denique dum cathedra frueris pastorali,fores custodis,ne qui custodias gregem domini introire possit.

Athanasius in epistola ab Heb.ca.vlt.

Intelligant, qui aliorum sunt duces, & ceteris præsunt, quia quemadmodum necesse est, ut populus obsequētem se prebeat, & præsidibus ipsis morigerum,ita & sacerdotē oportet, ut aliorum animas curet,uel noctes ducat insomnes,ut populi saluti inuigilet,ut qui rationem sit pro populi facinoribus redditurus.

Origenes super lib.Iosue Homi.7.

Pastor es,uides ouiculas domini, ignaras periculi ferri ad pre-
cipitia,

cipitia,& per prærupta pendere,& non occurris? Non reuocas? Non saltem voce cohibes,& correptionis clamore deterres? Sic memor es Domini sacramenti, ut cum ille derelictis nonaginta nouem in cœlestibus propter vnam ouiculam,quæ errauerat,ad terrenas descenderit,& inuentam vectauerit humeris suis ad cœlum? Nos in nullo prorsus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum.

Idem super Gene.Homi.16.

Vis scire quid intersit inter sacerdotes Dei,& sacerdotes Pharaonis? Pharao sacerdotibus suis terras concedit: Dominus autem sacerdotibus suis partem, non concedit in terra, sed dicit eis. Ego sum pars uestra. Obseruate ergo qui hæc legitis omnes Domini sacerdotes, & uidete, quę sit differentia sacerdotum, ne forte qui partem habet in terra,& terrenis cultibus ac studijs uacant, non tam domini, quàm Pharaonis sacerdotes esse uideantur. Ille est enim qui uult sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & exercere agri, non animę culturam, ruri, non legi operam dare. Christus autem Dominus noster quid sacerdotibus sui pręcepit, audiamus; Qui non abrenunciauerit (inquit) omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Beatus Cyprianus martyr non fuit alienus ab hac ceterorum patrum sententia in suis epistolis: In epistola tertia, in primo libro post alia sic habet.

Singulis pastoribus portio gregis est ascripta quā regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.

Item Chrysosto. & hanc urget ueritatem in libris de sacerdotio, & super Matth. cap.vigesimosexto,ubi post alia multa subiungit.

Modo autem in procuratores, dispensatores, caupones redacti episcopi sunt,immo uero istos etiam cura & solicitudine secularium rerum superant.

Item Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus,latissime disputat de munere episcopali in libro suo apologetico, in quo congessit tot & tanta ueluti necessaria,ut quis possit rite satisfacere muneri sacerdotali, ut uix possit homo aliquis etiam præsens illa præstarę, tantum abest ut absens & alijs occupatus possit. Idem in sermone de semetipso de agro reuerso, cum per dies aliquot absuisset ab ecclesia sua, ut quieti & contēplationi

uacaret,

uacaret; Audi quibus uerbis curauit gregi satisfacere.

Regressus sum vobis, non quidem abstractus, sed retractus affectu spiritus nos agente ad uos. Ego ergo cū præsens essem minus ex affectu sentiebam laboris; Cum vero iussus sum abstrahi, ac separari tunc sensi amorem, uelut dulcem quēdam tyrannum, & nihil noui est, si enim grauiter fert & dolet plurimum armentarius cum a grege uitulus abscessit, vel pastor cum ouis deest, uel auis si fœtus auferatur ex nido, quem parumper reliquerat, quanto amplius putatis inesse solicito pastori erga rationabilem gregem? maxime pro quo etiā periculi aliquid pertulit, ex quo proculdubio plus aliquid ad stimulum amoris accedit. Quoniam cō turbare gregem aeris turbo modicus facit, hoc accidit quoque per morbi alicuius languorem, facit hoc & bestiā subito, atque ex improuiso gregibus superueniens. Hæc ego timidus pastor, qui pro multa circunspectione & cautela uelut segnis, & desidiosus incusor. sed non opto ex illis pastoribus inueniri, qui lac quidem comedunt, & lanis operiuntur, & quod crassum est iugulāt, & labore conficiunt, uel in pretium uertunt, & dicūt. Benedictus dominus, quoniam ditati sumus, qui semetipsos pascunt magis quam oues. Sed ex illis opto inueniri pastoribus, qui dicūt. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & non ego vror? per solicitudinem scilicet qui dicunt. Non quæro quæ uestra sunt, sed uos, & ex illis qui adurebantur æstu solis per diem, & gelu frigori, noctu. Patriarchæ pastoris opus illud est, cuius oues signatæ omnes, & quæ didicerint in canalibus potatæ ex intuitione & concupiscentia concipere uirgarum. Hæc Greg. Nazian. ex quibus facile est intelligere propriam in hac cā sniam.

Non erat silentio prætereundus D. Cyrillus Alex. Episcopus, ecclesię ueteris sydus fulgentissimum, qui non indiligenter hanc nostram annotauit sententiam. Pri. in Leuit. 6. lib. sic habet.

Siquis vult pontifex non tam uocabulo esse quam merito, imitetur Mosen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quia nō discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moses in tabernaculo domini. Quod aūt opus eius erat? Vt a Deo aliqd disceret, aut ipse populū doceret. Hæc duo sunt pōtificis opera, ut a Deo discat legendo scripturas & sæpius ruminando, aut populum doceat, sed illa doceat quæ ipse a Deo didicerit, nō ex proprio corde uel ex humano sensu, sed quæ spiritus docet. Est & aliud opus quod facit Moses, ad bellum non uadit, non pugnat contra inimicos

micos. Sed quid facit? orat, & donec ille orat, uincit populus eius. Si relaxauerit,& dimiserit manus,populus eius uincitur,& fugatur. Oret ergo,& sacerdos ecclesiæ indesinenter, ut uincat populus, qui sub ipso est,hostes inuisibiles Amalechitas,qui sunt dæmones impugnantes eos, qui uolunt pie uiuere in Christo.

Idem in Ioan, lib.7. cap.1.

Secundum legitimi pastoris signum est, quòd oues uocē eius audiunt recipiendo sanam ab eo doctrinam fidei, & pręceptis ad uitam recte instruendam datis prompte obediendo.

Ibidem c.2.in hæc uerba.Proprias oues uocat nominatim, & educit, &c. Possunt, & huius capitis uerba euangelica ad pastorem ecclesiasticum non inconcinne adaptari nempe bonus pastor, & diuina electione, & canonica institutione ad gregem Domini pascendum delectus proprias oues uocat nominatim, quoniam solicitam præstat curam ad eas cognoscendas, nō foris solum, sed intus, & in cute, ut ex hac peruigili solicitudine eas propemodum noscat ex nomine, & propria appellatione nuncupet, admonitus ad hanc habendam uigilanter omniū notionem a sapiente, Diligenter, inquit, cognosce uultum pecoris tui, gregesq; tuos cnnsidera. Educit autem eas idem pastor quando ex quiete, & ocio ad ambulandum in uia mandatorum Dei, & boni operis excercitio ipsas euocat, admonitorioq; sermone incitat, illud beati Pauli uerbum illarū auribus inclamās. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Et illud eiusdem uerbum, Propter quod remissas manus,& soluta genua erigite, gressus rectos facite pedibus uestris,ut nō claudicans quis erret, magis autem sanetur. Deinceps ante oues suas uadit ipse pastor,quando ipsis proponit bonæ uitę exēplum, quod imitentur, & per bonorum operum gressus iter illis ostendit, quo debeant incedere, quemadmodum Beatus Paulus admonuit Timotheum ita scribens. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplo esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate. Ad Titum etiam scribens idem his uerbis ipsum, ut ante oues suas iret est exhortatus. In omnibus temetipsum prębe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate. Illum quoque pastorem sequuntur oues,quoniam imitantur bona opera, quæ in eo mirifice elucent.& obiecta sunt oculis subditorum quo incitentur.ad ipsorum consectationem. Hæc Cyrillus.

Vides candidæ lector communem sententiam patrum ecclesiæ, uides in ueteri ecclesia inauditas has uoces, episcopum abesse ab ecclesia sua, pastorem ab ouibus suis, episcopum simul agere, & magistratum, per mercenarios pasci oues Christi, usque adeo firma, & indubitata erat ueritas ista, Nempe necessariam esse residentiam episcoporum in ecclesijs suis, ut uehementer formidarent iram Dei pij, & legitimi episcopi (si quando gratia contēplationis, aut, ut parum quieti uacarent) contingebat illos a plebibus suis abesse, Audi quid scribant huius ueritatis fidissimi testes Augusti. & Bernar. quorum sic in cantica sermo. 53. ita scribit. Etenim is qui alijs præest in solicitudine uix unquam, uel raro secure uacat sibi, dum semper timet sui penuriā facere subditis, non placere deo, quòd communi utilitati propriam præ se fert quietem, & contemplationis dulcedinem. Ille uero cui semel aut iterum accidit abesse a suo grege, in hunc modum curauit plebi suæ satisfacere. In primis peto charitatem uestram, & per Iesum obsecro, ne uos mea contristet absentia corporalis, nam spiritu, & cordis affectu puto uos non dubitare, nullo modo me à uobis posse discedere, quamuis me amplius contristet quā forte uos ipsos, quòd infirmitas mea sufficere non potest omnibus curis quas de me exigunt membra Christi, quibus me, & timor eius, & charitas seruire compellit. Illud enim nouerit dilectio uestra, nunquam me absentem fuisse, licentiosa libertate, sed necessaria seruitute, quæ sæpe sanctos fratres, & collegas meos etiam labores marinos, & transmarinos compulit sustinere a quibus me semper non indeuotio mentis, sed minus idonea ualetudo corporis excusauit. Hæc Augustinus ad clerum, & uniuersam plebem Hypponensem, in epistola. 138.

Igitur cum tantam habeamus testium nubem impositam ueritatis propositæ, quis audet, uel dubitare hanc sententiam? Dicet aliquis, non dicunt patres in hac forma uerborum, quod tenetur episcopus continuo residere, in sua diocesi. Si formā uerborum requiris, forsan non conuincam te patrum sententia, Si autem rem ipsam (quod æquum est) requiras, nullum exemplū, nec uerbum sententiæ tuæ inuenies in patribus ueteris ecclesiæ, sed oēs citra exceptionem aliquam auersantur ueluti Sathanam hanc sñiam tuam, & falsam, & perniciosam ecclesiæ catholicę. si roges, cur nec Dominus, nec Apostoli in scripturis sacris, nec patres in suis commentarijs sub hac forma tulerint legē contra ab-

sentes

sentes episcopos;Respondeo ꝙ Solon respondit,rogatus,cur nõ tulisset legẽ contra patricidas; Ferunt dixisse,quia nunq̃ putarã futurũ aliquẽ qui p̄rem propriũ esset interempturus. Tãtundem arbitror nunc responsuros & Ap̄los & patres ecclesiæ.

Deinde qũo p̄res dãnassent in hisce uerbis sñiam hanc,quibus nunq̃ uenit in mẽtem, ꝙ ep̄s absens ab eccl̄a sua alijs implicatus posset defungi munere suo ep̄ali?Dubitarunt quidẽ illi vehemen ter,an præsentes possent suo officio satisfacere. Ideo Chrys. accersitus ad id munus sibi timẽs occultauit se.Basilius ille cognomento magnus,magno dolore uexabat,ꝙ coactus sit subire tam arduã prouinciã.Gre.Nazian. utriq; fidelissimus sodalis vocatus & electus aufugit adeo,ut post coact⁹ sit redire & purgare se corãm eccl̄a de fuga, & alter Greg. cognomento magnus cũ ad Põtificatũ uocaret,aufugit & abscondit se,donec inditio collumnæ fuit inuentus. s.Tho.Aquinas nunq̃ uoluit importunitati pontifi cum acquiescere & alij quãplurimi, dicit.n.Hier. ad Heliodorũ. Non est facile stare loco Pauli,tenere gradũ Petri. De illis aũt q̃ temere & extra tempus, uel ambiunt, vel facile oblata admittũt eiusmodi ecclesiastica munera,audi quid Bernardus scribat.

Meditantibus quidem honores blandiunt, sed onera pensanti bus tædio sunt atq; formidini. Nõ aũt oẽs capiunt hoc uerbum, multi.n.non tanta fiducia,& alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera,grauari profecto metuerent,nec cum tan to labore & periculo quarũlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc uero quia sola attendit gloria & non pœna, purum esse cle ricũ erubescit in eccl̄a, seq; viles æstimant & inglorios, qui quocunq; eminentiori in loco nõ fuerunt sublimati.scholares pueri, & impuberes adulescẽtuli ob sanguinis dignitatẽ promouent ad eccl̄asticas dignitates,& de sub ferula transferunt ad principandũ p̄sbyteris,lætiores interim ꝙ virgas euaserint, q̃ ꝙ meruerint principatũ,nec tã illis blandit adeptum,q̃ ademptũ magisteriũ.& hoc q̃dẽ in initio, processu vero t̄pis paulatim insolescẽtes,ducti sunt in breui uẽdicare altaria,subditorum marsupia uacuare,ma gistris nimirũ in hac disciplina utentes idoneis,ambitione & aua ritia.Verum quãtauis industria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris,quantalibet vigilantia rẽ possis seruare tuam, quam tocunque studio regum tibi ac principum gratiam captare cures,dicimus tamen. Væ terræ cuius rex est puer, & cuius principes mane comedunt.Hæc Bernardus.

FFF 2 Quid

Quid putas dicturos hos patres, siquis rogasset, an absens, & exercens magistratum ciuilem & prophanum posset muneri epi scopali satisfacere? Haud dubium quin responderent nobiscum. alioquin falsò querebant de difficultate muneris & perperā recu sassent pro Christo summere hæc ministeria pascendi oues suas, pro quibus ille morti se dederat (præsertim cum istud sit indiciū singulare dilectionis Christi, si ꝓ amore suo quis pascat, & regat gregem suum, iuxta illud qđ dixit Petro. Si amas me, pasce oues meas) Si tam facile est huic muneri satisfacere, ut non modo pre sens, sed & absens possis plene illud administrare? sed uereor ne isti, quibus sic pruriunt aures, vt libenter audiant nouas istas, & perniciosas opiniones, sint illi de quibus Chrys. uel quicunq; fue rit eius operis author, Hom. 1. operis imperfecti ueluti uaticinās dixit. Sicut Roboam abijciens seniorū consilia, & coætaneorum suorum consilia sequens, occasionem præbuit dissidio populi Israelitici, vt decem tribus secederent, & duæ tantum manerēt cū domo Dauid. Sic & circa finē epi relinquentes consilia seniorum Aplorum & Prophetarum secundum, ꝙ consiliati fuerant epos conuersari debere, vel epatum suum tractare, & secuti sunt consi lia coætaneorum suorum, & iuuenum consiliantium, epm oportere diuitem fieri, & inhospitalem, & timorem Dei non habere, & talia quædam alloqui, quæ moueant plausum. Dederunt occasio nem diabolo præcisionum faciendarum, non attendentes, quod præcipit Petrus. Non vt dominātes in cleris, sed forma facti gre gis ex animo. Item Paulus, Nouitates vocum deuita, generāt. n. lites, & sermo illorum sicut cancer serpit. Item. Formam habe sa norum uerborum quæ a me audisti. Hæc Chryso. vel quicunque fuerit eius operis author.

Istas & similes opiniones vocassent patres veteris ecclę, nouitates vocum, verba non sana, & ideo a viro fideli cauenda. Hos igit duces, & antesignanos sequimur, immo Catholicæ ecclesiæ per vniuersum orbem ab ipsis apostolorum temporibus ad præsens vsque communem sententiam sequimur, nam ex oībus omnino seculis ex omnibus orbis terrę Cardinibus testes indubitatę fidei protulimus, semper ab initio ita tenuisse fidem Catholicorum omnium, quos an tutius sequi sit, quā hos nouorum dogmatum inuentores, ipsi viderint, qui hos magis sequi dignum duxerint, nobis certum est cum illis & viuere & sentire.

COMPENDIO RECENSETVR ET EXPLICATVR SENtentia Cardinalis Caietani circa hoc argumentum, cum firmioribus eiusdem rationibus. cap. 10.

CARDINALIS Caietanus in commentarijs sancti Thomæ. 22. q. 185. art. 5. contendit multis argumentis demonstrare, quòd obligatio episcopi ad continuam residentiam est ex præcepto iuris diuini. Argumenta eius magis firma & efficacia sunt ista.

Primum, episcopus de iure diuino tenetur ad curãdas animas subditorum suorum, sed ad eam curam animarum exercendã est necessaria continua residentia personalis episcoporum, ergo eodem iure tenetur ad hanc, quo ad illud. Quoniam, qua lege præcipitur aliquis finis, præcipiuntur oĩa necessaria ad comparãdum illum finem. Huius argumentationis secunda præmissa probatur, quoniam curam animarũ exercere debet pastor spiritualis, custodiendo gregem Dominicum, prædicando, pascendo illum uerbo legis, & exemplo vitæ, visitando, & sacramenta dominica suis ouibus administrando, vt patet per Ezech. ca. 34. & per Paul. 1. ad Timo. 3. & ad Tit. 1. Sed ad custodiendum gregem domini ad pascendum eum verbo legis, exemplo vitæ, & administratione sacramentorum, & ad continendum illum in obseruantia legis annua visitatione, est simpliciter necessaria residentia personalis, sine qua, nulla ratione per absentem impleri possunt, & ad quæ nullo modo, antequam occurrerent, potuit præparari, ergo necesse est, ut sit personaliter præsens, si nolit deesse officio suo, & ex consequenti ex iure diuino obligatur a perpetuam personalem residentiam.

Secundo, Episcopus & quiuis alius ecclesiasticus pastor ex iure diuino debet esse non Dominus gregis sibi commissi, sed uerus pastor, ergo eodem iure tenetur agere pastorem, non Dominum, ac proinde per se pascere & attendere curę ouium suarum. Assumptum illud probat. Primo ex verbis Christi ad Petrũ. Pasce oues meas. Secundo verbis Pauli. Sic nos existimet hõ, vt ministros Christi, & dispensatores. Tertio verbis Petri. Pascite qui in vobis est gregem Dei, non dominantes in cleris &c. Vbi vides in vniuersis citatis testimonijs cõmendari, & mandari ministerium Pastorale, negari vero imperium & dominium seculare.

Tertio,

Tertio, arguitur ex forma consecrationis pastoralis, in qua ordinando episcopo dicitur. Vade, & prædica euangelium populo tibi commisso, obserua uerba illa, uade, & prædica, non dixit mitte qui pascant, & qui prædicent, sed ipse uade, & prædica populo tibi commisso. Vnde rectissime cũ alijs multis annotauit Paulus scribens ad Titum & ad Timotheum, oportet episcopum doctorem esse, heu quam prępostęrum est, nomen, honorem & diuitias episcopi tenere in propria persona, officium autem episcopi in aliena, cum priora omnia sint illi concessa tantum propter officium pastorale, iuxta illud. Datur beneficium propter officium. illa uero libenter retineat, istud uero solum abijciat. Hæc Cardinal. Caietanus. Quæ possent & hac ratione confirmari. Si hæc uera non sunt, quid sibi uolunt uerba domini ad Ezechielem prophetam, Fili hominis speculatorẽ dedi te domui Israel, & audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me, si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Qui potest speculari uitam ouium suarum si præsens non est, sed in aulis principum degat? Quomodo auditum uerbum ab ore domini annunciabit domui Israelis? Quomodo gladium uenientem prędicturus est impijs, si præsens non sit? Sed quid ago? quid frustra laboro? Nam absens ab ecclesia, liberatus est ab hac cura. Paulus enim dicit. Non datur manifestatio spiritus, nisi ad utilitatem, cum igitur absens, ecclesiæ utilis non sit, non loquetur illi dominus, nec audiet uerbum ab ore eius, quod annunciet. Vis intelligere quòd à pastore negligente curam sui gregis, fugiat spiritus sanctus? Audi quod fecit dominus cum Mose. Moses clamauit corãm domino, dicens. Cur imposuisti pondus uniuersi populi huius super me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, uel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum? non possum solus sustinere omnem hunc populum quia grauis est mihi. Hęc Moses. tantum quia uoluit fugere curam populi quem regendum à domino susceperat, dixit illi dominus. Auferam de spiritu tuo tradamq;. 70. senioribus ut sustentent tecum onus populi, Descenditq; dominus & locutus est ad Mosem, auferens de spiritu qui erat in eo, & dãs 70. uiris. Si ergo in Mose diminutus est spiritus domini, tantum quia tentauit relinquere curam gregis sibi commissi, Ab eo qui omnino deserit gregem domini, cum tamen mercedem non de-

relinquat

relinquat pastoris, nônne totus auferetur spiritus domini? auferetur utique, & dabitur alteri qui faciat fructus illius, & hic seruus mittetur in tenebras exteriores. Visum est seorsum annotare sententiam Cardinalis Caietanus, tum quia primus hac tēpestate asseruit hanc ueritatem, quam penè extinxerat multorum prælatorum contraria consuetudo. Tum quia nonnulli nunc contendunt infirmare illius argumenta, & palàm audent dicere eis argumentis, non fuisse astruendas conclusiones, quas nos in. 2. ca. huius controuersię posuimus, quas tamen ego arbitror certissimas, & uniuersos lectores idipsum iudicaturos & ad eas probandas solas rationes consi. Caie. sufficere, quamuis ob perfidiam huius temporis, & ut magis sepultam hanc ueritatem ab inferis in lucem reuocaremus, nos locupletius illas probauerimus, donet Christus ut uniuersi eas intelligamus, & credamus.

RATIONIBVS HVMANIS MANIFESTANTVR *uera quæ per fidē scripturarum & patrum ecclesiæ doctrinam docuimus de residentia episcoporum*. cap. 11.

PROFECTO si uellemus rationi obtemperare, nec extinguemus igniculum illum nobis à superiori lumine (quod illuminat omnem hominem) donatum, non erat cur in re clarissima digladiaremur. Dic mihi ô pastor ecclesiastice, quo iure petis stipendium? qua ratione uictum & necessaria? Nimirum responde bis iure diuino. Præceptum erat enim ut filijs Leui decimæ darentur in quorum loco sacerdotes successimus, & Christus mercede dignos sacerdotes pronunciat, & Paulus exemplo uobis præcipit, ne nobis os alligetur, & hoc inconfesso est apud omnes, recte quidem respondes. sed quæro ego uicissim, an gratis uobis debe ri ista dicant sacræ scripturę, & ob donationem puram an potius sit aliquis contractus ultro citroq; obligatorius (ut uulgo dici solet) Nunquid cum iubentur præstari decimæ filijs Leui, nullæ operæ ab illis exiguntur? Immo uero pro ministerio quod faciebant domino in tabernaculo, cum ait Christus uos dignos mercede, nônne appellauit uos operarios, etiam si mercedis nomen satis hoc declarabat? cū Paulus uetat ne uobis os alligetur exemplo bouis, non adiecit triturantis? ergo cur uis contractum ex altera parte claudicare? cur si in iure diuino tibi decimas debeo, non tu eodem iure tenebris inseruire tabernaculo? Cur non tritura-

turabis? cur non operaberis eodem iure? quæ iniquitas eſt, ut populum religione alliges ob tuum ſtipendium, & tu religione ſis ſolutus, ſi nolis militare? At dices, militare uolo, ſed per uicarium obſequium præſtabo in templo, ſed per ſuppoſititium. Volo triturare, ſed per conductitium. O ingentem confidentiam, exclamandum enim erat tragice. An non eſt electa induſtria tuæ perſonæ? An nos tantum ſtipẽdium daremus tuo uicario, quam tibi? ſi ille quem nobis præficis dignus eſt epiſcopatu, cur tu illum ſua mercede integra ſpolias, & ſalarium neſcio quod præſtas, ut tu reſiduum deuores ocioſus? Si indignus es, cur nos fraudas tua præſentia, cum nihilominus integram ſoluamus mercedem? Dic mihi, ſi Tridentini medicum ſibi cõduxiſſent, ut in ægritudinibus illis ſubueniret, idq; magna mercede, nunquid paterentur illum Mediolani agere, & Tridenti neſcio quem alium relinquere? non clamarent omnes alium quærendum eſſe medicum, & abſenti nihil ſoluendum? Tu cum medicum agas animarum, ſalarium iure diuino corrades, & iure humano dices te teneri ad non reſidendum? Dic mihi, quis erit tam uecors pater familias, qui gregem ſuarum ouium patiatur à proprio paſtore deſeri, & à conductitio paſci, quẽ ille accerſit data aliqua portione iuſtæ mercedis, quam à parte familias accipit, ut reliquum mercedis deuoret, ubi relicto grege libeat occupari, ne dicam delitiari? An quod homines non omnino frugi ſuis in rebus non paterentur, feret pater cœleſtis, qui ſe bonum paſtorem, & bonum patrem familias uocat & eſt? An tu ſi miniſtros habes qui tibi inſeruiant, quorum hic pecunijs præeſt, ille uillis, hic alius menſę, ferres ut hi omnes per uicarios tibi miniſtrarent? quod tu in equis curandis, aut in condiendis cibis non ferres, poſtulas ut deus & homines ferãt in re tanti momenti? an exiſtimas ſatisfactum eſſe tuo uentri, ſi alius pro te comedat, ſi alius pro te bibat, ſi alius pro te dormiat? non opinor. qua fronte igitur audes permittere, ut alius pro te laboret, ut alius pro te concionetur? quod ſanè non minus, immo etiam multo magis neceſſarium eſt ad legitimam eius officij adminiſtrationem quod tibi uſurpas, quam eſt uel ipſe panis ad uitam hominum tuendam & conſeruandam. ſed ſcias quandoquidem uis nunc, ut alius pro te doceat, ut alius pro te laboret, futurum quoq; omnino ut deus pro te hæreditatem regni cœleſtis conſequatur, quatieris ſanè tu foras, nam qui laboris participem ſperet. Dic mihi obſecro. Num deterioris conditionis eſt reſp.
Chri-

Christiana, quàm sint aliæ humanæ, & prophanę respublicæ? in istis nondum intellectum est, ut permittatur rectoribus earũ nõ residere, inauditum est, quòd absentes percipiant salaria ab illis designata, & in illa Christiana, spirituali a cœlo delapsa, & omnium ordinatissima respublica, debent esse istæc tam cognita, & ꝓbata? Si hæc non permittunt prophana hominũ tribunalia (& id iure optimo) putasne concessura diuina?

Deinde considerasse oportuit, quot absurda, proposita opinio in ecclesiam Dei inuexit. Primo cum persuasum est, quod episcopo absenti licet detondere oues, & earum lana, & lacte potiri propter præsentem, & residentem Vicarium, hinc cõtinuo emanauit, quòd unus plures simul occuparet ecclesias cũ æque facile iudicauit plures prę sentes, & residentes habere uicarios atq; unum. Cum tamen nihil absurdius, neque magis perniciosum in ecclesia fuerit (ab assumpto Christo) excogitatũ, & nũc uix est alius abusus, qui magis uexet ecclesiam Christi, quàm iste de pluralitate ecclesiarum. Secundo hinc uenerunt in ecclesia dispensationes illæ siue potestates percipiendi fructus in absentia, quo malo quantum patiantur animę fidelium, & miseranda plebs, quam uidit, & deplorauit Christus ueluti oues nõ habentes pastorem, nemo est qui non intelligat. Tertio, hinc etiã cognouit ecclesia episcopos titulares, quos necesse est institui ad ministeria episcopalia peragenda uice absentium episcoporum, quibus monstris quantum uexetur ecclesia Christi, uidemus, & dolemus uniuersi. Isti mercenarij, & factitij episcopi inuexerunt in ecclesiam infinitam multitudinem abusuum, quocirca uehementer cupit ecclesia catholica eos aboleri, sicut iam olim fecit Damasus papa, & post illũ tota uetus ecclesia in [cor] episcopis. Quarto, & aliud absurdum deriuatum est ex opinione contraria, nempe ut episcopi non pauci simul ecclesiasticam & ciuilem administrationem obirent, cum tamen omnes ueteres canones tam seueriter uetent, nequis functioni ecclesiasticę deputatus (minime autem omnium episcopis) curam ullam rerum secularium suscipiant. Item noua hæc opinio peperit prophanationem istam diuinorum sacramentorum, quam passim uidemus fieri in ecclesia per conductos ministros, ut iam nihil penè in ecclesia administretur sine pretio, & quasi extintam uideamus iam legem illam quam ministris euãgelicis præscripsit Christus, Gratis accepistis, gratis date. & in administratione alio-

rum ſacramentorum paſſim uidemus, & prophanationem præſertim eorum, quæ per ſolos epiſcopos poſſunt adminiſtrari, ut ſunt ordo, & confirmatio, quorum abuſuum cauſa eſt epiſcoporum a ſuis ſedibus abſentia, nam ſi epiſcopi reſidētes per ſeſe adminiſtrarent ſacramentorum ordinis, promouerent neceſſarios exploratos, & idoneos miniſtros, & non grauaretur eccleſia tā promiſcua turba ſacerdotum. Deinde ſi non abeſſent a ſuo grege paſtores eccleſiaſtici, uitarentur, & alijs abuſus circa ſacramentum confirmationis non infrequenter accidentes, primum quando contingit eos inuiſere diœceſes ſuas (cum raro id fiat) ungunt ſacro chriſmate quotquot illis offeruntur etiam infantulos, uix ab uberibus matrū ablactatos, quos oportebat prius edoceri in fide, & religione quam profeſſi ſunt in baptiſmo, & illam explicate coram proprio paſtore confiteri. Secundo euenit non raro repetere hoc ſacramentum, & eoſdem infantes bis aut ter ungi, quod tamen caueretur præſentia, & cura paſtorum eccleſiaſticorum. Hæc omnia mala, & abſurda nata ſunt, & multo plura monſtra paritura eſt perſuaſio hæc de licita abſentia paſtorum. Cum tamen ſecūdum Deum nihil minus licere poſſit. Et, ut ſemel concludam, puto, & omnia mala, & peccata populi Chriſtiani perfluere ex ocio, & abſentia paſtorum eccleſiaſticorum, quod, & dominus aperte per Ezechielem Prophetam ſignificauit dicens. Diſperſę ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, errauerunt greges mei in cunctis montibus, &c. Et quid eſt nō eſſe paſtorem, niſi abeſſe illos ab ouili Chriſti, neque eſſe in eccleſia qui paſtorum officio fungantur? Hoc ipſum, & per Hieremi. clamabat è cœlo princeps paſtorum. Quia ſtulte egerunt paſtores, & dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt. Quæ omnia mala beatus Gregorius recte interpretatus eſt paſtori neſcienti, aut negligenti, aſcribenda, dicens. Non admittitur paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſciat. Quę ſententia pro regula iuris eccleſiaſtici nunc habetur. Itaque ni ſuffocaremus rationem nobis inditam, dū affectibus obſequi diſcupimus, nemo eſt tam cæcus, quin uideat, qui de reſidentia dubitant in ſole meridiano lucem quærere.

EXAMINATVR, AN SINT ALIQVA, QVAE POSSINT *excusare episcopum à perpetua residentia & soluuntur rationes aduersariorum.* cap. 12.

SVB NASCITVR ex priori & altera cõtrouersia, quæ sint, quæ possint excusare episcopum ab ordinaria & regulari residentia personali, quoniam necesse est esse aliqua, quibus legitime interdum excusetur absens episcopus, nisi uelimus centurias episcoporum damnare, deinde quid respondebimus ad rationes aduersariorum, quarum prima est.

Est infinita multitudo episcoporum, quibus iam pro lege est non residere, exceptis paucis qui per breue aliquod tempus interdum residere solent, & id, data aliqua occasione, regulariter autem satis putant fecisse, si idoneos Vicarios subrogauerint.

Secundo residentia non est necessaria nisi propter curandam animarum salutem. Sed aliquando episcopus sufficienter & sufficiẽtius gerit curam animarum per alium, quàm per se, ergo tunc non tenetur personaliter residere, etiam si nulla necessitas ecclesiæ, uel propria cogat illum abesse ab ecclesia sua. Nullo alio argumento (quod ego sciam) ualent partem oppositam utcunq; apparentem reddere. Sunt multa nunc in uita mortalium similia quæ solus usus uel abusus fecit, ut ab aliquibus uerterentur in dubium, cum olim nunquam uisa fuerint digna, ut de illis uel ambigeretur.

Ad hanc subnatam controuersiam respondeo duo. Primum est, nihil est, meo iudicio quod possit excusare episcopum à regulari præsentia sua, & cura ouium suarum mihi non indiligenter consideranti rem hanc, nunquam potuit occurrere aliquid, quo episcopus aliquis posset iuste excusari coràm Deo ab ordinaria residentia. Dixi, coràm Deo, Quoniam coràm hominibus multa sunt quæ eum reddunt excusatum, quoniam siquid esset, istud maxime, fungi aliquo ministerio in curia summi Pontificis, exempli uice, esse illi à secretis, aut ab audiendis causis Cameræ apostolicę, uel ROTæ (quam uocant.) Sed ut uere & pie annotauit Cardi. Caietanus, certum est huiuscemodi ministros nõ excusari, & abusum esse ecclesiæ catholicæ pernitiosum, assumi episcopos ad huiusmodi ministeria, & pastores spirituales in similibus occupari, cum possint per non episcopos ęquæ bene exerceri, de quibus

non minus uere quàm sanctè dixit prędictus Car. episcopi in istis & similibus ministerijs sunt in ecclesia, quod sunt monstra in natura. Quid obsecro magis monstruosum quam episcopum & pastorem animarum esse iudicem causarum ciuilium, uel esse amanuensem uel à secretis pontifici? quæ monstra (proh dolor) uidemus passim & ecclesias Christi perinde ac si uiduæ essent, proprijs sponsis carere, & gregem dominicum sine pastore. quam rem perpendens rectè Innocentius. 6. Beneficia ecclesiastica non nisi probatissimis sacerdotibus, tum uita, tum doctrina dare curauit, statimq; coronatus omnes prælatos, & quotquot beneficia habebant ab aula & curia sua abegit, & ad ecclesias suas sub anathematis pœna abire coegit. Dicebat enim oues pascendas à proprio pastore, non à mercenario custodiri debere. Sed quid in re perspicua atq; manifesta moramur? si esse Cardinalem in ecclesia Romana, & assistere Romæ pro expediendis negotijs uniuersalis ecclesię, hoc non excusat episcopum à residentia in ecclesia sua, qnanto minus excusabunt alia ministeria tanto inferioris gradus? Assumptum uero probatur ex antiquo iure canonico in cap. bonæ memorię de postu. prælato. & in .c. exegistis de cleri. non residentibus. Item ex Synodo Tridentina sessione. 6. decreto de residentia. In quo diffinitum est nullos episcopos quouis gradu uel dignitate fulgentes excusari à residentia personali in suis ecclesijs, & scio hanc esse mentem Synodi, & si explicatam per plures patres in publicis congregationibus, nullos neq; Patriarchas nec Cardinales excipi ab hoc canone, & nimirum cum idem sit de iure. Siquis tamen obijciat in hac parte multorum contrariam consuetudinem, dicemus cum Cardinale Caietano, quōd hæc abusio, non consuetudo dicenda est.

Hinc collige unum aliud. quòd si hæc ministeria quæ ecclesiastica sunt, & ad bonum uniuersalis ecclesiæ pertinētia, nō faciunt excusatum episcopum absentem ab ecclesia sua; multo minus excusabunt officia ciuilia, siue mūdana alia munera, quibus funguntur nō rari episcopi in curijs & aulis principum, quibus satis erat dixisse Apostolum Paulum. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat, cui se probauit. Si ergo uelint Christo placere, necessum est ut se explicent ab huiusmodi secularibus negotijs.

Secundum, dico ꝙ possunt occurere aliqua, & interdum etiam occurrunt, quę iustò excusant absentiam temporalem episcopi

ab ecclesia sua,temporalem dico exempli gratia, ad annum , ad biennium uel parum amplius uel minus. Primo occurrit interdum persecutio temporalis,qua instante iusto potest abesse. hoc dico si sit persecutio personæ,& non ecclesiæ uel aliarum ouium suarum,quoniam tunc tenetur bonus pastor ponere animã suam pro ouibus suis. Item quando præsentia episcopi non est necessaria ecclesiæ,nam si sit, negligenda est uita corporalis pro salute ouium suarum. Extra hos casus imminente periculo persecutionis potest episcopus abesse ab ecclesia sua durante persecutione, ut Paulus missus est in sporta ut fugeret Damasci persecutionem Iudęorum. Et Athanasius fugit ab ecclesia sua instante persecutione Constantij imperatoris Arriani, quo tempore exularunt multi sancti episcopi ab ecclesijs suis.

Secundo,iusto etiam excusat episcopum aliqua eius ægritudo corporalis,si episcopus laborat morbo aliquo in ecclesia sua, potest ad tempus abesse causa recuperandæ ualetudinis amissæ.

Tertio,si contingat celebrari cõcilium aliquod generale uel prouinciale,põt & debet abesse quãdiu durat conciliũ, quoniam proprio fungitur munere,si intersit synodi alicuius celebrationi.

Quarto,si mittatur ipse Legatus ad Cæsarem uel Pontificẽ ad tractanda aliqua negotia,uel fidei uel ecclesię suę,uel alterius,uel ad cõponendam pacẽ inter principes aliquos fideles, uel siquid aliud rarũ & peregrinũ occurrat,quo casu ẽt cũ aliquo incõmodo ecclesiæ suę potest & debet episcopus iuuare Remp. Christianam,& ad tempus abesse propriæ ecclesiæ, nam sumus inuicem membra,& si patitur unum membrũ,necesse est compatiantur & reliqua,si gaudẽt & cõgaudeãt & mutuas opas nobis tradamus.

Quinto,iusto excusaretur episcopus expresso aliquo mandato episcopi Romani accersitus ad tẽpus aliquod breue,pro ministerio aliquo & bono ecclesiæ uniuersalis,uel Reipub. Christiane,sic tamẽ,ut expedito ministerio redeat ad propriã ecclesiã,hoc casu arbitror excusari,quãuis si cõmode posset suppleri per nõ episcopũ,Pastor animarum nõ erat separandus à suo grege. Et hæc meo quidẽ iudicio uocauit synodus Tridentina in sessio. 6.& .7. legitima ĩpedimẽta & cãs iustas & rationabiles quibus excusari põt episcopus absẽs ab ecclesia sua,uel siqd simile istis occurrat.

Reliquum est,satisfacere rationibus cõtrarijs. Ad primã dico primo,& amplector snĩam Caieta.Card. ꝙ illa abusio,nõ cõsuetudo dicẽda est,secũdo tantã multitudinẽ ministrorũ damnari si in

prædicto,abusu perseuerēt.Certe mihi christiano,uehemēter dolendū est,& ueritatē dico(cum apostolo Paulo)testimonium mihi peribente conscientia mea,quoniam tristitia mihi magna est, & cōtinuus dolor cordi meo pro fratribus meis , qui sunt cognati mei secundum carnem,quorum est adoptio filiorum,& gloria,& testamentum.

Ad secundam , respondetur quòd debita personalia non possunt iuste per alium suppleri . Talis est cura pastoralis. Deinde posse ecclesiam æque sufficienter gubernari per alium est de per accidens (quod uocant dialectici.) quæ autem per accidens siue contingenter eueniunt, nō excusant à uinculo præcepti, quoniā hæc non mutant naturas rerum.

Tertio arguitur ab aduersarijs sic,humana institutione factus sum episcopus, & Papa pōt cum causa priuare me hoc episcopatu,& transferre de hac eccľa in aliam, ergo non teneor ex iure diuino exercere hic officium sacerdotale,ac proinde,nec residere. Hinc rursus colligunt,ergo poterit, & mecum humana authoritas dispensare in residentia.Hac ratione inducti sunt aliqui,ut negarent residentiam esse de iure diuino . Ingenue fateor,ego obstupui,quando primo intellexi hac tam friuola,& puerili ratione adduci aliquos uiros,alioqui doctos,in tam nouā,falsam,& perniciosam opinionem,eodem argumento probarent,ex iure diuino nos non teneri parere prępositis nostris.Primo quia humana institutione ego præfectus sum huic reipublicæ.Deinde humana etiam authoritas pōt me remouere a magistratu , & eadē potest me trāsferre ab hoc magistratu ad alium. Et cum his certum est, & extra controuersiam , obedientiam ex iure diuino exhibendā esse præpositis, & eodem iure deberi mihi quandiu sum in magistratu,& si contingat me remoueri,deberi successori meo. Item eo argumento astrueretur furari tunicam meam non esse cōtra ius naturæ , quia ex iure positiuo hæc tunica est mea , & humana authoritate possum illa priuari , quod illi respondebunt ad hæc argumenta,nos dicemus ad suum argumentum, illi autem uelint nolint dicturi sunt , multa esse in ecclesia similia, quorum institutio generalis facta est ex iure diuino , uel ex iure naturali, earum tamen determinatio particularis fieri debet per iura humana,siue positiua,uerbi gratia, obediendum esse præpositis, siue pręlatis est præceptum a iure diuino,non esse accipiendas res alienas, est præceptum a iure naturæ ; Quòd autem ego sim prælatus hu-

cerc

ius reipublicæ uel illius; Item quòd hęc tunica sit mea uel alterius, hæc faciunt humana iura. Ad hunc modum episcopos exercere per se officia sacerdotalia in suis ecclesijs, ac proinde in eisdem residere est præceptum à iure diuino: quòd autem ego sim Episcopus Tridentinus, vel Veronensis hoc faciunt humana iura quandiu fuero Tridentinus, tenebor iure diuino ibi residere, si translatus fuero ad ecclesiam Veronensem, tenebor in ea residere.

Ex prædictis collige tu lector, quòd si residere ĩ ecclesia, a qua accipio commoda temporalia, mandatum est a iure diuino, necesse est eodem iure prohiberi omnia, quæ necessario impediunt personalem residentiam. Cuiusmodi sunt, occupatio ministrorũ spiritualium in officijs secularibus, & pluralitas ecclesiarum, uel præbendarum ecclesiasticarum in diuersis ecclesijs, & si quę sunt huiusmodi, sunt autem, & alia multa quę necessario impediunt personalem residentiam episcoporum, & aliorum ministrorum spiritualium in suis ecclesijs.


Finis controuersiæ De residentia.

TRACTATVS DE EPISCOPORVM RESIDENTIA:

EX DIVINIS LITERIS.

Per R. P. & D. Iacobum Naclantum Episcopum Clugiensem.

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Actorum. 20.



TRACTATVS DE EPISCOPORVM RESIDENTIA,

Ex diuinis literis.

Quod, & Quale, Episcoporum onus.





PRINCIPIO attendendum, quòd etsi Episcopi, præcelsum nacti sunt gradum: quippè qui, constituti sunt à Deo, super familiam Christi, & euhecti in primas partes ecclesiæ; propter quod & in Concilijs generalibus, riteq; collectis, totã ecclesiam continent, & repræsentant; Et si non modò sunt honorandi, sed duplici (qui benè prȩsunt) honore afficiendi; Nihilominus & nacti sunt, tum graue, tum periculosum onus. Cum super gregem sibi creditum, non solum astricti sint vigilare, & indefessè profundæ noctis excubias custodire; Sed & pro animabus eorum (testis est Paulus) rationem exactissimam reddere; Et sicut sapientis auctoritate, in eos qui prȩsunt, futurũ

esse

esse didicimus, iudicium durissimum experiri.

Siquidem in ecclesia, positi non fuerunt ad ocium, sed positi fuerunt ad opus, & planè non malum, sed ex genere bonum. Vnde & Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Imò ex genere optimum, & praeclarum, quamuis arduũ, & perdifficile: Nempe, ut alibi docet, ad aedificationem corporis Christi, quod indubiè, eius ecclesia est. Cuius, sicut ille est sponsus, & caput, ita illa ex doctrina Pauli, eius est sponsa, & corpus.

Et licet aedificationis uerbum, sit tropicum, non est tamen obscurum; & duo manifestè praetendit. Alterum est; Quòd & si ecclesia, tùm sponsa, tum corpus est Christi, est & nihilominus, illius domus, & templum. Vt non raro Apostolus admonet. Et domus est, non materialis, sed spiritualis (ut utar uerbo Petri) Quippè quae, ex hominibus constat, spiritu sancto regenitis, sicut fit in lauacro baptismi (propter quod, & omnes baptizati, ad illius consistentiam pertinet) in quibus perinde ac singulari domo, non modo Christus habitat, & perambulat, sicut olim promiserat Moysi, & demum demonstrauit Ioanni; sed insigniter habitat, & perambulat: Quoniam non ut famulus, sed (ut scribit Apostolus uelut dominus domus.

Similiter & templum est, non manufactũ (ut utar uerbo Pauli) non ex lateribus, & caemento constructum; sed ex lapidibus uiuis, hoc est, hominibus fide & charitate, aliquando uiuentibus, ac super lapidem uiuum, Christum, scilicet, miro modò compositis, potissimum fabricatum: sicut perspicue tradidit Petrus. In quibus non secus ac in augustissimo templo, Christus iugiter colitur, tum fide, spe, & dilectione, iuxtà sententiam Augustini, tum hostijs, & spiritualibus sacrificijs, iuxta admonitionẽ Petri, & demum praecibus, uotis; & gemitibus in spiritu, & ueritate, iuxta uaticinium Christi.

Reliquum est; Quòd non modo docemur episcopos, inter ecclesię aedificatores haberi, sed & quo pacto, suo debent munere fungi, euidenter accipimus. Nam licet ab illis, contemnenda non sit, materialis domus, non templum, caemento, & lateribus structum, sed cum necesse fuerit, sint pro uiribus reparãda & si expedit, & alia construenda (quippe quae apud Christi fideles, sunt religiosissimè instituta, à Deo ordinata, & tum ad excitandos, erudiendosq; populos, tùm ad reddendum externũ cul-

tum, & commune ac publicum sacrificium Deo, magna cum pietate selecta) Nihilominus præcipuum eorum onus est, ut eo pacto populis, sibi commissis attendant, ut quantum ex ipsis fuerit, erigantur in domum, & templum, acceptissima Christo.

Quòd planè tunc fit, cum ita instituuntur ad illum, q non modo per fidem, & dilectionem, delectet habitare cum eis (Nam per fidem Christus habitat, in cordibus nostris, Et qui manet in charitate, Deus manet in eo) non modo delicias ducat, uersari inter illos (Nam, & deliciȩ eius sunt, uersari inter filios hominum) Sed, & habitare, & uersari, uti dominus domus, hoc est, ut proprio in peculio, & domicilio. Vbi lectulus sit Salomonis quem sexaginta fortes ambiunt, ubi ferculum de lignis libani, ubi tigna cedrina, & laquearia cypressina, ubi odores aromatici, & omnes pulueres pigmentarij; De quibus, & pluribus, in Cãticis canticorum. Et deniq; ut & ita coaptentur illi, q perindè ac in sacratissimo templo, unice colatur ab eis, non tantum oblatis spiritualibus hostijs (mortificationis carnis, contribulati spiritus, & laudis confitentium eius nomini) sed & tota uita, illi perpetuo consecrata, ut tandem quicquid faciunt, in uerbo uel in opere, in eius semper gloriam cedat, queamdmodum & Apostolus docet.

Verum, ut res sit magis illustris, diligentius attendendum, q & si Episcopi extra ædificantium classem non sunt (alias nõ moneret, Apostolus, ut uideant, quomodo super Christo fundamento ædificent, Quòdq; non ædificent ligna, fœnum, stipulam sed aurum, argentum, lapides præciosos) in ea tamen non sunt uti ȩdificationis Authores, Architecti, aut ædificantes principales, quoniam istud excellentiæ, congruit soli Deo, hoc [est], patri filio, & spiritui sancto (ita quidem, & non raró, Deus sumitur in scripturis, Vt Dei perfecta sunt opera, Deum adorabis, soli Deo honor, & gloria, & id genus plurima) Et Christo, hoc est, Verbo natura nostra uestito, (Nam Christus Iesus, ut inquit Paulus, est Deus, & homo) Qui licet sint omnium rerum Autores, Architecti, Opifices principales, maximè tamen ecclesiæ sunt sacrosanctæ, ut in qua, eorum tum potestas, & bonitas, tum ars, & sapientia, nedum potissime, sed & singularissimè fulgent, Propter quod, & scitè Paulus scripsit Corintijs, Dei ædificatio estis, & rite Christus, est pollicitus Petro, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, sed sunt Dei, & Christi ministri.

Vnde

Vnde etsi dixit Apostolus, quòd dati sunt in edificationem ecclesiæ, modum tamen adiunxit, In opus (inquiens) ministerij. Et Petrus uolens in Episcopatum subrogare Mathiam, ostende (ait) quem elegèris, sortem accipere huius ministerij.

Sunt, inquam, Dei & Christi ministri; At non simplici ministerio. Et primo quidem sunt ministri, preparando materiam, ut accommoda reddatur edificationi. Quæ sanè preparatio (& si alium subinducendo tropum, a Paulò, sub plantatione, & rigatione comprehenditur, quemadmodum & ecclesia, sacris in literis, etiam sub Horti, Vineæ, & Campi simbolis declaratur) retento tamen typo materialis fabricæ, potissimum in lapidum adaptatione consistit, & cōmuni cursu, tum malleo, tum quadra prestatur. Et licet forsan in tropis, necesse non sit, singula in omnibus adaptare, licet & in simbolis permittantur adaptationes diuersæ, ita tamen omnia disponenda sunt, ut saltem proportione, ad simbolum correspondeant.

Ergo, ut hoc perfungantur officio, Episcopis non segniter annitendum est, ut fidei suæ commissi, perinde ac gibbosi, & a recto recedētes lapides, tum malleo legis Mosaice (quæ sic uocata est, a Domino per prophetam) a morum exorbitantijs complanentur, tum quadra legis euangelicæ (quæ sine controuersia rectissima est) ad rectam lineam reducantur. Vnde, & callere utrumq; tenentur testamentum, quemadmodum, & bicornis mitra protēdit, vt illis pinde ac scribæ docti, & passim, & ubertim possint suo de thesauro, tum uetera, tum noua profundere, sicut & ad illos, in euangelio dictum est.

Siquidem Episcopo non satis est, esse doctorem, sed & illum necesse est docere, & suo populo prædicare, quemadmodum, uel ex ipsius consecratione conuincitur. Imo & frequenter necesse est, predicationi insistere; Alias Episcopo, dilectoq; discipulo Timotheo, non mandaret Apostolus. ut non modo predicaret uerbum, sed ut instaret, oportune & importune, in omni patientia & doctrina. Verum de hac re inferius locupletius.

Secundo, sunt Dei & Christi ministri, materiam preparatam, siue humeris, siue machinis (ut in materialibus, non raro accidit edificijs) perducendo ad eos, vt eorum pro arbitrio, in fabrica reponatur. Et licet non ibo inficias, & aliter hoc oneris forsan, prestari posse, puto tamen præsenti loco aptissimè conuenire, si ad episcopale regimen referatur. Quandoquidem tunc maximè

HHH 2 (si non

(si non fallor) creditos sibi populos, ad deum & Christum perducunt, cum illis unicè, ac tota pro uirili prospiciunt.

Siquidem sui muneris est, non modo populis superintendere, de quo Apostolus, Attendite gregi, quos posuit spiritus sanctus Episcopos, ad regendum ecclesiam Dei, sed superintendere cum omni uigilantia, quasi (vt inquit alibi) rationem reddituri pro eis, cum omni cura, & sollicitudine, (Rectorē populi, ait Sapiens, constituerūt te, curam illius habe) & Apostolus; Qui præest, sit in solicitudine. Idq; non coacte, ut admonet Petrus, non gratia tēporalis lucri (quod ibi, turpe lucrum appellat) sed ex animo, ex propensione cordis, imò, si Christo creditur, ex visceribus charitatis. Quippè qui, & hanc, tum eximiam, tum & non semel requisiuit a Petro. Et denique non secus ac formæ gregis facti, audacter requirant a suis, quod non est neglectum ab eis.

Tali igitur superintendentia, tam prouido, ac salutari regimine, nemini dubium esse puto, populos ad Deum & Christum, non solum maximè prouocari, aut ualidissimè perurgeri; sed suauissimè pertrahi, ac magna cum celeritate perduci. Et præsertim electos, quive sortiti sunt animam bonam, vel in quibus locupletior est gratia Dei; Qui suæ imbecillitatis conscij, episcopi sui curæ, perindè ac proprij patris, ac locum tenētis Dei & Christi, se spōtè committunt, se in illum reijciunt, ac super illum suę salutis negocium, animo propenso reponunt.

Quare sicut istos, episcopus potissimum gestare debet in corde, ardens illos in dies, non secus ac filios charissimos, cum Paulo parturire, hoc est, plenissimè ad Deum & Christum instituere, illis offerre ac dedicare, donec penitus formentur in eis; Ita & singularissimam illorum, ut par est, curam gerit, & solicitudinem. Qđ sicut tropicè in scripturis, est gestari in alis, ita haud dissiľr, dr̄ gestari in humeris. In cuius typū, ni fallor, & noīa filiorū Israel, non solum in rōnali ferebantur Aaronis, quod erat circa pectus, sed & in superhumerali, quod, ut uox sonat, ferebaī in humeris.

Qui uero horum de numero non sunt; Nempe quibus non facile est suadere, & per hoc, ualde difficile est, eos ad Deū, & Christum perducere, quippe qui non solum egent minis, sed baculo, imo fulmine & tonitruo, ab episcopis probe prudēterq; superintendentibus, tandem vrgendi sunt machinis præceptorum, excōmunicationum, & id genus censurarum; Vt saltem quos non trahebat charitas timor extimulet, & pęna compellat. Vt & impleatur

tur quod Dominus dixit: Et compellite eos.

Tertio sunt Dei & Christi ministri, quia ædificationem coope rantur cum eis. Propter quod, dicere non sat duxit Apostolus, quòd sunt Dei & Christi ministri, sed addidit, quòd sunt & coope rarij. Tantus quidem est ardor Dei in homines, tam ingens cura, & solicitudo, ut cũ suauitate, sua ædificetur ecclesia, ut eo in ope re, homines non solum elegerit in præparatores, ac cõductores, vt diximus, sed & euhexerit in coædificantes; quemadmodum & ex Dionisio facile est comprobare. Et ꝙ ita sit possumus hunc in modum agnoscere. Constat in materiali fabrica, onus ędifi- cantium esse, acceptos lapides, oportunis locis disponere, calce connectere, & tam solide ędificium constituere, ut iuxta uerbum Domini, non deijciatur à vento, nec subuertatur a flumine. Ergo, & in spirituali, seruata (ut par est) congrua proportione, non erit dissimile.

Et licet ea dispositio lapidũ, in ædificio ecclesiæ Dei, quæ per eternam predestinationem, à Deo & Christo facta est, cooperatores non habeat, cum & facta sit, ante constitutionem mũdi, licet nec illa munerum dispensatio, qua alii datur sermo sapien- tie, alij gratia sanitatum, & sic de reliquis, que dona gratis data dicuntur, ep̃os cooperatores requirat, illa tamen, que in ecclesię edificio, Ierarchiam mirificam continet, nec mediocriter domũ, ac templum, Dei & Christi ornat integratq; : nõ nisi ep̃is coope rantibus, a Deo & Christo, exequutioni committitur.

Siquidem ad ep̃os pertinet episcopos consecrare (Reliqui te Crete, inquit Paulus Tito, ut episcopos constituas oppidatim) Ergo & consecrare sacerdotes, diaconos, subdiaconos, & alios inferiorũ ordinũ. In quibus, sine controuersia, sacer eccl'ę princi- patus cõsistit, & totus quidẽ, si maximum, ut par est, includamus Pontificem, a quo non secus, ac fonte riuuli, oĩs ecclesie principa tus dimanat, & omnis potestas perinde ac mẽbrorum a capite, ad quosuis gradus ecclesiasticæ Ierarchiæ proficiscitur.

Licet & connexio lapidũ in eccl'ę edificio, ex uirtute progre- diaẽ sp̃ũs, per eccl'e corpus diffusi, qui oĩa eius mẽbra, per neruos & iuncturas (ut uerbis utamur apostoli) mirum in modum ne- ctit, & copulat: Vel (vt non recedamus a tropo) per calcẽ, siue glu ten charitatis, que per illũ in corda, tanta uirtute profunditur, ut non modo id ipsum dicant oẽs, nec sint inter illos hereses, non factiones, sed unũ sit omnibus cor, una anima, omnia cõmunia;

Licet

Licet & ſtructuræ robur, ſoliditas, conſiſtentia (cum ad perſeuerantiam pertineant) ſingulariſſimum donum ſint Dei, Nihilòminus, cum adminiſtratione cuiuslibet ſacramenti, conferatur ſpiritus ſanctus, & præſertim in ſacraméto Ordinis, in cuius ſignum, non confertur niſi cum impoſitione manuum, & per ſacramentum Confirmationis, in quo, non ſolùm confertur, ſed cõfertur ad robur (quæ ambo ſacramenta, ut conſtat, unicè ſunt comiſſa epiſcopis) & ſpiritus ſanctus, ut certum eſt, non detur ſine gratia, non ſine charitate, cum ipſe aliud non ſit, quam amor patris & filij, imò & in templo eccleſiæ, nunquam non multorum corda ſuccẽdat, ardeatq; (ſiquidem lampades eius, lampades ignis ſunt & flammarum, ſicut in Canticis ad monemur) Palàm quòd, & ædificationis eccleſiæ opus (quod in his potiſſimùm conſiſtere diximus) non niſi cooperantibus, coædificantibusq; epiſcopis, à Deo & Chriſto, communi lege, ad exequutionem deducitur.

Imò ſiquis ſcripturas diligenter expendat, nõn ſolùm Epiſcopi ædificationem faciunt, ut cooperarij, ſed quodammodò, ut Architecti. Aliàs non teſtaretur Apoſtolus, ſe perindè ac doctum Architectum fundamẽtum iecíſſe. Nec quidem mirum ſi aduertimus, quòd ardore in nos diuinę bonitatis, non modò euhecti ſunt in celſitudinem cooperarij, ſed & locumtenentis, ut poſſint quodam pacto, ędificare in perſona Dei, & chriſti, quemadmodum & alia non pauca, in eorundem perſona efficere. Propter quod, & canit eccleſia de Apoſtolis (quibus ſine controuerſia, ſuccedunt epiſcopi) quòd ſunt operis chriſti uicarij, ut & non immeritò dictũ ſit eis, Qui uos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit. Ergò ſicut Paulus in perſona chriſti donabat, ſiquid donabat, ita & in chriſti perſona ædificabat, cum eius eccleſiam conſtruebat,

Et quanquam, mea ſententia, hæc conſtantiſſima ſunt, ſcrupulus tamen ſubmouendus eſt. si enim Epiſcopi, non ſolum ſunt in ædificatione miniſtri, præparando materiam, & præparatam exhibendo Deo & chriſto, ſed & ipſius ædificationis cooperatores, imò & quodam pacto Dei & chriſti, in ædificando locum tenentes, Qua ratiõe, de ſe & alijs, dicit Apoſtolus, quòd aliud non ſunt, quam puri miniſtri, plantantes quidem, & rigantes, ſed incrementum non facientes. Imò quòd miniſtri ſunt ferè nullius penſi, Quãdòquidem neq; qui rigant, neq; qui plantant ſunt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.

Vt igitur ſcrupulus eruatur, attendendum eſt quod eò loci

Paulus,

Paulus,non loquitur de pastoribus,siue Episcopis,sed de inferioris ordinis prædicantibus,donatis tamen munere prophetiæ,siue interpretatiōis sermonū,de quibus duodecimo ad Corinthios. Siquidem ultrà pastores,uel episcopos nunquàm defuerunt ecclesię,inferiores administratores uerbi,& maximè tēpore Apostolorum,& pręsertim apud Corinthios, ut ex utraq; ad illos epistola,dificile non est animaduertere. Quorum & multi, eo non fungebantur muneris ad pietatem,sed fungebantur ad questum, multi non ad gloriam christi,sed ad gloriam propriam, & de his potissimùm loquitur. Quippè qui,prædicabant (ut epistola prima colligitur) potius in humanæ sapientię uerbis,quam in ostensione spiritus & uirtutis,potius ad captandā auram populorum & parados sibi discipulos,qui passim iactarent, Ego quidem sum Pauli,Ego autem Appollo,Ego uerò Cephæ(his nominibus usus fuit Apostolus, ne si suis illos nominibus prænotasset, nonnulli offensionis occasionem accepissent)quam ad instituendum congregandumque homines,Deo & christo in fide & dilectione.Nec modò prędicabant,sed & baptizabant,at non maiori quidem zelo religionis,aut christianæ pietatis.

Ergò de his non immeritò dicit, quòd aliud non sunt, siquid sunt,quam Dei & christi ministri. Propter quod quicquid in illis esse potuit dignitatis,quicquid præstantiæ,& existimationis(ita enim in scripturis sumitur,esse aliquid,ut constat Galatarum tertio)& maximè in oculis Dei & christi,qui intima uident, totum adscribendum fuerat,dono Dei, quo donati, & gratis quidem, fuerunt ab eis. Et plantationis tropus,administrationem significat uerbi,qua homines prouocantur ad fidem, non quod internam persuasionem faciant (cum illa opus sit Dei, qui in cordibus fidem infundit)sed quia extrinsecus,quæ sunt credenda proponunt(cum Dei ordinatiōe, fidem externus præcedat auditus, quod præstatur administratiōe uerbi) Qua planè fide,obscurum non est,homines non solum, ex oleastro excidi primi parentis, sed inseri ac plantari, in oliua pingui christi Iesu, ut apostolus docet.

Rigationis uerò uerbum,etsi tropicè insinuare potest,frequēs prædicatiōis exercitium,ut nouellę arbores,fide in Christo plantatæ,citius coalescant(Siquidem & prædicatio in scripturis,non modò assimilatur rori,sed pluuiæ, imò & imbri, qui inebriat terram,& quantum ex se est,germinare eam facit) Puto tamen magis

gis præmissis consentire,si de administratione intelligatur baptismi,quandòquidem & in hoc,nõ leuiter intumebant. Vndè sicut ueluti è regione dixit Apostolus,ꝙ illis euangelizatus non est, in humanæ sapientiæ uerbis,ne eorum fides esset in sapientia hominum,sed in uirtute Dei,ita & adiunxit, quòd nõ est functus apud illos,nisi ergà paucos,administratione baptismi, ne quis diceret, quòd suo in nomine baptizatus esset.

Et licet administratio baptismi,administratio sit sacramenti, Licet baptismus gratiam largiatur spiritus sancti,imò iuxtà christi uerbum,ex spiritu sancto regeneret,non tamen minister,ex ratione(ut sic dicam) ministri,gratiam aut spiritum confert. Siquidem non accidit in baptismo, quemadmodum in ordine sacro, qui peculiare munus exigit,in ministro(propter quod,& ab alio quam Episcopo, conferri non potest) quandòquidem quilibet potest baptizare,& non solum laycus,sed & mulier, imò & hæreticus,& baptizando gratiam,(suo modo) spiritus sancti conferre,propterea quòd qui administrat causam,quãtũ ex eo est,confert & illius effectum,qui communi lege,consequitur causam,tametsi non aliter,effectus à conferente dependeat.Ergò quantumuis ministri, de quibus est sermo, fuissent insignes, quantumuis eximij,& apud Deum maximæ existimationis(cum tamen aliud non præstarent, quam plantationem & rigationem externam) haud dubium quòd quantum augmentũ attinet,uerè nihil erant, quippè quod,non nisi ex intrinseco proficiscitur.Ergò, scitè dixit Apostolus,quòd neq; qui plantant neque qui rigant, aliquid sunt,sed qui incrementum dat Deus.

Deindè,etiam si ea uerba Pauli,ad prælatos extẽdimus(quod facilè consentimus) minime præmissis reclamant. Siquidem constat,quòd de prælatis sermo non erit absolutè, sed quatenus ad illos pertinet administratio uerbi, cum eò loci Apostolus, non nisi ea de administratione loquatur,tametsi(meo iudicio) annectat administrationem baptismi, quemadmodum diximus. Qui baptismus cum possit à quocunque præstari,liquet quòd administrationem uerbi,illius functio,nullo modo transcendit.Quod autem plantationem,& rigationẽ,attingit(ut & suprà notauimus) populi præparationem continet, qua adolescere possint in christo, Et quanquam,illam exhibent Episcopi, præclariori dono, quia munere exhibent pontificio, propter quod & illorum prędicatio,maiori cum energia procedit,& ad aures populi sibi credi

ti, uberiori cum fruge dilabitur (alias nō diceret Christus, quòd oues uocem pastoris audiunt, & audiendo sequuntur, è contrà uerò, illius qui non est pastor, non audiunt, nec sequuntur) nihilominus, & indubie ueritatem habet, quòd neque qui plantat neque qui rigat aliquid est, respectu, scilicet augmenti, quod (ut dictum est) non nisi ex intrinsecus operante progreditur. Nec in præparationis operibus, episcopi aliud quidem sunt, quæ externi ministri, tametsi in sequentibus, ut expressum est, sint & cooperarij imo, & Dei, & Christi, locum tenentes.

Rursum, De eodem, Sed apertius.

Verum quia doctrina simbolica, propter interpretationes uària, non semper, tùm à Dionisio, tùm ab Augustino, reputatur conuincere, forsan non erit inutile, siquid de episcoporum munere, ex scripturis sine tropis occurrit, paucis inseramus. Et licet id præstari posset, ex pluribus locis, lubet tamen, solum uerba Seruatoris expendere, quibus non modo Petrum, in Episcopum totius ecclesiæ consecrauit, sed & perspicuè illius officium patefecit.

Dixit IESVS *Simoni Petro*. Hoc est, Simoni in fide reddito solido, & constanti. *Simon Iona*, Non enim erat filius Ioannis, sed Ionæ. Quod si sacramento uacaret, nec modo cum illum Pontificem facit, nec olim cum sibi Pontificatum spopondit, Christus repeteret. Et quantum imbecillitas mea consequitur, admonet Pontificatum nemini exhibendum, imo nec promittēdum, nisi filius sit Columbæ (id enim Iona significat) hoc est, nisi filius sit, tum ecclesiæ, de qua legitur, una est columba mea, tū Spiritus sancti, de quo euangelium docet, quòd aliquando in forma columbæ descendit. Nisi, inquam, filius sit Ecclesiæ, hoc est, nisi & habitus ab illa semper sit, ut pius filius, & ab eo, illa semper obseruata sit, ut pijssima mater, utpote qui & illius doctrinā sit pastus, & iuxta, illius leges, & ritus, optime institutus, nisi filius sit spiritus sancti, ut qui non solum ex illo sit, in baptismo regenitus, sed & eius gratia fotus, & charismatibus locupletatus.

Diligis me, nunc excitatum à mortuis, quemadmodum, & diligebas properantem ad mortem, non modo asserens, ex ardore charitatis, sed repetens, paratum, & promptum te mecum esse, non solum carceri tradi, sed & morti exponi? Diligis inquam me, postquàm non semel abnegasti, non dicam, ut hi, sed

& *plusquam hi*, quemadmodum & apud Cęſaream Philippi, me præ his, Dei filium es confeſſus, & in nouiſſima cœna, audacter præ his es proteſtatus, quòd etſi, me paſtore percuſſo, reliqui fo rent ſcandalizati, tu nunquam eſſes ſcandalzatus? *Reſpondit Petrus*, non ſolum in gratiam reaſſumptus, ſed ad altiorem (ni fal lor) gradum promotus, & præ illis ardentiori Chriſto charita te copulatus, quemadmodum, & illis erat officio, & auctoritate præpoſitus. *Tu ſcis Domine, quòd amo te.* Siquidem ſuam imbe cillitatem expertus, quantæ temeritatis fuerit ſe iactaſſe, ac præ reliquis præſumpſiſſe, nimium exploratus, non modo non ſolita animoſitate loquitur, ſed nec audet, euidens ſuæ conſcientiæ teſtimonium, niſi ſub iudicio Chriſti depromere, aſſerens, ꝙ cum illum nulla res lateat, qui & pertingit ad intima cordis, probe quidem nouit, quòd amat, hoc, eſt, uehementiſſimè diligit eum. Et cum non ſolum ſpiritus ſit ponderator, ſed lagitor, quiq; & ignem uenit mittere, nec aliud cupiat, quàm uehementer accendi, porſus, non ignorat, ſi plus q̃ reliqui ardeat eũ.

Dicit ei Ieſus. Si me uehementer diligis, ſi præceteris ardes (qđ plane non diffiteor, qui & latebras tui cordis intueor, imò, & inflammo) rem à te, quę mihi eſt unice chara, & præ omnibus ſu prã modum accepta, obnixe requiro. *Paſce agnos meos.* Olim ec cleſię tibi Pontificatum promiſi, nunc promiſſum abſoluo, uerũ & quanti ſit oneris detego. Siquidem & ſi non inficior, pro me, te aliquando conijciendum in carcerem, & cum ſenueris, & ſi no lueris, ducendum ad crucem, ac moriendum in ea, Et ſi non re nuo, te per manſurum in fide, & ſi opus fuerit confirmaturum Apoſtolos, & confratres, Nihilominus quod pontificatus eſt, exigo flagitoq; ut agnos ſcilicet meos, quos ſanguine mihi para ui, omni cura reficias. Illos tibi committo, ac tota uirili commendo, & eſto certior, ꝙ ſi ardenter me diligis, neceſſe eſt, ut ardenter diligas eos. Quos & dum paſces, me paſces, quippe qui in eis inſigniter dego, & quod uni ex minimis iſtis præſtatur, indubie & mihi præſtatur.

Dicit ei iterum. Simon Iona diligis me? Et plane quidẽ, plus his. Tum ne prima extenuetur interrogatio, tũ ut & retineatur, ſem per ardentioribus Chriſti, credenda munera pontificia. *Reſpondit Petrus*, eadem prorſus reſponſione. *Tu ſcis Domine, quòd amo te.* Non occurrebat Petro aſſertio, aut tutior, aut efficacior, q̃ ad illũ, quem probe nouerat nihil effugere, iterum prouocare, &

 ſuę

suę quidem scientię, tùm certitudinem, tùm sui amoris præstãtiam, toto corde committere.

Dicit ei Iesus. *Rege oues meas.* Si me præ cæteris amas, præ cæteris, & hoc onus assumme, ut regas oues meas, Non ignarus quòd si agni, mihi sunt, unicè chari, oues unicè sunt charissimæ, si illi sunt proximi cordi, hæ sunt in meditullio cordis, si illi sunt semper ob oculos, hæ ut pupilla sunt oculi. Nec quidem mirum, cum minores illi sint, hæ uerò maiores, Illi egeãt lacte, hæ solido cibo, Illi steriles, hæ sepiusculè grauidæ, Illi demum imbecilles, & ad labores insoliti, hæ fortes, & laboribus assuctæ.

Dicit ei tertiò. Vt pręseferat indubiè, tum eximiam in illo qui ungendus est Pastor, Christi dilectionem requiri, tum, & potissimùm pastoris negocium, & primò, & secundò, & tertiò, in hoc ipso uersari, ut pascat & regat ecclesiam. Et licet, hoc in loco, sermò peculiariter sit, de summo Pontifice, respectu uniuersalis ecclesiæ, non secus tamen intelligẽdum esse, & de episcopis, quibus commissæ sunt ecclesiæ particulares, Apostolus docet, qui illos non dissimilibus uerbis exstimulat. Attendite, inquit, uestro gregi, quos posuit spiritus sanctus episcopos, ad regẽdum ecclesiam Dei. *Simon Iona amas* me? Non solùm me præ cæteris diligens, sed & unice ardens? Propterea, & (si non fallor) uerbum Dilige re, in uerbum commutauit Amare, quemadmodum & respõdendo, semper fecerat Petrus. *Et contristatus est Petrus*, tum ueritus aliquod pręsentaneum malum, tum prorsus nesciens, quo modo & tutius & ualidius posset suum ergà illum ardorem conuincere. *Dicitq; ei*. *Tu*, quidem, *omnia nosti*, non solum quia Deus, cuius oculi abditissima uident, sed quia homo, cum in te omnes sint thesauri, tum scientiæ, tum sapientię Dei reconditi. Ergò tu mi domine & magister, imo redemptor & saluator, qui (ut alias nouimus) nosti quicquid latet in homine, *Tu* in quam, *scis quòd*, uere, *amo te*, nec aliud cupio ardeoue præter te. Dicit ei Iesus. *Pasce oues meas.* Sicut & priori loco mandauit de agnis. Igitur Petre, hęc erunt plenissima, & omni exceptione maiora, tuæ erga me dilectionis, tuiq; ardoris testimonia, si regeris paueris q; tum oues, tum & infirmiores agnos meos, omni cura, ac tota uirili.

Et quanquàm premissa Domini uerba, multis sint grauida sacramentis, de illis tamen, solùm aliquid attemptabimus, prout presenti pertinent instituto. Qua de re excutienda non sunt, ut creationem continent pontificatus Petri, sed ut attinent fun-

ctionem sui muneris, & per hoc officium cuiuscunq; Episcopi. Quod planè in duobus uerbis concludit, scilicet, in Regimine, & Pabuli administratione. Et à primo exorsi, quod potissime onus cõtinet præsulatus, & ex quo omnis super gregem prelatis creditum, deducitur iurisdictio, maxime attendendum, quòd sicut indubie ex illo uerbo, Rege oues, habet summus Pontifex curam & regimen, totius uniuersalis ecclesiæ, ita, uel ex eodem (sed ordine suo) uel ex eo, si mauis, quod Apostolus dixit, Quos posuit spiritus sanctus Episcopos, regere ecclesiam Dei; habent Episcopi curam & regimen, sibi crediti peculiaris populi. Quam & sortiuntur, uel cum confirmatio summi Põtificis electis, accedit, uel cum eiusdem authoritate, quemadmodum exigit rectè instituta ecclesiastica Ierarchia, iuxtà Patrum sacrosanctum ritum, inungitur.

Habent inquam regimen, At non quodcunq;, sed Pastorale, ita quidem & greca uox sonat, & ob id, non ad prospiciendum sibi, sed gregi. Siquidem oues, cum sint nõ solùm natura imbelles, sed timidæ, nesciantq; ab hostibus se defendere, quos tamen habent, & multos, callidos, & sanguinem earum ardentes, præ omnibus animalibus, egent cura pastoris. Qua si fuerint destitutæ, non modò errabundę uagantur, per saltus, per uepres, sed facilè præcipitantur ac deglutiuntur, tum à lupis, tum à leonibus, qui nusquam non circumeunt, quærentes ut aliquas deuorent. Habent, inquam, regimen pastorale, Verum non ethnicum, nam & qui apud gentes erant legiptimi Principes, nec regimen uerterant in tyrannidem, sed neruis omnibus, populorum intendebant commodo, & profectui, Pastoris ornabantur cœnomijs, sed Christianum. Et propter hoc, non iuxta instituta ethnicorum pastorum, sud iuxta instituta unici, ac uerissimi Pastoris christi.

Ergò regimen episcopi, Præter id, quod proficisci non debet, ex ambitione gradus, sed ex uocatione Dei, & iuxtà uerbum Apostoli, nemo sumit sibi honorem, sed uocatus à Deo, tanquam Aaron, non ex amore sui, sed ex dilectione christi, iuxta illius uerbum, inculcatum, ut patuit, principi episcoporum Petro (diligis me, diligis me plus his?) non ex cupiditate lucri, ut etiam diximus, sed ex propensione animi, iuxta admonitionem Petri (non turpis lucri gratia, sed ex animo pascentes gregem) non ad dominandum populis, sed ad seruiendum eis, iuxta

uerbum

uerbum apoſtolorum principis (non uelut dominantes in cle-ros) imò & iuxta uerbum chriſti Ieſu (Principes gentium domi nantur eis, uos autem non ſic, ſed qui maior eſt ueſtrum, erit ueſter ſeruus,) Præter hæc, inquam, Non pręſtatur ſolummodò uerbis, non ſolis conſtitutionibus & ſtatutis, ſed, & maximè (ut tactum eſt) integritate morum, & innocentia uitæ. Propter quod & Petrus de epiſcopis dicit, ut ſint ueluti forma grægis, ut ad illos attendentes oues, uiuendi normam excipiant. Et domi-nus, Bonus paſtor ante oues uadit, plane non ſola præcedens au thoritate, ſed (& potiſſimum) perfectione. Vndè & Apoſtolus Thimotheo Epheſiorum epiſcopo. Exemplum eſto fidelibus, in uerbo, in conuerſatione, in fide, in dilectione, in caſtitate.

Non præſtatur, ouibus proſpiciendo, ſolummodò in commu-ni, ſed & proſpiciendo, ſingulis, in particulari. Propter quod, ſat non eſt bono paſtori, ut oues agnoſcat ex facie, iuxta mo. nita Sapientis (Diligenter attende uultum pecoris tui) quod pertinet ad agnitionem externam, & ex ſolo uiſu acceptam, ſed opus eſt, ut illas agnoſcat ex nomine, ut poſſit iuxta chri-ſti uerbum, ſingulas nominatim uocare, Quod pertinet ad agni tionem intimam, & conſuetudine partam. Siquidem aliquem noſſe ex nomine hebræorum tropo, eſt illius notitiam habe-re domeſticam, & familiarem, iuxta illud domini ad Moi-ſen, Noui te ex nomine. Imò eſt noſſe amicè, & attende-re ſpeciali cura (Nouit dominus, qui ſunt eius, non relin-quit dominus, quos cognouit, quorum & nomina ſunt apud eum, in libro uitæ.) Non ſat eſt, ut uocet illas in com-muni, ſed, ut præmiſimus, neceſſe eſt, ut uocet ſingulas no-minatim. Quod haud inſolito tropo, eſt ſingulorum ſoli-citudinem gerere, & cuicunque ſigillatim proſpicere. Eſt pro illorum commodo, nulli non accommodare ſe ſe, ut dice-re poſſit cum Apoſtolo, omnibus omnia factus ſum, ut om-nes facerem ſaluos. Eſt demùm omni cura diſquirere, ut ue-ſtigetur ſiqua errauit, ſanetur ſi qua languit, ligetur ſiqua in-tumuit, cuſtodiatur ſiqua ſit pinguis & fortis, & id genus, ſicut in Ezechiele propheta.

Denique Epiſcopi regimen, eòuſque addictum eſt gregi, quòd ſententia chriſti, pro ouibus animam, hoc eſt, uitam ut ſcriptura loquitur, exponere non recuſat. Quod hũc in modũ intelligo. Conſtat bifariam in ſcripturis uitam acceptam; Aliquã

dò

do pro esse uitali, quod consistit in connexione animæ ad corpus, de qua scriptum est; Quod uita hominis, in sanguine eius est; Aliquando pro operationibus uitę, de qua legitur in euangelio, Diliges Dominum Deum tuum, in omni uita tua. Et hæc quoq; non sunt obscura philosophis, ut cuique uidere licet, secundo libro de anima. Et quamuis bonus pastor, nullam recuset exponere, primam tamen, non exponit, nisi in casu, quando scilicet saluti gregis, aliter non potest consulere, sed secundam, & quouis momento, & omni pro uirili, semper expendit; Quippe qui, ecclesiæ est præpositus, ut non sibimet militet, sed ut illius profectum omnibus neruis procuret.

Nam (præter id, quòd non pręsidet, ut diximus, ad dominandum, sed per charitatem omnibus inseruiendum, & notum est ꝙ seruus totum quod est, illius est, cui ad seruiendum addictus est) constat, quòd & eius regimen, regimen est uiri respectu propriæ coniugis. Quippe qui, sponsus est suæ ecclesiæ, & ob id, haud dubium, quòd non secus illam, non modo tenetur diligere, sed fouere, & custodire, ac proprium corpus, sicut Apostolus admonet. Imò quòd & illi non solum relicto patre, & matre, & multo magis alijs quibusuis commodis, & illecebris, debet continuo adhærere, sed perinde ac proprium eius caput, omnibus actibus eius, non modo superintendere, sed omnem uim, & robur, iugiter applicare. Nam capitis est, corpori & singulis membris, uidere, audire, odorare, gustare, & loqui, et semper assistere, recta ostendere, aduersa declinare, & in omnibus sua pro facultate, defendere, & custodire. Hactenus de regimine. Nunc breuibus, de administratione pabuli.

Et quanquam ex pręmissis, magna ex parte res sit perspicua, non grauabimur tamen, & pauca superinserere, ut saltem pręacceptus ordo seruetur. Primum igitur, nemini, puto, est obscurum, ad episcopum pertinere, egenas oues, etiam temporaliter pascere, iuxta illud tamen quod habet, ut uerbo utar Apostoli, & non iuxta id, quod non habet. Tametsi minime detrectarim, ad charitatis uiscera pertinere, siquando exemplo Pauli, qui ab opulentioribus exigebat gentibus, ut pauperibus subueniret Israelitis, aliquid a ditioribus petat, aut, si malint, ut ipsi sua saltem ex abundantia, aliquid fratribus & suis in Christo commembris, impartiri uelint, paterna admonitione sollicitet.

Pertinet inquam ad episcopum egenis succurrere, & secundũ illud

illud quod habet, non modo pertinet ex charitate, ſed pertinet ex ratione iuſtitiæ. Quippe qui, ex ui ſui muneris pater eſt pauperum, quos oportet, iuxta uerbum Chriſti, ſuis in eccleſijs ſemper habere. Nec patri congruit theſaurizare, niſi pro filijs, ut habeat, quod neceſsitatem tribuat patienti, ſicut Apoſtolus dicit. Vnde & bona eccleſiæ, detractis quæ ad uitã eius pertinent, quãdoquidem nemo militat ſtipendio proprio, & qui altari ſeruit, debet de altari etiam uiuere, imo & quæ pertinent ad decentiã gradus, in qua re tamen grandis eſt ſermo, ſed locum commodiorẽ, requirens, detractis & iuxta ſanctiones antiquas, quæ neceſſaria ſunt pro reparatione eccleſiæ, niſi forte illa non egeat, aut illi, ut non raro accidit, prouentus ſint aliunde aſcripti, uidentur in pauperes exponenda, cũ non aliam ob rationem, illis data ſint, quàm ut habeant, iuxta uerbum chriſti, qui in ea reſident, unde poſsint pauperibus benefacere, quemadmodum & factum eſt, tempore apoſtolorum.

Verum etſi tenentur epiſcopi, temporale pabulum, ut poſſunt egentibus miniſtrare, tenentur quoque & non minus, imo & longe magis, oues Dei uerbo reficere. Propter quod, ut ſupra dicebamus ex Paulo, epiſcopum oportet eſſe doctorem, & frequẽter docere; Et non ſolum in doctrina ſana, ſed & tam ſolida, ut non modo poſsit rationem reddere, omni poſcenti, ut Petrus epiſcopum debitorem facit, ſed & ualide contradictores arguere, ſicut Paulus ad Timotheum docet. Et quoniam docturus eſt omnes, & paruos, & magnos, & agnos, & oues, quoniam pabulum omnibus debet, palam quòd opus eſt, ut ſciat imbecillioribus dare lac potum, & fortioribus admiuiſtrare ſolidum cibum, imo & ſapientiam loqui inter perfectos.

Et quanquam pabulum temporale, epiſcopus miniſtrare poſſit per alium, preſertim ſi eo negotio, retraheretur ab adminiſtratione pabuli ſpiritualis, aut ab aliquo non minori bono. Alias nõ dixiſſent Apoſtoli, Non eſt æquum nos derelinquere uerbũ Dei, & miniſtrare menſis, Nec eccleſia ſtatuiſſet œconomos, aut diaconos huic oneri deputaſſet, nec legeremus leuitam Laurẽtium, theſauros eccleſiæ rite pauperibus diſperſiſſe. Pabulũ tamen ſpirituale, debet miniſtrare per ſeſe. Vnde & Petro non ſemel dictum eſt, paſce, ſed bis; Et epiſcopis per Petrum, Paſcite, quantum in uobis eſt, gregem Chriſti. Nec immerito, quoniam Paſtorum eſt gregem paſcere, ut Dominus per Ezechielem docet, &

oues

oues solum pastoris uocem agnoscunt, quemadmodum, & sequũtur, sicut seruator nos admonet, & iam non semel assumpsimus. Imo, ut ostendimus, longe maiorem uim habent uerba episcopi, quam cuius uolueris mercenarij, cuius scilicet, nõ sunt oues proprie. Quippe quæ ex locupletiori, imo & excellentiori dono procedunt.

Verum & si res ita se habet, accidit tamen, ut nonnunquam excusetur episcopus, si per ministrum inferioris ordinis, id muneris exequatur. Vnde & Aaron iunctus est Moisi, eo quod non erat eloquens, ut eius loco, uerba haberet ad populum: Et beatus Valerius, haud dissimili ratione, suffecerat leuitam Vicentinum, ut sui loco, non solum concionaretur plebi, sed ut & de fide respõderet pro illo, coram iudice. Imo, si non fallor, etiam apl'orum tempore, seruatum esse vr̃; Aliàs non addidisset Apl's, post uerba, (qui bene presunt presbyteri, duplici honorẽtur honore) maxime qui laborant in uerbo, & doctrina; Nec tolerasset illos, etiam euangelizare Christum, qui non fidei zelo, sed quæsita, etiam non iusta, occasione, illum euangelizabant; Imo nec fuissent a Deo inferiores uerbi ministri instituti, & dono prophetiæ, siue interpretationis dignati; Nec in ecclesijs permisisset, alios ab episcopis loqui, quod tamen non solum permittit, sed & ordinem loquẽtium statuit, ut possent singuli suo munere fungi. Crediderim tamen maxime expedire, ut cum episcopus concionatur per alium, semper cõcioni adesset, non tantum propter periculum, nequis per philosophiam, uel inanẽ fallaciam, ouiculas deprædetur, aut per doctrinas erroneas, uel hæreticas, gregem uniuersum inficiat (Siquidem multi ueniunt prophetæ, ut dixit Dominus, in uestimentis ouium, qui intrinsecus sunt lupi rapaces) Sed etiam quia administratio uerbi, maioris efficit authoritatis, & profectus in grege, cum minister tunc quasi os reddatur episcopi, suaq; præsentia testetur eps approbare, quicquid cõcionator producit, quod meo iudicio non solum, non erit mediocris satisfactionis, sed & vberioris frugis, & vtilitatis.

Necesse est Episcopum, in sua Ecclesia residere.

Quibus omnibus plene consideratis, haud difficile est (si non fallor) euincere q̃ debitum sit episcopis in suis residere ecclesijs. Si.n. sunt instituti ad opus, nec quidem imperij, sed ministerij,

obscurum

obſcurum nõ eſt, quòd inſtituiti ſunt ut ipſi ſuo muneri ſeruiãt. Et(præter id, quòd repugnat rationi miniſtri, habere miniſtrũ, quandoquidem Seruatore teſte, miniſtri eſt miniſtrare, & non recumbere, præcintum eſſe ad opus,& non ſubſtituere operariũ & præſertim eo in opere, ad quod eſt ſælectus, imò, & mercede conductus) conſtat epiſcopi miniſterium, tanti fore momẽti, tantam exigere curam, ſolicitudinem, ſuperintendentiam, ut uere putauerim neminem ſuæ ſaluti recte conſulere, niſi in eo omnes uires expenderit. Adde, Quam gratum ſit Chriſto, & quàm debitum illius dilectioni, quàm impium illum non æmulari, qui ſe epiſcopis in exemplum dedit.

Sed, ut paucis rem abſoluam, palam ſiquis Epiſcopi munus excuſſerit, quod onus eſt perſonale,& in multis præſentiam corporalem requirens. Et quidem ſi ſpectetur ea ex parte,qua tenetur oues ſibi creditas paſcere (præter id, quòd paſcere, opus eſt paſtoris, ut Dominus dixit) certum eſt, quòd pabulum uerbi, de quo ſermo, ita habet ab epiſcopo proficiſci, ut parũ ouibus proſit, niſi proficiſcatur ab eo. Quippè quæ ut non ſemel diximus,uocem non audiunt mercennarij, cuius ſcilicet (interpres eſt Chriſtus) oues non ſunt propriæ. Quod ſi quando excuſetur non ſecus ac Moſes, a concione publica, non excuſatur tamen a concione priuata, Non a priuatis conſilijs, admonitionibus, & id genus, exercitijs, reficiendis animis neceſſarijs. Si uero ex ea, qua oues aſtringitur regere, haud dubium, quòd id ſine ſui præſentia præſtari non poteſt. Imò neceſſe eſt, ut ab eo dumtaxat progrediatur, Alias quo pacto ante oues ibit? Quo pacto ſingulas uocitabit? & cuicunque quod opus illi eſt ad ſalutem proſpiciet? Quomodo ſe habebit ad illam ut ſponſus, ſi non dimiſerit patrem, & matrem, & adherebit eccleſiæ ſuæ, ut illius perfruatur amplexibus, & reddat illi proprium debitum? Quomodo ut caput, ſi non præſens ſit corpori, illi uidens, audiens, loquens, & id genus officiorũ exhibens, quæ caput,quouis momento, præſtat reliquo corpori? Quo modo pro ouibus uitam non detrectabit exponere, qui non niſi ſuo commodo, uitã uiuit? quique tàm longe abeſt, ut nec uideat,nec audiat lupos, qui tamen, & paſſim,& ſemper ouibus ſunt infeſti, & earum ſanguinem ardentiſſime ſitiunt? Et licet adſint mercennarij, fugiunt tamen luporum,aſpectum, quia (ut dicit dominus) ad illos non pertinent oues.

Mitto, quæ spectant ad consecrationes ecclesiæ, per sacramēta Ordinis, & Confirmationis, quæ sine dubio, inter præcipua opera sunt episcopi, in quibus, ut patuit, non modo sunt Dei, & Christi ministri, sed & cooperarij, quibus sine controuersia, alij ab episcopis non funguntur, & communi iure, non nisi ab episcopis proprijs, suis in ecclesijs exhibentur, Quandoquidem nulla ecclesia, plures habet episcopos quemadmodum, nec plures patitur sponsos. Quare si quilibet, suæ uacaret ecclesię, ut communis lex habet, nullibi præstarentur nisi ab episcopo proprio. Sed esto fiant a suffraganeis, certum est, quòd non fiunt ut a suis pastoribus, sed sicut a mercennarijs. Quod quanta dignum sit animaduersione, facile constat, cum id aliud non sit quam nolle suo munere fungi, imo, & dedignari Deo, & Christo cooperatorem esse. Sed quid multis? Compertissimū mihi est, suum onus agnoscere, nec quanto in discrimine, quouis momento, salus uersetur animarum, minus animaduertere, qui earum curæ, cui tamen, & addixerunt sese, non studuerint, omni tum uigilantia, tum solicitudine, imò, & assidua superintendentia, quibusuis post habitis, insistere, ac semper attendere.

Episcopus, regulariter residere debet assiduè.

Sed dices. Esto necesse sit episcopo, in sua residere ecclesia: Est ne opus, ut in ea persistat assidue? Respondeo. Regulariter quidem, residentia esse debet assidua, sed in aliquibus casibus admittitur interpolata. Quod hunc in modum intelligo. Primùm assidua residentia, minimas non excludit distantias, aut momentaneas, ut sic dixerim, interpolationes; quandoquidē notum est, & in humanis moralibusque negociis, quòd parum pro nihilo reputatur, & quòd de minimis non curat Prætor. Siquidem residentia reputatur continua, etiam si quando, ad breuissimum tempus, Episcopum contingat abesse, aut loco suæ diocesis, esse adeò proximum, ut non minus gregi ualeat superintendere (nec enim Deus, id ea districtione requirit, ut nunquam liceat, uel subleuandi animi gratia, parumper a laboribus requiescere, nec populo prodest, nimium morosus Princeps) Sed excludit distātias (ut ita dixerim) lōgas, & interpolatio-

nes

nes prolixas: Quod hoc pacto difficile non est cōuincere. Certū quidē est, totū pastoris negociū, salutē esse animarum; Quod quāti sit momenti, nemo est qui ignoret. Quia ergo dum hic agimus, nunquam expositi non sumus periculo, imo & in multis, & magnis, iugiter uersamur periculis, quin & in hoc mari magno, & spacioso, frequētibus agitamur procellis. Et prętter illecebras carnis, & fallacias huius mundi; nunquam non uallamur multitudine hostium, nūquam non petimur eorum machinis; & rarò est, quòd aliquibus non circumueniamur insidijs; Ideo factum est, ut assidua egeamus custodia, imo & uigilantissima cura.

Et licet electi, propter quos, episcopi sunt potissimum instituti, & eam ob rationem, ad pascendum, tum oues, tum agnos (qui in scripturis indubie electos exprimunt) peculiariter deputati, tādem perire non possint, quoniā, ut dominus dixit, nemo eos potest rapere, de manu sui Patris: Licet & pastor Christus, illis semper assistat, & perinde ac murus, & antemurale, ut aliquando promisit, secure defendat, imo & ut pupilla custodiat; Nihilominus sicut statuit in ordine vniuersi, vt creaturæ magis insignes, & in sublimioribus gradu, & loco repositæ, sua pro uirili prospicerēt his, quę natura sunt minus insignes, ad inferiorem gradum, ordinemq; spectantes: Et tamen certum est, quòd diuina uirtus, nullā quantumuis minimam, deserit (aliàs reduceretur in nihilum) Certum quòd ordinem istum non statuit, quia sit uiribus imbecillis, sed quia sic placuit suæ liberalitati; Ita & sua in ecclesia, magna cum ratione, obseruari constituit, & decreuit.

Quam ob rem non obstat diuina protectio, aut tam ualida Christi custodia, quin maxime sit uigilandum episcopis, aut omni pro uirili indefesse superintendendū, sed vrget potius, & stimulos addit, ut considerata incredibili dignatione Dei, qui illos secum, non quidem in regendis rebus inferioribus, aut minus insignibus creaturis, sed in seruando unicè sibi dilecto peculio, animabusq; tanto incompendio comparatis, ad salutem promouēdis, fecit esse consortes. Et licet tam enixè uoluerit esse cōmendatas, & tanta cura ac solicitudine custodiras, quantam exigit ardor, tum suus erga illas, tum noster erga sese (qui plane exigit, tū eximiam diligentiam, tum heroicam solicitudinem) nemini tamen dubium, quòd pastores ex animo, quātum in se fuerit, suam functionem prętantes, deus semper oportuno, & ob id, heroico & eximio, fauore pręueniat, manum apponat, ac successum in

Ponderandum tamen eſt ſano iudicio, quid magis conducat, in eccleſia perſiſtere, an ſperatum prouentum, abſentia procurare, & conſtat quòd conducibilius eligendum eſt. Quod ſi neſciat in partium alteram per ſeipſum inflectere, puto non deerunt, quos conſulat. Vel ſummo paſtori ſignificet, & illius conſilio, ſe committat.

TERTIVS eſt, Perſequutio perſonalis. Nam & ad tempus ex doctrina Pauli, cedendum eſt iræ. Quod tamen intelligo, cum paſtoris diſceſſio, non pręiudicat animarum ſibi creditarum ſaluti, exemplo Athanaſij, & aliorum Patrum. Aliàs ſi oues relinqueret lupis, aut euerſoribus fidei, & chriſtianę pietatis, non licet diſcedere, ſed potius, ut bonus paſtor, debet pro ouibus ſe morti obijcere.

QVARTVS eſt, Adeptio valetudinis. Cum enim paſtor infirmus, quæ ſui ſunt oneris, non facile exequatur, incommodo non erit eccleſię, ſi ad tempus illius pręſentia deſtituitur; vt validior factus, commodius illi miniſtret. Quod & ſine præiudicio intelligit animarum, ſicut & in præcedenti caſu.

QVINTVS eſt, Voluntas ſummi Pontificis. Quod non intelligo de qualibet voluntate, quoniam, non de voluntate tollerante, non de permittente, non de emendicata præcibus uel fauore; Sed intelligo de illius uoluntate ſimpliciter, & abſolutè, qua ſcilicet vult, quia ſic, re uera expedire cognoſcit. Nam cum indubie ad illum potiſsimũ pertinet, cuiuis particulari eccleſiæ, miniſtros præſcribere. Et certum eſt, quòd ſicut illius libertatis extitit, cuicunque dioceſum, certos præfigere terminos, quos tamen poteſt iuſta de ratione, tum retrahere, tum extendere, ita & eius extitit optionis, vt hæc particularis fidelium multitudo, proximè regeretur, ac paſceretur epiſcopo, & illa proxime, & regeret, & paſceretur ordinis inferioris miniſtro. Quod & nihilominus poſſet, & iuſta ratione mutare.

Et quamuis eccleſia, in cathedram epiſcopalem euhecta, eo dignitatis, communi lege, priuanda non ſit, ſicut tamen accidit, ut nonnunquam iuſte priuetur, & non ſolum ad tempus (ut cum ob demerita, fuerit ſuſpendẽdus epiſcopus) ſed & abſolutè (ut cum obſcelus populi, priuanda eſt cathedra epiſcopali) quibus caſibus, animarum cura, ſine controuerſia, relinquitur inferiori miniſtro; ita & accidere poteſt, ut non in alterius eorum pœnam, ſed ob piam cauſam, uel iuſtam rationem, uelit ſummus Pontifex,

ad tempus episcoporum aliquem, certo negotio deseruire, & per hoc ad tempus suam ecclesiam, corporaliter destituere, & sic eo pro tempore, ab inferiori ministro, proximè regi, ac proximè pasci. Quo quidem casu, meo iudicio, non solum episcopus à residentia excusatur, sed si negotium illud ecclesiæ uniuersali conducit, à propria functione, penitus non dimouetur, quandoquidem & eo pacto, procuranda est salus particularis membri, ut cum opus fuerit, etiam pro salute totius corporis, possit exponi. Vndè & Apostolus, Titum quem in episcopum præfecerat Cretæ, non solùm aliquando accersiuit ad se, sed & misit ad Dalmatas, Et Thimotheum, qui Episcopus erat Ephesi, non rarò secum detinuit, & ad Philippenses mittere destinauit, ut & certò sciret, quo pacto res agerentur cum eis.

Et licet forsan non deessent, qui eo in negocio, summe possent inseruire pontifici, dubium tamen non est, quantum conferat, non modò rei dignitati, sed & promotioni, cum agitur per uirum non solum prudentem, fidelem, & probum, sed gradu & honore insignem. Et præsertim cum res, non tantum est grauis & pia, sed non mediocris momenti, sed ecclesiȩ conducens uniuersali, & non rarò cum magnis tractanda Principibus, sicut contingit legatis, nũcijs, & oratoribus. Nec puto defuissent Apostolo, quos mitteret in Dalmatiam, aut ad uisendum qui crediderunt Philippis, sed, sicut Thimotheum elegit, quia non habebat magis unanimen, ita elegit & Titum, quia fortè non habuit magis fidelem. Quod dico de legatis & nuncijs, non ea de ratione commemoro, ꝙ in his tantum consistam, quandoquidem meum non est leges præscribere Pontificis uoluntati, sed quia hȩc ab omnibus (si nõ fallor) debent esse comperta. Siquidem negocij genus & qualitas, Pontificis sunt relinquenda prudentiæ, in quo & eximia, & heroica necessaria est. Imò cum regimen summi Pontificis, longè sit præclarius, longeq; excellentius quouis humano regimine, illi satis non est, quæuis prudentia hominis, etiam si heroica sit, sed illi opus est prudentia spiritus, (quȩ & uiro, si Salomoni creditur, sapientia est) & ea quidem, non mediocris, sed summa.

Si enim, ut nemini dubitare fas est, penes illum semper est assistentia spiritus sancti, & cum suo munere fungitur, non modo in ea re, illum nõ deserit, sed & locupletissimè dirigit haud dubium, quòd aderit, & prudentia & sapientia spiritus, quæ & charismata eius sunt. Et si de ratione prudentiæ est, consiliari, decernere, prouidere,

uidere, palàm quòd de ratione prudentię spiritus est, ea facere consilio, iudicio & prouidentia spiritus. Ergò nulli dubium, quòd cum consulit Deum, cum iudicat posthabitis priuatis affectibus, & prouidet saluti totius ecclesię, quòd omnia prudentissimè ac sapientissimè facit. Et quoniam si nefas est, de proximo malè sentire, & deterius est non rectè de superiori cogitare, plusquam nefarium erit, quod summo uidetur pastori, non boni consulere, imò non summa cum ueneratione suscipere. Quare meo iudicio, tutissimè nos illius uoluntati committimus, imò & committi debemus, illi semper obedire, & omnia quæ iusserit, inquantùm possumus, quam rectissimè interpretari.

At si uoluntas eius sit, ut non modò Episcopus, à sua absit ecclesia, tempore pertractandi negocij, sed & usquequò Pontifex egerit in humanis, quippè qui illum uult sibi frequenter assistere, non raro consulere, & à secretis habere, quid ritè Episcopus faciet? Rursum. Si illum euheat in Cardinalem, & propterea non solum quòad Papa uixerit, sed & quòad superstes ipse fuerit, nequit in ecclesia residere, quid facere habet?

In priori casu, Rectè quidem faceret, siquando exoraret, ut posset ad sponsam redire. Quod si prece non obtinet, suggerat & suadeat, ut sui loco præficiatur alius, qui ut sponsus illi ecclesiæ ualeat adhęrere. Quod si assequi nequit, securus obtemperare potest, imò & (mea sentētia) obtemperare debet. Nam (præter id, quod onus, eo casu, in summum reijceretur Pontificem) ex præmissis sufficienter habetur, quòd summi Pastoris uoluntate, potest particularis ecclesia, pastori ordinis inferioris committi, & præsertim ad tempus, & iusta de ratione. Et si iusta fuit ratio (sicut indubiè iusta fuit) ut Romam Paulus Thimotheum accerseret, & in sui obsequium (ut qui illi non secus ac filius patri semper obsequutus fuerat) uel consortium, nam missis, in Dalmatiam Tito, & in Galatiam Crescentio, solus cū Luca degebat, & usq; ad obitum, qui tamen proximè instabat, pariter retineret, Cur & ratio nō poterit esse iusta, siquando summo uideretur Pontifici; quempiam apud se episcoporum habere, ac illo etiam usque ad diem ultimum, qui Pontificibus, non longe, communi cursu, protenditur, in profectum totius ecclesiæ, sibi iugiter deseruire?

Verùm ut res sit magis dilucida, attendendum est quòd cum summo Pontifici, non modò commissi sint agni, sed oues, & ob id non solum minores, ut dictum est, sed & maiores, & per hoc Præsules,

ſules,qui minores non ſecus ac oues agnos,christo pariunt,lacte paſcunt,& ad pietatem instituunt,commiſſi ſunt,(imò & hi in ſigniter commiſſi ſunt, quippe qui non ſolum commiſſi ſunt,ut paſcantur,ſed ut & regantur ab eo,ut perſpicue Dominus dixit)plane quòd non erit obſcurũ(uel ex hac inſigni commiſſione)quod rem attinet,facile animaduertere. Siquidem cum ſummo Pontifici dictum eſt,Rege oues,indubie peculiaris illi Epiſcoporum demandata eſt cura,nec quidem tantum , ut eorum proſpiciatur perſonis(quoniam id ſatis factum eſt,cum dictum eſt , Paſce , & notum eſt,quòd (præter id quòd oues egent ſolido cibo) non modò accuratius, ſed & uberius , illis prouidendum eſt , unde & qui bene præſunt,duplici dignantur honore , uti Apoſtolus ſcribit) Sed maxime,ut eorum proſpiciatur officio,& ob id, ut illius peculari moderatione , grex illis creditus dirigatur ab eis. Propter quod, & ſummi Pontificis ſanctiones aſtringunt epiſcopos ut iuxtà illas,ſuo inſeruiant muneri , Et certum eſt , in Ierarchia, eccleſiæ,non modo inferiores gradus à ſuperioribus decorari, ſed dirigi,& præcellentiores à ſupræmo inſigniter regi,ac perfici. Vnde & prouide factum eſt,ut certo tempore,eorum quilibet limina apoſtolorum adeat,ac ſummo ſe Pontifici repręſentet. Nec quidem tantum(meo iudicio)ut illum, ſicut & par eſt, ſuperiorem agnoſcat,ſed ut & (exemplo Pauli qui Ieroſolimam profectus eſt uidere Petrum)cum illo,ſua de eccleſia conferat,illius uoluntatem requirat & iuxta eius pręſcriptum exequutioni tradat.

Ergò indubie cura præſulis particularis, Dei ordinatione, à cura dependet ſupremi pontificis, & ob id & quæ illius alligata ſunt oneri non ſolum tutè,ſed & legiptimè,illius habent diſpenſationi ſubijci, & pro illius iudicio , ac moderatione exequutioni mandari, Ergò & iuxtà ſummi Pontificis uoluntatem,dubitãdum non eſt,multis in caſibus,poſſe contingere, ut epiſcopus ſine ſui muneris præiudicio præſtet,quod ſuæ tenetur eccleſiæ,per uicarium,uel miniſtrum , ut ſæpe diximus ordine inferiorem , & per hoc, ut abſq; diuini præcepti uiolatione (ut quod non quouis caſu epiſcopum ligat) nonnunquam & ad tempus,à corporali reſidentia ualeat ſuperſedere. Nec propterea , epiſcopum penes ſe retinente Pontifice,iniuria pati,illius uideretur eccleſia,quandoquidem (præter id quòd ſponſo non deſtitueretur abſolutè , ſed ſolum deſtitueretur ad tempus) conſtat quòd epiſcopus apud Pontificem degens, illiq; in re non leuis momenti, & in commodum

dum

dum totius ecclesiæ seruiens, non modo ei sit membrum proximũ, sed cõiunctũ, & ob id, ad personã eius peculiariter pertinẽs; Quod tantum abest, ut iniuriã illius facere possit eccl'iç, ꝙ facit non contẽnendum fauorem. Nã hunc in modũ deuinctus pontifici, nequit illius splendore, insigniter non perfundi; & per hoc nõ nihil ulterioris lucis propriæ eccl'iæ non afferre, Præter id, ꝙ si uelit, poterit ualidius supintendere, & q̃ illi expedire possunt efficacius procurare. Quare, nec suis prouentibus, ẽt si de mensa pontificis uiueret, foret quouis iure priuãdus, Sed detractis, quæ suis, illa in eccl'ia essent suppeditanda ministris, & quæ cõtingeret deputari reparationi materialis tẽpli, & demũ, quæ exponenda forent in eleemosinas pauperũ, quæ fortè non sunt minima pars p̃sertim si redditus sint ex Decimis (ut quæ in noua lege non sunt ꝑceptæ solũ ut substẽtent̃ ministri, queadmodum in lege Moisi sed ut & reficiant̃ pauperes, sicut & Doctores aĩaduertunt) non dubito qđ reliquũ fuerit, Epm posse, ꝑcipere, & in licitos usus exponere, & p̃sertim cum sua culpa non absit, & non leuiter ut dictũ ẽ, sicut & pt suæ eccl'iæ, de opportunis, nõ obmiserit ꝓuider̃.

In Posteriori casu, accuratius obseruandum ꝙ cum eps̃ efficitur Cardinalis, communi lege, non remanet ecclesiæ illius episcopus, sed commendatarius, propter quod, nec amplius alligatur illi uinculo episcopali, aut spiritualis matrimonij, sed administratoris. Quare non ex inductis superius fundamentis, sed ex natura & ui, istius alterius uinculi, si non fallor, resoluenda qõ est. Nec de administratoribus in præsenti loquemur, qui sunt uelut depositarij, quemadmodum temporibus factum est retroactis, quando ecclesiæ commendabantur ad tempus, nec de fructibus beneficij commendati licitum erat, cui commendabantur disponere, Sed de administratoribus loquemur, ut dicunt beneficiatis, sicut accidit temporibus nostris. quibus, & commendantur perpetuò, & commendatario licitum est fructus percipere & in usus ꝓprios distribuere. Siquidem in illis difficile non est agnoscere, ꝙ astricti non erant assidue residere, & forte satis erat superintendere, & per sapientem œconomum commendatæ ecclesiæ proximè deseruire, Quandoquidem ecclesia tũc temporis commendata, non erat eccl'iæ, ut uocant, titulari repugnãs, & ambas, & forsitã plures, absq; alia dispensatiõe, retinere aliqs poterat, Ergo cum nõ posset simul pluribus in locis cõsistere, haud dubium, ꝙ residendum fuerat in Titulari, & sat erat, per proui-

dum ministrum,quæ commendata fuerat prouidere, At in istis arduum fortasse uidetur,rem absoluere,uel ad conscientiæ usq; satisfactionem definire. Dicā ergo,quod mea pro tenuitate succurrit, non solū sine pręiudicio ueritatis,sed & sub censura, cuiusuis melioris iudicij.

Considerandum est itaq; ꝗ cum Commendæ, dē quibus est sermo, institutæ non sint iure diuino,sed ex plenitudine eccl'iasticæ potestatis indubium esse debet,earū uinculum nō aliunde, ꝗ ex eodem fonte,potissimū uim, & robur accipe,& per hoc,maxima ex parte Pontificis libertati subesse. Siquidem,cū ipsius autoritate factū sit,ut non solū ecclesiæ commēdent, sed & cōmendari legitime possint,Liquet ꝗ non modo ipsa commēdatio,sed & ipsius commendationis uis,in non paucis,ex illius uolūtate depēdent,in quibus,& eatenus stringit,quatenus Pontifex iudicauerit. Et licet hactenus iudicatū sit, commendas perpetuas, habendas loco beneficij titularis,& per hoc,& commendatarū ad oīa perinde ac beneficiatus,teneri,nō tamē iudicatū est, ꝗ teneaт vno,& modo cū eo,cum ille in multis astrictus sit, iure diuino, in quibus,hic iure astrictus est solius ecc'ię. Et ut de residentia loquar,Plane quidem,non dubito reijciendā esse, in Pontificis uoluntatem,de qua pro arbitrio, pōt(mea opinione)disponere,& Cōmendatarius,iuxta id, quod disposuerit, tuta pōt conscientia obedire. Quare,sicui diceret ut sex mēsibus,exēpli gr̄a,resideret non ultra sex mēses(ex ui cōmendationis) ille residere tenetur, Sicui diceret ut resideret duobus,& illis eadem rōne,residere suf ficeret, Ergo & sicui diceret,satisfore,si per Vicariū probū, uel fidelem,& prudentem ministrum,eo loci persisteret,ac proximè superintenderet,dubium non esset(si non fallor) ꝗ satisfaceret.

Horum aūt fundamentū est,quia licet Cōmendatarius,eccl'ię cōmendatæ teneaт prospicere,maximè, cū curā exigit aīarū, & potissimum si in dignitatem sit epalem assumpta (aliās eccl'ia nō foret cōmēdata, sed potius expilationi,aut dilapidationi exposita)nec mō teneaт prospicere,sed nō secus ac proprius illius minister, non segniter superintendere (Siquidem exigit ius naturæ, cum sit de rōne iustitiæ,ut qui bonis potitur ecclesiæ, & p̄sertim q̄ sunt assignata ministris,seruire teneatur eccl'iæ, Nec mō exigit ius naturæ,sed & ius(si non fallor)ordinati onis Dei. Cū.n.sit cōstitutū ab eo,ut qui seruit altari,uiuat ex altari,hoc est (ut Ap'ls interpretari uidetur) ut certum illi debeat stipendium, nō secus

ac illi, qui seruit militiæ,quo plane,ut ministrũ decet, uiuere possit, palàm quòd qui illi non seruit,seruitutis stipendium, non legiptimè sumit,& ob id, haud dubium, quòd contrà Dei ordinationem facit) Licet, inquam, Commendatarius commendatæ ecclesiæ teneatur prospicere,nòn tamen in illa, tenetur simpliciter residere,tametsi teneri potest in peculiari casu, in quo & fortè teneretur ad tempus, ut si aliàs funditus euerteretur fides,uel indubiè præcipitarentur animæ,Sed in casu modo nõ loquimur, absolutè,& ut dicunt,communi lege.

Non tenetur inquam residere simpliciter, quippè quod nec exigit ius naturæ,nec(si non fallor)ordinatio Dei. Non quidem ius naturæ,quoniam illi sat est si eòusque creditæ prouideatur ecclesiæ ut ritè quidem,tum seruari,tum promoueri possit. Et si ad episcopum Cardinalem factum sermonem restringimus, fortè quòd non minus legi sat fieret naturali, si in profectum ecclesiæ uniuersalis,resideret Romę, cum suggerat non modo parti pręferendum totum,sed & cum opus est, partem exponendam pro eo. Verum quia non semper fit,ut Cardinalis adeò oportunus sit saluti totius ecclesiæ,ut eam ob rationem,possit sibi peculiariter creditæ,penitus obliuisci,ideò opus modò non est illò confungere,sed sufficit Cardinalem per superintẽdentiam ac sollicitam prouisionem,naturæ legibus satisfacere,cum nec aliud communi cursu,ut iam dictum est, uideantur requirere. Non exigit ius diuinum,præsertim à quouis ministro, tametsi exigat à Pastore, ac sponso,sicut ex præcedentibus manifestum est. Ergò cum episcopus Cardinalis factus,suæ ecclesiæ,amplius non sit pastor, uel sponsus,sed administrator tantum & Commendatarius, de quo & diuinum ius,nihil in particulari constituit,sed solum in iure ministris commune compręhendit,haud dubium quòd diuina lege, ad residendum simpliciter,non obligatur. Quarè cum neutro ex iure,ad residendum simpliciter,Commendatarius sit astrictus palam quòd tutè in summi Pontificis uoluntatem reijcitur,quomodo residere debeat. Vndè & (meo iudicio) non aliam ob rationem factum est,ut episcopales ecclesiæ,in titulum non retineantur à Cardinalibus,sed in commendatiõe depositę sint apud eos, ut non perseuerantes pastores,uel sponsi, non subsint oneri residentię,sed dispositioni potestatis Papæ, & sic officio cardinalatus,liberè fungi,quod est,summo Pastori frequenter assistere, & in grauioribus ecclesiæ uniuersalis negocijs, perindè ac Consi-

liarij, imò & præcipua eius membra semper adesse, possint.

An autem hoc pacto, ecclesias, & maximè si curatę sint, tradi commendę, illasq; ob id pastoribus, proprijsq; sponsis destitui, conducat ecclesiæ Dei, præsentis nō est instituti, sed ad opus pertinet reformationis, Quemadmodū nec oneris est istius tractatus, qua ratione, eodem prorsus stipendio potiri ualeat Commendatarius, quo ritè potitur sponsus & pastor, qui suę adhærescit ecclesiæ. Cuperem tamen, sicut & cupiunt multi, ut aliter prouideretur Cardinalibus, quod & forsan non esset difficile. Sed hęc Prouidentiæ & Pietati relinquenda sunt summi Pontificis, cui peculiariter oues christi sunt creditæ, & summa cum plenitudine, claues cælestis regni commissæ.

Verum illud præterire non debeo. Quid nam de Cardinalibus sentiendum sit qui suarum sunt ecclesiarum episcopi, pastores & sponsi, ut Ostiensis, Portuensis & similes qui ecclesias habent in titulum, ac illis prędident, ut ordinarij. Vt ergò & hoc breuibus explicetur, maximè ponderanda sunt duo. Alterum est, ꝙ illorum ecclesiæ non longè absunt à Roma, imò & censentur suburbia, & ueluti eius uici, Propter quod, (si quæ parùm distant, ut dicunt, non censentur distare) palam quòd si Romæ resederint, in suis censentur residere ecclesijs, Et præsertim, si quæ illis accidunt soliciti sint agnoscere, ac oportunè prospicere, imò & illas aliquando uisitare, & cum grauioribus non urgentur negocijs, uel ad breue tempus consistere. Reliquum est, quod cum ædem ecclesię non sint tantæ pręstantiæ, imò nec tantæ frequentiæ, & hac potissimum tempestate, in qua sunt ex magna parte destructæ, ut suis meritis, nactæ sint cathedram episcopalem, sed satis superq; illis prospectum esse uideretur, si inferioribus forent alligatæ pastoribus, haud dubium, quòd istud dignitatis, non aliundè sunt assequutę, quam in gratiam Vrbis, & commodum Romani pontificis, ut eo pacto & illi non desint proximi suffraganei, quando nec desunt longè inferioribus patriarchis, imò nec quibus uolueris archiepiscopis. Qua de re & factum est, ut & fulgeant splendore Cardinalatus, sicut & præstantiam decet Romanę ecclesiæ.

Ergo si licet multis ex episcopis qui longè absunt ab Vrbe, qui & suis ecclesijs in illarum frugem & gratiam potissimum assignati sunt, cum commodo esse possunt ecclesiæ uniuersali, sine iniuria, non modò diuinæ legis, sed ecclesiarum suarum, ab illis abesse & iuxtà Pontificis summi præscriptum, etiam ad tempus

non

non modicum toti ecclesię superintendere, cur non licebit Episcopis, qui sunt Romæ tam proximi, quiq; illis ecclesijs sunt deputati non tantum pro illarum fruge, sed & maxime pro comodo summi Pontificis & utilitate uniuersalis ecclesię, sine præiudicio sui muneris, apud Pontificem maximum commorari & unà cum illo ecclesiæ totius mundi prospicere? Et licet quos diuina lex indubitanter astringit, non nisi certis eximantur casibus, licet & fas, omnibus nō sit, legem exponere, aut pro arbitrio diuinam uoluntatem excutere; Si tamen sacerdotis est legem custodire, si scientia prędítus esse debet, ut illam ualeat interpretari, sicut Dominus docet, Quanto magis hęc summo congruunt Sacerdoti, summoq; ecclesiæ uniuersalis Antistiti?


Ergò si penes ethnicum Principem, potestas est munere (ut uocant) Epichiæ, moderari ethnicam legem, illamq; certis in casibus aliquem non alligare, ipso iure decernere, Cur pènes summum non solum sacerdotem, sed & maximum christianorū Principem, munere maximi pontificatus, supræmeq; potestatis sibi cōcessæ à Deo, in quo & plusquam heroica residet Epichia, facultas non est Dei legem interpretari, ac quibusdam in casibus, liget uel non liget, iure optimo definire? Quare, his omnibus ponderatis, forte dubium non est, quid & hoc postremo casu dicendum sit, facilè animaduertere. Hactenus de residentia præsulum, & per hoc (suo ordine) & Pastorū omnium inferiorum. Ad Dei gloriam, & episcopi animarum nostrarum Christi Iesu. Amen.

FINIS.

DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS THEOLOGI, ORD. PRAED.

CAESAREAE MAIESTATIS A SACRIS CONFESSIONIBVS SALMANTINI PROFESSORIS.

DE RESIDENTIA QVAESTIONES, EX DECIMO LIBRO de Iustitia,& Iure extractæ.



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum institutio episcopalis dignitatis sit de iure diuino.



QVAERITVR, vtrum episcopi sint iure diuino instituti? Apparet enim aliter res habere. Primum, quia præter Apostolos neminem legitur Christus instituisse episcopum; sed Apostoli ipsi sua autoritate illos instituebant, vt patet de Timotheo & Tito, quos Paulus constituit, ergo pariter episcopi non debent censeri iure diuino creati, sed a Papa iure positiuo, penes quem diximus summam iurisdictionem ecclesiæ esse. Secundo id confirmatur facto ipso Christi, Petrum sibi substituentis. Ipsi enim singulariter iussit dicens, Pasce oues meas. Ac si dixisset: Tibi summam rei huius concredo, tu ipse pro tuo arbitratu de illa dispone, ergo episcoporum institutio non

Christi,

Christi,sed Petri est,eiusq; successoris. Vnde vox illa ipsius in prima eius cano.cap.5.Pascite,qui in vobis est,gregem,non diuina, sed humana, nempe Petri præceptio apparet. In contrarium est illud Pauli Actuum vigesimo; Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiã Dei,quam acquisiuit sanguine suo.

CONSTITVTVM quidem supra reliquimus, dignitatem episcopalem ab Apostolorum seculo a sacerdotio propria dignitate & muneribus fuisse secretam. Desideratur autem quàm maxime ad rei præsentis elucidationem, nosse quo fuerit iure instituta. Nam cum papæ sit episcopos eligere, vř eius institutio. Id quod ad persuadẽdam ipsorum residentiam tanti refert scire, vt inde sint præcipua argumenta petenda. Et qui cauillari eludereque rationes pertendunt,quibus saluberrimum illud ac diuinum residentiæ ius fulcitur, non alio se protegunt æneo clypeo, quàm quòd aiunt non a Deo immediatè,sed a pontifice episcopos fieri. Sic enim quidam coarmauit sese in defensionem, vt ipse arbitratus est,episcoporum,videlicet vt eos à iure diuino residendi liberaret, vt paulò inferius, fusius luculentiusq; patebit. Quemadmodum enim inquit episcopus iure diuino residere teneatur, cum nullus a Deo immediatè fiat episcopus,sed a Põtifice? Ipsius enim est diuidere diœceses & particularia ouilia,& imponere curam.Multaq; alia id genus subdit, quæ illic amplius differemus.

Hic ergo more nostro duę sunt conclusiones asserendæ, & irrorandæ, vtpote quæ basis futuræ sunt ac fundamentum illius disputationis. Duobus enim modis comminisci quis potest episcopatus particulares,nempe summo inferiores,non esse de iure diuino. Vno, quòd dignitas ipsa non fuerit a Deo ipso instituta, veluti sunt sacramenta,sed a papa,vt est quadragesimalis abstinẽtia,particulariumq; obseruatio festorum, & annualis confessio. Altero vero,quòd eorum electio,quæ per pontificem fit, non sit diuina,hoc est de iure diuino,quorum vtrũq; est aperte falsum.

Sit ergo prior conclusio: Episcopalis ordo, hoc est gradus,& dignitas,institutio prorsus diuina est,quam Christus ore suo proprio fecit; hæc iam satis in superioribus est demõstrata. Christus enim ipse Apostolos elegit, cui muneri annexa est episcopalis dignitas,puta,Christianum gregem pascendi. Illam autem dignitatem, præter spiritum propheticum quo illos imbuit, non in tempus instituit, sed vt perpetuo in Ecclesia perduraret, ergo episcopalis

palis dignitas,& gradus qualis nunc in ecclesia perseuerat, ipsissima est Christi institutio. Posterior quidem præmissa nemini in dubium venire potest; quandoquidem Christus ecclesiam fundauit perpetuo duraturam, perpetuoq; pastu gubernationisq; adminiculo indigentem,cui adeo in singulis prouincijs fides morúq́ue norma perpetuo esset elucidanda. Non ergo in tempus, sed in perpetuum hanc instituit dignitatem. Huc secundo accedit testimonium Paulinum ad Ephesios 4. Et ipse dedit quosdam Apostolos,quosdam autem Prophetas,alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij,in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei,& agnitionis filij Dei. Pastorum autem nomine episcopi potissimum,vt dictum est, censentur,ergo illi necessarij sunt in ædificationem corporis Christi, atque adeo a Christo instituti sunt,vt quantum Ecclesia, tantum essent duraturi. Tertio. Sacerdotium Euangelicum præstantius est Mosaico, plusq; adeo necessarium, illud autem in pontificem, & sacerdotes diuisum pro toto legis tempore diuinitus institutum est, ergo & nostrum sacerdotium, in quo episcopi sacerdotibus pręferuntur, a Christo est vsque ad finem mundi institutum.

Id quod Paulus ad Hebræos contestatur,dicens:Translato sacerdotio,necesse est vt & legis translatio fiat. Nisi quòd cum sub illa lege vnus dũtaxat populus vnaq; tantum synagoga degeret, uno pręcisè opus erat pontifice, ecclesiæ uero Euangelicæ in totum orbem late patenti quàm plurimis.

Id etiam quarto ratione patet;Christus fuit solus ecclesię fundator. Vbi enim ait Paulus,fundamentum neminem posse aliud ponere quàm quod positum est,quod est Christus Iesus, non solum personam designat,verum & eius leges,& politiam. Vnde ad Petrum ipse ait: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ad fundationem autem ecclesię non solum necesse erat fidẽ sperandarum rerum, quo ceu in scopum tendendum nobis erat, docere,& leges illuc ducentes condere, verum, & magistratus instituere, qui ecclesiam secundum easdem leges gubernarent. Qui quidem non alij sunt quàm episcopi, qui secundum uerbum Augustin. pro patribus Apostolis nati sunt nobis filij;ergo episcopalis functio institutio Christi est, aliàs non satis firmiter fundasset ecclesiam. Quinto;Sacramẽta & quæ illis necessaria sunt, Christus ipse per se instituit, ac perinde sacramentorum ministros,

quare

quare ipse sacerdotes ordinauit. Episcopi autem soli proprio nomine habent quædam sacramenta administrare, ne mpe ordines, & confirmationem. Haud ergo dubium est ullũ, quin Christus, non solum Papatum, verum, & dignitatem episcopalem, quæ latissimè ad omnes Antistites patet, instituit. Sextò: Dignitas episcopalis, ut in præcedentibus mõstratum reliquimus, eiusdem generis est in omnibus episcopis, nã sola iurisdictionis latitudine inter se distant, ergo quatenus Papæ, & reliquis episcopis cõis est, eodem autore Christo instituta est. Septimò: Episcopalis dignitas inter charismata numeratur, quibus Christus sponsam suam ecclesiam dotauit. De quibus nimirũ ait Paulus primæ ad Corinthios xij. Diuisiones gratiarum sunt, idẽ aũt spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem aũt Dominus, & diuisiones operum sunt, idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ergo episcopalis dignitas donũ Dei est per ipsum ecclesiæ donatum, secundum uerbum Pauli j. ad Timot. iiij. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est per prophetiã, cũ impositione manuum presbyterij. Postremò deniq; id confirmatur: Cùm Papa episcopum eligit, aut confirmat, non magis instituit episcopalem dignitatem, quàm instituitur Papalis, dum ipse eligitur, sed sola persona ad eãdem dignitatem applicatur.

Accedit tum demum, & Pius Papa, qui canon. oues. vj. q. j. contestatur hanc ueritatem, dicens, quòd episcopos Deus sibi oculos elegit. Est ergo certo certius, & sic de his, quæ sunt fidei loq; liceret, luce euidentius, Christum instituisse dignitatem epalem, quæ modò in ecclesia uiget. Ecquis. n. credat tam insignem magistratum in arbitrio Papæ posuisse, ut ipse illum crearet? Et ita omnes Theologi tenent in iiij. dist. xxiiij. omnesq; iuris canonici interprætes, qu idipsum confessissimum habent. Qua vtiq; ratione, Paulus non hominis ministros, sed Dei prorsus Apostolos ac perinde eius successores epos, ac demũ sacerdotes existimandos docet. Sic. n. inquit, nos existimet hõ, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Cùm Papa ẽpos creat, aut epi sacerdotes ordinant, nil aliud faciunt, q̃ ceu Christi ministri, Dei mysteria dispensare. Hanc ergo conclusionem tam multis duximus asserendã, non ꝙ ullus de illa dubitare credendus sit, sed ut per illam falsitas apertius innotescat assertionis illorum, quos .s. citauimus, in quibus est Catharinus. qui aiunt epales functiones eorumq; obligationes ad residẽdum ob id esse de iure duntaxat

MMM . ponti-

pontificio, quod Papa est, qui illos eligit applicatq; ad suas singulorum ecclesias. Cuius contraria impræsentiarũ asseritur talis conclusio, Eporum electio, atq; adeò obligatio ad sua exercenda munera, est de iure diuino. At uerò sunt qui hanc concl'onem, quãuis ueram, non satis ex suis principijs deducunt, quorum est Torrensis ille, alioqui non pœnitendus autor, quem.s.lib.viij. citauimus qui qdem plus inferunt, q̃ ueritas permittat. Existimãt, inquam ob id eiusmodi eporum electiones esse de iure diuino, quod fiunt à Papa, quatenus est Ecclesiæ minister. Quæ profectò causa ad colligendum non satis firma, neq; exemplũ quod subdũt talem habet in vniuersum efficacia. Aiũt.n. quod sicut baptizatio, quia fit a ministro Dei eius ipsius nomine, ẽ de iure diuino, sic electio episcopi, quam facit Papa. Sed possent qui contrarium defendunt, hoc pacto rationem hanc debilitare, Christus Papæ, & Concilio non modo administrationem cõmisit eorum, quæ ipse instituerat, uerum, & facultatem reddit nouas cõdendi leges & ritus. Quare obseruatio quadragesimæ festorumq; multorum mere sunt positiui iuris, nempe pontificij. Et idem merito censeri solet de consecrationibus Ecclesiarum, altarisq; ornamentorum. Quocirca nulla est collectio hæc, si in uniuersum fiat, Põtifex quasi Dei minister hoc aut illud facit, ergo est de iure diuino, nisi antecedenti adhibeas illa facere tanquam institutionẽ ipsius Dei, uel quã Ap'lis ipse explicuit, ut ecclesiæ uerbotenus traderent. Quocirca ceu fundamentum huius posterioris cõclusionis priorẽ anteiecimus. Est aũt prius nostra nobis explicãda conclusio, Eporum.n.electiones esse de iure diuino, bifariam intelligi'. Vno mõ in genere, quòd singulis ecclesis secundum ecclesiasticam diuisionem sui applicen' epi. Alio modo, quòd hic Petrus, aut Paulus huic aut illi. Et quidem in hoc secundo sensu notum est, hanc huius personæ electionem non esse de iure diuino eo pacto, quo electio Matthiæ, ac subinde Pauli, sicuti aliorũ Ap'lorum fuit à Deo facta, sed ex humano eligentiũ iudicio, aut Papę. In priori ergo sensu intelligenda est conclusionis ueritas, quæ quidẽ facilè ex præcedẽti sic colligi', Deus Dei minister id quod ipse instituit ipsius iussu dispẽsãt, actio est de iure diuino cẽsenda, cũ aũt Papa epm confirmat, & consecrat, alicuiq; attribuit eccl'iæ, id exequi' quod Christus in genere instituit, quodq; ei facere iussit, ergo id iuris diuini censendum est. Posterior quidem p̃missa supiori concl'one satis est demõstrata. Prior uero sacrorũ admi-

administratione perſpicua fit. Baptizatio nanq;, & ſacramentalis abſolutio & ſimilia, licet per miniſtros eccleſiæ immediate (ut iſti loquũtur) fiat, nihilominus ob id iuris diuini ſunt, quòd Chriſtus illa inſtituit, eiusq; nomine fieri ſic ac diſpenſari iuſsit. Et hoc eſt, quod Paulus in priori ad Corinthios epiſtola admonitũ eſſe curauit, ubi illa ſugillat diuerſa ſymbola; Ego quidẽ ſum Pauli, ego autem Apollo, &c. Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? & infrà cap. 3. Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri eius cui credidiſtis; & vnicuique ſicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit. Deus ergo per miniſtros ſacramentorum gratiam diſpenſat. Et pariter omnino de epiſcoporũ electionibus cenſendum eſt; pariq; modo nos docuit Paulus loqui. Sic enim locis ſupra citatis ait: Chriſtus poſuit quoſdam Apoſtolos, alios uero paſtores, & doctores &c. Et alibi; Attendite uniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus. Et cum Exodi vigeſimooctauo, Deus Moyſi iuſſerit, dicens: Applica ad te Aarõ & filios eius, ut ſacerdotio fungantur mihi; nunquid propterea, quòd per miniſtrum Dei illa facta fuerit applicatio, continuò fit conſequens non fuiſſe diuinam? Nónne & de epiſcopis qui a pontifice ſummo creantur, aſſertio vera eſt, quòd ſint ſerui, quos Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam? Vide conſecratoris verba. Ait enim inter alias benedictiones ad Deum loquens; Sit fidelis ſeruus & prudens, non quem ego aut papa, ſed quem conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, vt det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum. Hæc eſt enim epiſcopalis functio, perfectionem tum docere, tum etiam perſuadere. Seductorium ergo argumentum eſt; Electiones Epiſcoporum diſtributionesq; eccleſiarum per pontificem fiunt, ergo id non eſt de iure diuino. Enimuero cum Chriſtus permanſurus nobiſcum non eſſet in æternum, ut nos exteriori functione, vt dum inter mortales agebat, gubernaret, ſed Spiritus ſanctus quem nobis in hoc miſit, vt intima mentis tantum motione eccleſiæ aſsideret, fieri nequiunt aliud, quàm ut quæ Chriſtus inſtituerat, miniſtris committeret, qui externo foro & iudicio nomine ipſius prohiberent. Vnde Paulus non ſimpliciter, ſed per externam ceremoniam, nempe per manuum impoſitionem Timotheum ac Titum ordinauit. Id quod commentarijs ſuper Iſai. ad notauit Hieron. inquiens, ordinationem non tantum precibus,

uino iure,sed. Ad hoc respondet, aliud esse ius,aliud iuris usum Ius.n.est facultas, & præceptio faciendi id quod Deus ipse insti tuit. Quod ideo diuinum est. Vsus aũt est exercitium quod in fa cto consistit, & hoc relinquit prudentiæ & iudicio eligentium, & confirmãtium. Quocirca,ptãs episcopalis,nisi fiat claue contra iura errante, utputa ꝙ irregularis non eligat, ꝑ iure diuino con fert. Quòd autẽ bonus, uel malus eligat,hoc dependet ex facto, & usu humano, ex quo ꝓcedere contra Dei uoluntatem põt ele ctio mala. Atq; in hoc,de quo nos aduersarij decipi arbitrant,ipsi falluntur. Censent inquam nos inde seduci,ꝙ ex eo ꝙ episcopatus est de iure diuino, elicimus electiones episcopales eodem fie ri iure. Hęc autem non nostra est fallacia,sed sua,qua ex eo quòd usus iuris fit arbitrio, & iudicio humano,inferunt electiones esse de iure humano. Audiant quæso Leonem pontificem in sermone de assumptione sua. Dignatio, inquit, cœlestis gratiæ gignit Antistitem. Et Ambrosius in Pastorali,contra eos, qui prætio or dines conferunt. Quis,inquit,dat gratiam episcopalem,Deus an homo? Et respondet,Sine dubio Deus, sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus,Deus largitur gratiam. Episco pus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. Si homo in or dine nihil amplius operatur,nisi seruitium,quod ei creditur, cur Deo totum negat,qui ipsum ordinem tibi largitur? Hęc ille. Ele ctio ergo iure diuino fit. At ne de noĩe disputare uideamur,dici mus quòd quicquid potestatis Papa eligens confert,iure diuino Deiq; noĩe confert; atq; adeo quicquid tunc ei præcipit, iure di uino præceptum est existimandum. Exempli gratia. Cum conse crator ait; Accipe Euangelium, & predica populo tibi commisso. Illi contrarij nobis autores uocem esse aiunt non Dei imme diatè,sed Papæ. Quare ordinatus,inquiunt,episcopus arbitrio Pa pe id exequi tenetur,ut si papa uoluerit,ne ille resideat,aut si non curauerit, ut episcopale munus recte exerceat, ipsi Pape imputandum est,non autem episcopo. Atque in hoc puncto status litis consistit. Ecquis autem hoc ferat audire? Ecquis(inquam) ullo modo ambigere queat,quin uox illa perinde habeat, ac si illam Christus proprio ore protulisset? quãdoquidem quod ipsissimus instituit,iussuq; suo, ore sui organi profertur; Deum ergo id loquentem debet episcopus auscultare; diuinoque subinde id iure sibi imperari. Nam retrocedamus paulo ante in consecra tione. Cum ait consecrator: Accipe baculum pastoralis officij,

ut

ut in corrigendis uitijs piè sæuias, iudicium sine ira teneas, &c. Quo nomine illa proferuntur, Nonne Dei? Nunquid non ipse est qui per suum ministrum illam confert potestatẽ & charisma-tis donum quod ipse instituit? Vide quemadmodum id planissimè subiuncta precatio explanet, quæ ad Deum funditur. Subdit nanque qui consecrat, Creator & consecrator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor ęternæ salutis, Tu domine emitte tuam benedictionem super hunc anulum, ut quicunque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in uirtute cœlestis defensionis ad æternam sibi proficiat salutem. Et quasi iam Deus ad precationem annuerit, Accipe anulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam uidelicet ecclesiam intemerata fide ornatus illibatè custodias. Deus ergo est, cuius nomine fit electio, & potestatis donatio. Id quod ex illo uerbo Numer. undecimo, fit notius, Iussit enim Deus Moysi dicens, Congrega mihi septuaginta uiros de senibus Israel &c. & auferam de spiritu tuo, tradámque eis ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Re uera, illa institutio fuit diuina. Quòd autem ait, Auferam de spiritu tuo, non sic est audiendum quòd donum Moysi collatum curtandum esset, sed quòd de eodem spiritu quo illum donauerat, donaret etiam suis auxiliatoribus. Quare, idem genus gratiæ confertur omnibus episcopis. Vnde consecrator, Propitiare, inquit, Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ, sacerdotalis benedictionis tuæ in eum infunde uirtutem. Ex his ergo fit planè consequens, Episcopum non Papę, sed ipsissimo Deo fidem suam obstringere. Quare facta electione, non Papæ, sed ipsi redditurus est animarum rationem sibi commissarum. Ecce in quo ueritas ab eorum opinione quos hic redarguendos duximus, distat, & quo quæstionem præsentem perducere constituimus, Videlicet electionem quæ fit à Papa eatenus esse de iure diuino, ut eius uinculo ille qui personam induit episcopi, & residere teneatur in sua ecclesia, & alia exhibere perficereq; munera, quæ suæ pastorali dignitati incumbunt. Atque adeò hinc sumendum nobis restat initium quæstionis tertiæ de eorum residentia.

Ad primum igitur argumentum eorum quæ in fronte quæstionis proposita sunt, respondetur, quòd & si neminem Christus legatur instituisse episcopum præter Apostolos, ubi eos prędicatum misit, nam illi functioni episcopalis erat annexa, & singulariter

Petrũ ſub paſtoris nomine,tamẽ cùm eãdẽ autoritatẽ,ut dictum eſt,perpetuò permanſuram fundaſſet,eo ipſo facto in Apoſtolis, & ſingulariter in Petro ſingulis futuris epiſcopis locutus eſt. Itaque quòd Petro dixit, Paſce oues meas, cunctis qui per ipſum creandi eſſent epiſcopi dictum uoluit, nempe, ut eo ipſo quòd quiſque creatus eſſet,idem ſibi datum diuinitus pręceptum intelligeret. Ad ſecundum reſpondetur, propterea ſingulariter dictum fuiſſe Petro,Paſce,quòd quantum ad iuriſdictionis plenitudinem ſingulariter ipſum caput conſtituebat.Quocirca, ſicut illi peculiariter permiſſæ ſunt claues regni cœlorum. Matthæi xvj. quas poſteà Ioan.ix. cunctis dedit Apoſtolis, quin uerò & Ioan. xx. cunctis ſuo gradu ſacerdotibus in foro conſcientiæ, ſic hoc quod ipſi dixit,Paſce,cunctis faſſus eſt. Ad aliud autem uerbum eiuſdem Petri,Paſcite qui in uobis eſt gregem Domini,negamus catholicè idèmq; firmiſſimè uocem eſſe præcipuè Petri. Imò id nomine Dei admonuit. Quin uerò mirari ſatis iſtos nequeo qui contrarium putant,uidelicet uocem eſſe perinde à Petro prolatam ac ſi epiſcopus ſuis præciperet ſubditis,aut prælatus monachis aliud quidpiam quod ſua eſſet ordinatio & præceptio.Cùm planum ſit ac perſpicuum ceu diuinum organum eſſe locutum, perinde nimirum atque Paulum ubi aiebat, Attendite uobis & uniuerſo gregi in quo uos Spiritus ſanctus poſuit.Conſultò nanque dixit,Paſcite gregem Domini.Nam ſi oues ſunt Domini,cuiùſnam paſtores niſi Domini,& cuius præcepto paſcere tenentur,niſi Domini? Vnde Hierony. ad Nepotianum,& refertur,diſtinctio.xcv. cano. eſto. Petrus ſecundùm Domini præceptum illud dixiſſe.

ARTICVLVS II.

Vtrum epiſcopi in ſuis diœceſibus reſidere iure diuino teneantur.

Apparet enim diuino iure nõ eſſe indicta.Ius enim hoc, illud pręciſe cenſetur,quod in euangelio aut loco alterutrius Teſtamenti, tanquam diuinum præceptum legitur, ut eſt præceptum baptiſmi,Qui crediderit,& baptizatus fuerit, ſaluus erit,aut quod inde planè colligitur.Huiuſmodi autem reſidendi pręceptio non eſt huiuſmodi,ergo non eſt ſanctio diuini iuris.Secundò,Soli Petro commiſſę ſunt claues regni cœlorum, illique ſoli

ueluti oraculis auscultandum. Et cùm ęgrè ferat quòd omnes uelint esse magistri, nil ipse ueretur omnium prodire magister. At uerò non constitui, quia neq; theologicum, neque Christianum est, malum pro malo reddere. Et ægrius fero, ꝙ episcopus similia de aliquo euomat, quàm quòd de me quisquam, eo præsertim, quòd neque ea in me expuit mala, quæ multa opus habeāt ad ferendum longanimitatem. Rem ergò tantum pro meo ingeniolo dilucidare satago, non cum homine contendere. Igitur quo lineam aliquam omnibus confessissimam præstituamus unde disputationem auspicemur, conclusionem primum uniuersis literarum professoribus receptissimam præfigamus, Constantissimum est, ecclesiarum Præsules, imò & animarum omnes pastores, usque ad parœcios inter suos greges residere teneri. Sed quod in quæstionem uertitur, est de iure ad id cogente, sitne tātum humanum, an uerò diuinū etiam, & naturale. Ecquis enim mente sanus in quæstionem compellet, utrum ianitor, cui iura claudendi recludendiq; cōmissa est, ad ianuam assistere debeat? Et cui nauis gubernatio incumbit, ad clauum sedere? Et utrum dux in bello, dum geritur, & miles in acie debeat existere? Quin uero non modo humanæ leges hoc de episcopis in quæstionem traduci non sinunt, uerum & diuina & naturalis dementiæ nobis certum est, adscribunt, quòd ipsum intentamus. Etenim si Deus ut ipsi contrarij fatentur, quia diffiteri nequeunt episcopalem dignitatem, quæ late in ecclesia patet, instituit, nonne, & officium ipsum pascendi instituit? Pascere autem, num naturale ius apertè clamat personalem requirere præsentiam? ergo quamuis illis largiremur electiones iure tantum humano fieri, nunquam inde obtinerent, ut Papa mutare possit quin officium pastoris sit iure diuino per se pascere, ac subinde residere. At ne dicendi impetus sine dispēsationis atq; œconomiæ luce in uiscera nos disputationis inferat, supposita prima fundamentali conclusione, quod in qōnem accersitur, est, quo iure hæc residendi obligatio innitatur. Et primus articulus est de diuino. Debet autem sacrorū tractator, vt Primo de doctrina Christiana autor est August. documentum patrisfamilias auscultans, de thesauro scripturę proferre, primū noua, deinde vetera. Qua de cā, peculiarē hic titulū fecimus, de diuino iure tam euangelico, q̄ antiquo, ex quo primū petendum est rei præsentis fundamentum, & articulo proximo de naturali, ac tertio de humano. Tametsi adeò istę iuris spēs sibi

inuicem meritæ ſint, adeoque ſe uicariè elucident, ut teſtimonia ſacra, niſi naturali ſtatim ratione, & iure explicentur, & confirmẽtur, debiliora uideri poſſint, & ideo neceſſe erit ſæpenumero per miſtim ab omni iure argumenta accerſere. Ad horum autem perſpicacem intelligentiam, meminiſſe ex libro primo, & tertio, opus eſt, primum diuidi ius in naturale, & poſitiuum, deinde poſitiuum in diuinum, & humanũ. Ius enim natulare eſt, quod nos ipſa natura docuit, Ius autem poſitiuum, quod uel ex hominum condicto, uel ex principis iuſſu legis habet vigorẽ. Et quia ſummus princeps Deus eſt, fit, ut ius poſitiuum diuidatur in diuinũ, & humanum. Quo fit conſequens, ut minimè repugnet aliquid eſſe de iure naturali ſimul, & diuino, ut patet in Decalogo, quẽ, etiam ſi Deus non ſcripſiſſet, natura nos ipſa docuiſſet. Sed tamẽ quia ſcripto Dei expreſſus eſt, cenſetur etiam de iure diuino. Vnde fit, vt diſtinguatur ius diuinum in naturale, & poſitiuum, ut poſitiuum ſit, quod nos Deus præter, aut ſupra cognitionem naturæ docuit, ut ſunt ſacramentorum mandata. Et de hoc genere diuini iuris loquimur in hoc articulo, nempe quod in ſacra pagina ſcriptum eſt. Id quod bifariam contingere poteſt, nempe, aut quod expreſſis verbis ſit ſcriptum, ut, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: Et, quorum retinueritis, retenta. Aut quod ex uerbis ſcripturæ expreſſis planè colligitur. Et quidem quod ſub hoc uerborum tenore expreſſum ſit in euangelio, ut epiſcopi reſideant, nemo affirmat, quia nuſquam legitur. Sed tamen ꝙ uerbis æquipollentibus eandem prorſus habentibus ſignificationẽ, id ſit in eiſdem ſacris Biblijs aſſertum, hoc perſuadere contendi; Sit ergo ſecunda concl'o, Obligatio Antiſtitum ad reſidendum, omniũq; paſtorum parœcialium eccl'iarum, eſt de iure diuino. Et cùm primis, poſtquam diui Thomæ interpretes agimus, ſua eſt coucluſio præſenti qõne, quam exponendam hic duximus, arti. v. Vbi ex teſtimonio Chriſti, ꝙ bonus paſtor animam ſuam teneatur pro ouibus ſuis ponere, infert, ob nullum temporale periculum licere præſuli de ſua eccleſia decedere. Materiã aũt illius articuli, in quarto nos huius qõnis diſputaturi ſumus, An uidelicet aliquæ ſint cauſæ; quæ hmõi deceſſum excuſatum faciant. Interim aũt concluſio præſens affirmatiue eſt demonſtrãda. Atqui ſolet quidem ab officio paſtoris initium demonſtrationis ſumi, eſt tamen illud altius petendum. Epiſcopus nãque non eſt pro-

pter

pter quem ecclesia est constituta, sed ipse potiùs est propter ecclesiam institutus. Mundum quidem Deus fecit propter hominem. nempe ut ei esset subsidium uitæ, ipse autem non propter ipsum, sed creatus est tanquam eius dominus, Et patres familiâs seculares diuitijs suas domos propter suos successores amplificãt. Itaque in eiusmodi familijs non personæ propter domos, sed domus propter personas sunt extructæ. In rebus autem publicis diuerso modo se res habent. Regnum enim non est factum propter regem, sed rex propter regnum. Et in hoc, ut libro primo dicebamus, rex differt à tyranno, quòd ille omnibus ob publicũ bonum utitur, hic uerò regno propter se abutitur. Multò id autem certius est in episcopis. Christus enim qui propter nos homines descendit de cœlis, propter seipsum ecclesias fundauit & propter ipsas, tum alios pastores, tum præcipuè episcopos. Nisi quòd est discrimen duplex inter ciuilem & ecclesiasticam rempub. Vnum scilicet ex parte finis ex quo in modo administrandi alterum deriuatur. Finis nanq; proximus ciuilis reipublicę, ut in superioribus adnotauimus, est pacificus tranquillùsq; eius status, etsi in supracœlestem subinde referatur. Finis autem proximus ecclesiasticæ est sempiterna felicitas, ad quam nos Christus ecclesiæ fundator per suos ministros perducere expetit, & omnimodè contendit. Alterum autem discrimẽ est, quòd seculares principes in modo sui regiminis effigiem habẽt dominorum, episcopis uerò nullam præ se ferre licet, licet ministrorum atq; omnino seruiẽtium. Principes enim gentium ait Mat. xx. dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos. Sed quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister, & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ministrari sed ministrare, & dare animã suam in redemptionem pro multis. Vnde Augusti. super Isaiam homi li. vij. Qui uocantur ad episcopatum, non ad principatum uocantur, sed ad seruitium totius ecclesiæ. Ecce ergo episcopalis institutiõis fundamentũ, quod constitutissimũ est esse de iure euangelico, nẽpe ꝙ ut seruus q̃cquid est, domini est, sic eps quicquid est, sit eccl'æ. Hinc cõsequitur episcopalẽ dignitatẽ nõ esse institutã nisi propter officiũ. Est enim dignitatis pastoralis officiũ, pascere. Ad quã ueritatẽ penitissimè cõmendandã nunquã dignitas in sacra pagina nisi officij nomine designatur Nã ut cõclusionẽ ab eo primùm loco demonstrare ordiamur, qui est Ioann. xx. Pasce oues

meas,utpote quo episcopalis dignitas planissimè declaratur, nō ait Christus,Sis pręsul aut episcopus.Imò nec,sis pastor, nam & pastores socordes esse possunt & gregi indormientes. Sed pasce, hoc est doce,institue, atq; adeo guberna exemplo meo meas oues.Et ubi apostolos prædicatū dimisit non dixit, Messis quidem multa est,ij autem qui metēdi docti sunt,pauci,sed operarij, nempe qui usu potestatē exerceant.Nil enim refert qua doctrina aut facultate præditi sint sacerdotes,nisi munere suo fungantur. Misit ergo Deus non qui operari possent,sed qui operarentur Similiter enim instituerat Deus Aaron,Leuit.xxviij.Applica enim inquit,ad me Aaron & filios eius,Nō ait ut sacerdotes mihi sint, sed ut sacerdotio fungantur mihi,& ut suprà in Paulo adnotauimus.Qui episcopatū,inquit,desiderat,bonū opus desiderat,id est si legitimū est eius desideriū,nō ad dignitatē,sed opus referendū est Quare ilicò subiūxit,Oportet episcopū doctorē esse, quo nomine nō designatur habitus seu facultas & dignitas,sed usus,hoc est oportet ut doceat. Vnde ad Paulinum suprà citatus August. & refertur.viij.q.j.can. qui episcopatū.Exponere,inquit, uoluit apostolus quid est episcopatus,quia nomē est operis nō honoris Et ad Honoratū Hieron.Qui episcopatum desiderat, opus desiderat,hoc est,nō dignitatē aut delitias,sed opus & laborē.Ex hoc secundo,ut per gradus descendamus,tertium colligitur, nempe decimas & primitias,ut lib.iij. latè demonstrauimus & sæpissime repetimus, non esse in hoc populo imperatas ut sint bonorum præmia,eò quòd uel boni uel docti sunt.Sed in hoc potiùs,ut bene ecclesijs præsint,ut ait Paulus & inseruiant.Haud enim me pigebit hoc inculcantissimè repetere,quod ad rem penitissimè attinet,quòd si hoc ecclesiasticum seruitium Christianis non fuisset necessarium,nulla fuisset à Christo habita personarum, quæ idoneæ sunt,ratio,quantum ad decimarum impositionem. Haud ergo arbitrentur uel nobilissimi uel doctissimi uel sanctissimi sibi ulla ratione deberi ecclesiastica stipendia,neq; eorū gratia fuisse instituta,sed eò prorsus quòd ad ecclesiarū obsequia Dominus ipsis personis opus habet.Reuisito, ne sim morosus, quæ lib.iij. quæst.vj.art.ij.in huius demōstrationē attulimus. Etenim Nume. 8. nō alia de causa Deus decimas legitur instituisse q̄ pro ministerio, quo Leuitę ac potissimū sacerdotes tabernaculo seruiebāt. Et cùm Christus apostolos dimisit ut messores eē uoluit,qui pro operis digni sunt mercede sua.Et Paul.j. ad Cor.ix oīa naturalia

exempla ad hoc propositum congerit. Vt de milite, qui non militat suis stipendijs, & de triturante boue &c. Et primæ ad Tim. 1. Presbyteros non censet præmio ecclesiastico dignos quia boni sunt, sed quia bene præsunt. Et si ius consulas canonicum, Innocentius 3. c. cum secundum apostolum. de præben. eisdem vsus sacris oraculis idem prorsus constituit, quòd stipendia ecclesiastica atq; adeo dignitates solum propter opus conferuntur ac tandem. c. fi. de rescrip. beneficium asseritur non dari nisi propter officium. Communia sunt hęc; sed impræsentiarum etiam vsque ad nauseam repetenda. Ex his ergo colligiť nr̃a conclusio illatione illa quã paulo ante insinuabamus. Christus nõ alia prorsus ratione q̃ propter earum obsequia atq; administrationes pastores instituit, quorum subinde officium proprium esse voluit pascere, & in huius tantum mercedem, & stipendia populo imperatæ sunt decimę; ergo quantum est ex rei natura diuinaq; institutione, ipsis per se incũbit gregem pascere. Hoc ãt absq; personali pręsentia fieri non põt, ergo residentia est de iure diuino; nã quo quisq; iure obligatur ad finẽ, obligať ad mediũ, sine quo nequit illum cõmodè attingere. Primũ antecedens nemo est qui neget, sed primam consequentiam inficiari moliuntur aduersarij. Quoniam in quiũt Papa episcopos creat, illi ergo incumbit disponere, vt per se, vel per alios pascere debeãt. Quod autem cauillus hic nullum pręse ferat, vel probabilitatis colorem, palam ex superioribus colligitur. Primum enim iam satis constitutum est, creationem episcopi, licet fiat per pontificem, nihilominus iure diuino fieri, quippe cum institutio Dei sit, per ipsumq; fieri iussa, perinde atque sacramentorum administratio. Sed ne de nomine nos angat disputatio, esto Papa immediate, vt aiũt electionem faciat, num consequens subinde fit, ut naturam ipsam quam dignitas à Dęo instituta proprio significato declarat, possit Papa mutare? Vnde rogo duarum rerum consequentia, quæ tam sunt disparatæ? Nunquid dum Papa episcopum eligit, & consecrat, efficere potest, ut non sit pastor, magis quàm cũ sacerdotem initiat efficere, vt non sit sacerdos? Potéstne inquam efficere, vt functio episcopi nõ sit sacramenta ordinum administrare, populumque docere, ac moribus instituere; &, quod nomen eius sonat, gregi inuigilare?

Quisnam hoc uel fari queat, cum hæc omnia episcopali muneri sint diuino iure annexa; quin uero ipsissima eodem iure sint dignitatis substantia. Profecto si Dei institutio eandem uim

habeat, quam natura per ipsum instituta, plane fit, vt sicuti qui morum serit, efficere non potest, ut prunus inde aut alia arbor germinetur, q̃ morus, ita neque qui episcopum facit, efficere potest, vt eius natura diuinitus instituta non sit per se pascere. Haud enim modo disputamus an ulla de causa efficere iuste possit, vt ipse per se non pascat, sed per alium. De hoc enim alia nos disputatio manet; sed rei tantum naturam constituimus, docentes, vt quemadmodum qui scamnum fabricat, aut arcam, efficere non potest, quin figuram habeat scãni, aut arcæ; aut qui facit calceũ, efficere non potest, quin rem faciat formam habentem pedis; ita qui facit episcopum, quę res diuinitus instituta est, efficere non potest, quin eodem iure quo est instituta, officium habeat, atque adeo obligationem per seipsum pascendi, ac subinde residendi, quicquid postea forinsecus accidere possit. Etenim ne nobis pastoris homonymia, & æquiuocatio negotiũ a modo facessat, intelligere episcopus debet pastorem esse secundum propriam nominis notionem, & non secundum illã abusiuam, qua gregum domini pastores dicuntur. Solẽt enim & pastores nuncupari pecudum, armentorumq; domini; eo quòd sua substantia & peculiũ pecorarium sit, queãdmodum rogati filij Iacob à Pharaone q̃d haberent operis, responderunt, Pastores sumus, putà hæc est nr̃a diuitiarum possessio. Et isti per se nullã exercent ouilis curã, nisi per suos famulos, sed duntaxat vellere, caseo, fœturaq; fruentes, delicate ac molliter uitam degunt; Episcopi ãt non sunt sic instituti pastores gregis Christi, sed prorsus uelut ministri, qui gregũ vigilias perferre tenentur, & per prata scripturæ gregem deducere, eiusq; fontibus potare, atque oleo scabiem inungere, eisq; lupum cauere, & quidquid vllo pacto nocere poterit. Neque enim est, quòd huic sanctæ veritati quis obmoliat̃, soli Petro dictum esse, pasce; in hoc enim uerbo aliquid est singulare Petro dictum, aliud uero cunctis præsulibus generale. Singulare inquam, ut tanquã uniuersalis pastor suo gradu, & ordine uniuersum gregem pasceret, non quidem uniuersis assistendo ecclesijs, sed suis constitutionibus, & fidei ac morum sententijs vniuersos illustrãdo, & instituendo; dignosque adeo ministros cuicunque ecclesiæ adscribendo. Generaliter autẽ explicata est episcopalis functio, quæ in apostolis, & in ipso per ipsissimum Christum ecclæ institutorem constituta est; ut scilicet cum primum unusquisq; crearet̃, iussum ab eodem Christo putaret, vt sibi suum peculiarem gregẽ

pasceret.

pasceret. Ait quippe Augu. ca. xiij. in lib. de pasto. ob id Petro singulariter Christum id quod omnibus erat commune, iussisse, ut unitatem commendaret. Multi enim erãt, inquit, apostoli, & uni dicitur, Pasce oues meas. Hactenus ille. Ac si dixisset, In uno cunctis potestatem dedit. In uno cũctis generalem regendi formam expressit, atq; adeò in uno cunctis idem iussit. Et Ambro. in Pastora. Nobis, inquit, in uerbis diuinis credita est dispensatio, gregẽmq; Christi alẽdum suscepimus. In uerbis (inquit) diuinis, Alludens ad ista Petro dicta. Et infrà, Repetitum est à Domino tertiò, Pasce oues meas. Quas oues & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed nobiscum illas suscepit, & cùm illo nos suscepimus omnes. Iussit Dominus Petro pascere oues, per quem ad reliquos omnes potestas & autoritas pascendi manat à Deo. Hæc ille. Ex his ergo fit consequẽs, peruersam esse calumniosamque interpretationem, ut uox illa consecratoris, Vade, prædica populo tibi commisso, perinde intelligatur, ac si solius sit Papæ. Est enim illius tanquam organi Dei, atq; adeò expressio & quasi repetitio uerbi ipsius Christi, Pasce oues meas. Quo planè alludit Paulus Actuum. xx. dicens, Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus Sanctus posuit episcopos, &c. Haud enim aduersariorum glossa ullius est pretij, qua scilicet aiunt propterea tãtùm dixisse, Spiritus sanctus posuit, quòd ecclesia etiam quo ad ius positiuum eius nutu gubernatur. Nam. j. ad Corin. vij. distinguit inter ea quæ Deus præcepit & quæ ipse; & hic propriã actionem & iussum, Dei designat. Non enim ait se illos [illegible]suisse, sed Deum.

At uerò quò res etiamnum patentior fiat, explicare paulò amplius opus est spiritualis pastoris officium. Dictum enim iam suprà reliquimus, esse spiritualis ouium uitæ impensissimam curam gerere. Quæ quidem cura tripartita est, uidelicet ut episcopus sacramẽtis plebem in uita spirituali generet & nutriat, atque adeò prædicatione foueat, & prudentia gubernet. Quæ sub alijs nominibus sanctus Tho. expressit, putà instituere, defendere, & gubernare. Nomine autem sacramentorum, etiam sacramentalia quædam intelliguntur, quę quidem can. quanuis. distin. lxviij. Leo Papa recenset. Incumbit enim eis presbyterorum ac diaconorum cæterorùmq; ministrorum altaris, & uirginum consecratio. Mox constitutio altaris, & benedictio & unctio, atq; adeò omnium uasorum indumentorùmq; ad idem altare pertinentium, ac deniq; baptiza-

baptizatos chrismate confirmare. Omnium autem maxime pro prium eius munus est prædicare, hoc est non de suggesto modo, sed & peculiariter etiam sacra oracula interpretari, & de ambiguitatibus responsa dare. Vnde super illud Pau. ad Ephe. 4. Alios pastores, & doctores, adnotauit Hierony. consulto non dixisse alios pastores, atque alios doctores, sicut dixerat alios apostolos, & alios prophetas; sed alios pastores & doctores; scilicet, quòd idem est in ecclesia pastor, qui & doctor. Idemq; Augu. in epist. 58. Paulino sciscitanti quo pastores a doctoribus differrēt, respondet; videlicet nullo differre discrimine; quod eodem apostolico uerbo confirmat. Tertium demum eiusdem muneris membrum est gubernatio, quibus non infimè adiungitur paupe rum, uiduarum ac pupillorum cura. Hæc autem expressius, tum Greg. lib priori Pastor. tū ēt alij sancti p̄res per Ezec. prophetā explicari autumāt c. 34. ubi ait Dominus; Filij hoīs propheta de pastibus Israel, qui pascebāt semetipsos. Nónne greges à pastorib. pascunt? Lac comedebatis, lanis operiebamini. His. n. duobus cūcta designant, quæ ad uictū uestitūq; spectant. Quæ quidem ad sustentationem ep̄is populus suppeditat. Sed ad designādā eorum luxuriē subdit; Quod crassum est, occidebatis, vbi summa iniquitas pastoris insinuat. Cum. n. officium eius sit gregē doctrinæ, ac, morum pinguedine saginare, & pinguefacere; eius potius substa. ipsi curant pinguescere. Et gregē meū non pascebatis. Quid autem sit pascere, explicare ꝓsequit, dicens: Quod infirmum est, nō consolidastis; quod ægrotum, non sanastis, quod confractum, nō alligastis; quod abiectum est, non reduxistis; & quod perierat, nō quæsistis. Hic aūt primum omnium animaduertendum est, oracula antiquæ legis non eandem prorsus energiā ad rem præsentē habere, quam testimonia nouæ. Etenim sacerdotium nostrum lōge ab illo differentius, ac perinde sublimius existit, q̄ quo illi fungebantur. Nam cum illorum sacramenta nullam conferrent gratificantem gratiam (nil de illa loquimur quæ sub signo circuncisionis conferebatur) neque clauium illi potestatem habebant ad remittenda peccata; neque subinde curam, ut nostri sacerdotes, gerebant animarum, quæ potissimum est fundamentum, ut nostri prælati residere teneantur. Petuntur autem inde ad propositum argumenta. Tum ratione figuræ, in qua, ut ait Pau. omnia contingebāt illis, nempe quòd illud sacerdotium præsagium erat nostri. Tum etiam per modum exempli, nam si illis tanto ui-

tio tribuebatur, quod curam non gererent gregis,& in excubijs templi perpetuo esse cogebantur. Iussum enim legitur Nu. xviij. Aaron filijsque eius ac Leuiti, excubate in custodia sanctuarij; multò efficacius conuincitur pastores nostros animarum custodes, debere semper præsentes gregi prospicere. Quamuis, ut ad præsentem locum Ezech. reuertamur, non solum sacerdotes illis, pastorum nomine, denotantur, sed & omnes iudices, & gubernatores populi, tametsi iam tunc temporis, gubernationis sceptrum penes sacerdotes esset. Affabrè ergo Propheta illa quinaria oratione pastoris munus delineat, quantum ad ea saltē quæ in grege medenda sunt. Quinque.n.incommodis Christianus grex periclitari consueuit. Primum est in fide, quæ totius Christianæ uitæ fundamētum est, nā sine fide impossibile est Deo placere. Primum autem detrimentum fidei est, languor & imbecillitas, quando, scilicet homo propter magnitudinem credendorum nutabundus uacillat. Quare Paulus ad Roma. iiij. laudi tribuit Abrahæ, quòd non fuit infirmatus in fide. Et ad Roman. xiiij. Infirmum in fide assumite (id est) ne cadat, sustentate. Hæc ergo Antistitis, qui doctor est fidei, prima functio est, nempe ut fidei scrupulos mentibus gregis eximat, dubia scilicet explicando, ac subinde animos affirmando, & consolidando ut intellectum, quemadmodum ait Paulus, captiuent in obsequium fidei. Aegritudo autem ad mores attinet, cum quis corruptis affectibus infectus est. Etenim, ut intellectus scrupulus fidei infirmatur, sic & appetitus affectuum tumultu ægrotat. Quare sicut illud doctrinæ luce est consolidandum, ita & hoc salutaribus monitis sanandum. Confractio uerò iam ad discordiam inter fratres attinet, uidelicet cùm populus, aut varijs opinionibus, aut litibus, & iurgijs inter se dissidet. Tunc enim ligamine pacis atque unitatis confœderandus est, amicitiaque conglutinandus. Ex his enim fracturis, nisi in tempore colligantur, hæreses solent intumescere. Quod re uera vecordia, & inertia prȩsulū, ac potissimum absentia a suis ecclesis creberrimè accidere, prȩsentia tempora documento nobis sunt. Quocirca, id quod subditur, abiectum, ad manifestariam hæresim, & apostasiam refertur. Dissensio enim populi, seminarium est hæresum, per quas ab ecclesia exitur, & usque ad huius etiam medicamina prȩlati cura protenditur, ut saltem una atque altera monitione, ut docet Paulus, enitendum ei sit abiectos in ecclesiam reducere. Conclu-

dit demum, Et quod perierat, non q̃siltis, exemplo illius, qui de cœlo quæsitũ venerat quod perierat. Perit aũt hõ per quodcunque mortale delictum, insigniter vero per obstinationẽ. Sed neque illo prorsum desperandnm est, quin omnis adeatur, quærendi ipsum via. Atqui effectus porrò isti, gratiæ Dei eiusq; singulari fauo ri referuntur accepti. Attamen quia ipse eiusmodi grãm ministerio sacerdotũ nobis suppeditat, fit, ut propter eorum negligentiam vsu ueniat, ut populus eadem gratia priueť. Id quod protinus ibidem Deus aperte admonet, dicens, Et dispersæ sunt oues meæ, eo q̃ non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, hoc est, ab omnibus uitijs pessundatæ sunt, omniq; errore conculcatæ. Qua de cã, statim comminať pastoribus, Requirã gregem de manibus eorum. Hac. n. ratione ait, ad Hebr. ulti. Paulus, præpositus sic debere super gregem inuigilare, quasi rõnem pro eius animabus sint reddituri. Porrò ergo nisi hæc episcopi munera, & officia tam essent obliuione sepulta, nemo esset, arbitror, qui uel hæsitare posset tenerẽturne iure diuino episcopi per se illa præstare, ac perinde iu suis diœcesibus residere. Etenim non solum publica concione, si suũ bene noscunt institutum, hæc perficere debent, uerum priuatis uisitationibus, exhortationibus, recreationibus, cõsilijsq; adeo, & cõsolationibus. Imò non uerbo tantum, uerùm, & exemplo, ac deniq; re ipsa iuuando, nempe egentiũ causas negotio ẽt tuendo & eleemosynis adiuuando, Ecce sacerdotis officium, qua parte debet nocumenta gregi cauere. At uero qua parte ipsum ad pfectũ ꝓmouere teneť, latius eius ꝓminet functio. Hac quippe rõne appellat eos in suis antecessoribus Christus lucẽ mũdi. Vide quãta largitate sua ipsius noĩa illis impartiť, ut si in officio non perstiterint, eos peius in die iudicij pudefaciat. Quin verò, ut ſ. diximus, Pius Papa, cano. oues. vj. q. j. ueluti oculos Deũ illos instituisse ait, siue per quos Deus ipse gregi suo ꝓuidet, siue per quos populus, q̃ diuina sunt suscipit. Appellat ẽt illos ciuitatem ſ. mõtem positã, q̃a non solum doctrinæ lumine de candelabro lucere debent, uerum prominenti uitæ exemplo in conspectu populi, & ueluti sal terræ mores condire. Perpende, an eiusmodi officia absentes exhibere, ut decet, ualeat. Quin age, ut cuncta cõplectamur, epĩ in ea pfectionis sublimitate esse debent, ut perfectionẽ nõ discant, sed quẽadmodũ in sua consecratione admonenť, omnino doceant. Quid demũ perfectionem doceãt? ceu Christi mi

nistri

nistri ecclesiã suam sic expurgent, sic promoueant, sic itaq; exornent, ut sine macula, vt Christi spõsam decet, Deo patri offerãt. Ecce primum locum euangelicum; Pasce oues meas. Secũdus locus ex quo veritas præsentis conclusionis elicitur, extat Ioan. 10. vbi Christus naturam boni pastoris sub hac verborum exaggeratione commẽdat; Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem fugit. Intelligere autem nequeo, qua ullus fronte deludere hunc possit locũ, dicens non intelligendum esse generaliter de pastorum vniuersitate, quippe quòd Christus de seipso particulariter, vt aiunt, id asseruit. Haud.n.opus est sanctos huc interpretes cõpellare, qui hunc sensum recutiant. Pręstat nanq; semper scripturam sacrã, vbi id fieri possit, ex suis ipsius verbis elucidare. Perpende ergo verborum cõtextum; Ego sum pastor bonus. ecce assertionem. Haud vero satis duxit simpliciter id asserere, sed demõstrare per rexit. Qũo aũt demonstrauit; Quia bonus pastor animam suam pro ouibus suis dat. Hoc ergo non de se peculiariter, & proprie asseruit; alias id quod dixerat per idem ipsum probasset, nempe, ego sum pastor bonus, quia ego ipse pastor bonus animam pro ouibus meis pono. Per illam ergo probatoriam propositionẽ, naturam ingeniumq; & substãtiam boni pastoris definitione patefecit, nempe vt sic colligeret: Ille prorsus qui animã suam dat pro ouibus suis, bonus est pastor, ego autem animã meam, hoc est vitam do pro ouibus meis, ergo ego sum bonus pastor. Generalem ergo regulam præfixit, per quam bonus pastor ab ijs, qui non sunt boni, discernendi sunt. Vnde Greg. in hom. Eius, inquit, bonitatis formam, quam nos imitemur, adiunxit; dicens, Bonus pastor animam suam pro ouibus suis ponit. Fecit quod monuit; ostendit quod iussit, &c. Et Augustinus de uerbis Domini, serm. 5. Pastor bonus, Christus. Quid Petrus? nónne bonus pastor? nã & animam suam pro ouibus suis posuit; quid Paulus? quid cæteri Apostoli? &c. Itaque si attente verba respicias, non tantum Christus exemplũ sese perhibere oculis nostris uoluit, quod imitaremur, secundum illud Ioan. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniã ille pro omnibus aĩam suam posuit; & nos debemus pro fratribus nostris ponere. Et sicut ait ad Honora. Aug. quòd instãte persecutione eps non põt fugere; quia exẽplo Domini tenetur bonus pastor animam ponere pro ouibus suis. Hæc enim quodammodo possent aduersarij cauillari, dicentes, quòd licet

Christus de se peculiariter id diceret, posuit nihilominus de se imitandum exemplum. Sed insuper affirmamus posuisse regulam & definitionem, per quam se probauit esse bonum pastorem, quamq; adeo licet ipse per impossibile non seruasset, tenerentur vniuersi præsules iure diuino & naturali seruare.

Agedum, idem ex subiectis verbis corroboremus. Subdit.n. Mercenarius autem, & qui non est pastor; cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Qūo rogo illic vsurpauit mercenarij nomen? vtrum peculiariter pro aliquo? Re vera non nisi generatim; ergo eodem modo accepe rat vocem boni pastoris. Aliàs non è regione apponeret illi mer cenariū. Vtriusq; ergo naturam amborū oppōne explicuit. Nisi admittere absurde malis, ꝙ naturā explicuerit mali pastoris, nō āt boni. Neq; contentus fuit id simpl̄r enuntiare, sed natiuā subiūxit causam: Mercenarius.n.inquit, fugit; quia mercenarius est, cuius non sunt oues propriæ; & ideo ad eum de ouibus non pertinet, quia non sunt inquit, eius propriæ; vtpote quòd cum ei nō sint a Christo commendatę, fit vt eas non diligat, nimirum ea dilectione qua ex Petro requisiuit an se prę cęteris diligeret.

Sed & vrgentissimum præterea argumentum, quòd hoc Dominus ac Redemptor noster non de se tantum proprie, verū tan quam cunctis qui legitimi sunt episcopi necessarium enuntiauerit; est, quod ex hoc loco sancti omnes & Doctores colligunt (vt articulo 4. uidebimus) teneri episcopum dū necessitas gregi suo ingruerit, vitam exponere anteq̄ inde recedat. Quam quidem ve ritatem cum ipsi aduersarij negare profecto non auderent, inde deberent colligere residentiam esse de iure diuino; idq; adeo ex hoc loco inferri, aliàs ecclesia non cum tanto periculo eos residere constringeret. At de hoc illic pressius. Hic ergo pedem sistere cuperem, si pro rei dignitate mihi facultas ad persuadendū suppeteret, rogareq; colēdissimos episcopos, expenderent, vtrū potuerit Christus significantius rē aperire, vehementiusq; ipsos, ne mercenarijs suos greges confiderent dehortari. Qūo enim di ligere animas vsq; ad sanguinis effusionem possunt, quas vt propria s non habent? & nisi ita charas in Domino habeant, quomo do possunt eis legitimè prospicere? Abunde se nanq; mercenarij fecisse arbitrantur, quando pro ratione stipendij, quod recipiūt audiendis litibus, horas aliquot insumunt. Prosequitur autem Christus eandem boni pastoris naturam etiamnum patefacere.

Ego

Ego inquit,sum pastor bonus,& cognosco oues meas,& cognoscunt me meæ. Haud ergo locus iam vllus fit reliquus deflectendi,vt quis dicat de se proprie Christū loqui. Imo eādem demfonem insinuat,nempe ob id,quòd ingenium, fides & cura boni pastoris sit,vt mutuò se de facie,& voce ipse,& oues cognoscāt; se; in quem hæc competunt,bonum esse pastorem. vbi Theophylactus.Hoc loco,inquit,agnosco dr̄iā pastoris,& mercenarij.Nam mercenarius quidē nescit oues;quod cōtingit, quia nō sæpe illas inuisit,&c. Qui.n.per Dei dilectionē sibi eccl'am desponsauit nō potest eius conspectu, & familiaritate magnopere se oblectari: præterquam, quòd neque officia pastoris gregi præstabit, nisi cuiusque ouis faciem,& balatum nouerit, vt non per relationem aut per alium, sed de vultu,gestu, & voce animi morbū deprehendat. Neque vero grex eum viciſſim satis diligere, eiusque tum exemplum imitari, tum, & auscultare mandatis valet, nisi de vultu, & sermone eum agnoscat. Quocirca, hoc quod isti dicunt Christum de se proprie affirmare, quām sit falsum inde constat, quòd fortasse ad illud prouerbium Salomonis allusit, quod ipse tum propter priscos pastores, tum in nostrorum figuram illius ore iampridem protulerat. Ait enim ille Prouerb. 27. Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera;nō enim habebis iugiter potestatem; sed corona tribuetur tibi in generatione & generationem. Vbi Hebraicè habetur; Cognoscendo cognosces seu euidenter agnosce faciem pecoris tui: & vt dicitur facie ad faciem, & pone cor tuum ad greges. Vbi non adeo ad rē accōmode quidā cōminiscunt,verbo illo appone,allusionē fieri ad illud Christi.Bonus pastor aīam suam ponet. Nā prçterq̄ ꝙ verbū euāgelicū non significat nisi, dat,manifesta est rerū discrepantia;nā uerbum Salo. ad internam curā, & solicitudinem quam pastor hr̄e debet erga gregem, refertur, ut .s. cor impensiſsime habeat ad singularium ouium neceſſitatem attentum.Vox autem Christi ad testimonium amoris,ut scilicet si opus fuerit,mortem eius gratia oppetat.Nā si cura bruti gregis illam mutuam agnitionem expolcit, quanto magis studium quod erga Christianam familiam impendendum est; sane cum quot sunt subditi,tot sint & morborum genera.Alius enim cōsolatione indiget,alius consilio,alius reprehensione, alius denique alio eleemosynæ subsidio.Quare protinus in initio eiusdē c. Io. vbi se Christus ostiū esse ouiū dicere adornabat. Qui nō, inquit, intrat

intrat per ostium, sed aliundè, fur est & latro, qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocē eius audiunt, & proprias oues uocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt uocem eius. Vide quomodo lex boni pastoris non tantum in hoc consistat, quòd quis ad dignitatem secũdùm Christi leges accedat, uerùm & quòd eius exemplo eandem administret, nempe cognoscendo oues singulas de nomine, eàsq; exemplo uitæ antecedendo, quod ipsæ sequantur. Id quod absentes quonam pacto præstare perficerèque possint, ipsi uiderint. Vnde sequitur, Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Vbi alieni appellatione non solùm eos, qui non legitimè ingressi sunt censet, imò & qui illegitimè rem administrãt, scilicet tam mercenarios, quàm eos qui illa quæ præmiserat, non seruant. Et quidem Apostoli non cognouerunt quid loqueretur eis, scilicet mysterium fidei ipsius, per quam solam ingressuri erant quotquot ueris pascuis essent potituri, quia non est aliud nomen sub sole, in quo possint homines salui fieri. Nobis autem, qui illud iam certò per eandem fidem cognoscimus, aliud restat constantissima fide tenere, nempe quòd qui ab ipso instituti sunt pastores, eius instar necesse habent munere suo perfungi. Vnde Damasus Papa in aurea sua epist. iiij. ubi de depellendis chorepiscopis locupletè disseruit, hoc Christi testimonio uehemẽter inuehitur in episcopos, qui alienis suas plebes educandas concredunt, cùm Christus bonum pastorem asserat uitam pro ouili suo ponere, mercenarium autem ingruente lupo oues destituere. Sed de hac epistola statim arti. proximo. Habeant ergo aduersarij, & contra sic arguant, Quicquid homo per suos administros facit, per seipsum censetur efficere, ergo cùm episcopus uicarium ecclesiæ suæ deleget, residere nõ tenetur, sed pro sua satisfacit obligatione. Videant autem huiusmodi argumentatores, quanta eos responsa persequantur. Primũ omnium, ut suprà diximus, hic non disputamus, an causa possit aliqua intercedere propter quam dispensari cum episcopo absenti queat, de quo art. iiij. repetendus est sermo, sed rei naturam constituimus, & ea quę diuina lege episcopo iussa sunt, In primis ergo si factum spectemus, absentes episcopi non sibi uicarium ad omnia sua munera substituunt, sed eum tantum, qui ad lites audiendas sedeat, quod re uera non est præcipuum. Et præterea uisitatorem, qui

dicecesim

diœcesim circunuolet,cùm neq; ista in ipsorum absentia fieri pos sint commodè,neque alia ullo modo,ad quæ præcipuè tenentur. Potissima enim pars spiritualis pastoris,ut in concilio Carthagi. iiij. licet breuioribus uerbis admonetur, nempe cui animarum longè maior cura incumbit,quàm temporaliū, in hoc posita est, ut lites,quæ sine iudiciorum strepitu definiri possunt, componere satagat,pacarèq; & extinguere procuret,ut tempus secūdum Christi mandatum redimat, quod oues in Christianis exercitijs collocent.Quod quidem nemo sine episcopi autoritate & grauitate & amore,quo gregem prosequi tenetur, atque adeò sine eius pręsentia perficere ualet.Item neque uisitationis longissima experientia testatur,per alium quàm per seipsum fieri castè posse.Haud enim criminibus sola pecuniarum mulcta,aut excommunicatiōe medendum est,sed profectò uerbo,nunc placido, nunc acerbo,ac alijs denique adhibitis remediis, quorum uisitatores, quia mercenarij sunt,nulla tangit cura.Adde, quòd eleemosynæ quæ inter episcopales operas tam altum locum tenent,(Oportet enim episcopum,ut ait Paulus, esse hospitalem) nisi per præsentes Antistites fieri nequeunt commodè. Conspectus nanq; pauperis,egenorùmque clamor uiscera commouens, uel eleemosynam exprimit,uel aliam saltem consolationem, qua suam possit miseriam leuare.Huc enim illa spectant,quæ modò circa uerbum Christi tractabamus,nimirum quanti referat uultum pecoris uisu agnoscere,& uocem auditu.Sed ais,quid si episcopus hæc omnia atque alia per alium rectè dispenset? Accidere enim potest, ut alij eficaciores sint prædicatores ipso episcopo, atq; alij ad alia munera doctiores & aptiores, quos cùm suffecerit, munus suum expleuit,ut absens ecclesiæ suæ uiuere possit. Huius autem una responsio est,esse impossibile.Altera præcipuè notāda,quòd episcopi uicarij non sunt perinde constituti ac si sint futuri præsules,sed quasi præsulum adiutores.Et ideo non per hoc excusatur eorum residentia..Debent enim uicarij esse sicut membra in corpore,ipse uerò sicut anima. Christus enim non eos ut operariorum cōstitutores,sed ut operarios misit..Et Paulus non ait,oportere episcopum esse doctoris substitutorem,sed esse doctorem,& ij. ad Timo. ij.Solicitè,inquit,cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem,& rectè tractantem uerba ueritatis. Vbi confusione enim Antistitem aspergit, qui operarius non est.Et alibi admonet,ut qui non operatur,nec manducet. In

summa

ſumma,non uident iſti qui munus epiſcoporum in hoc collocāt, ut bonos ſibi habeant ſubrogatos miniſtros,quemadmodum leges uniuerſas electionis epiſcoporum & paſtorum de medio tollant. Quid enim opus eſt tantam ſolicitudinem & uigilantiam adhibere ad digniorem eligēdum,quantam iura omnia clamant, ſi ſatis epiſcopo eſt alios eccleſiæ ſuę miniſtros delegare? Ergo ſi iura illa certa ratione conſtituta ſunt,planè colligitur perſonalem induſtriam in epiſcopo eligi,atque adeò per ſe reſidendo teneri munia ſua explere.Quare non eſt cur nobis Valerium obiiciant,qui Auguſtinum ſibi ſubſtituit. Id enim fecit ingraueſcente iam ætate,quando uires ſibi non ſuppetebant. Imò nec tunc credendus eſt ſic ceſſaſſe,quin id quod poſſet,efficeret. Imò hinc ſumitur argumentum,quàm ſit neceſſaria præſentia perſonæ. Hac enim de cauſa Petrus Apoſtolus ut Theodoretus refert in lib.de. lxx. diſcipulis, & antiquiſſimus Epiphanius to.ij.c.xxvj. nempe quia illi neceſſe erat tanquam Apoſtolo per alias eccleſias diuagari,ſubſtituit ſibi epiſcopum Romanum,non qui eſſet Papa, ſed qui ſibi eſſet auxiliaris uicarius. Ad eorum ergo argumentationem reſpōdetur,quod etſi unicuique liberum ſit de ſuis proprijs bonis,ut libuerit,per famulum diſponere,in quo caſu quod quis per aliū facit,ipſe facere cēſetur,in publicis tamē adminiſtrationibus longè res ſecus habent. Publici enim magiſtratus,atque illi potiſſimum quibus ob perſonalem functionem iuſta ſtipendia decreta ſunt,non ad iuſtum per uicarios adminiſtrantur. Ecquis enim in conſulem,aut prętorem,aut ducem creatur,ut per alium rē adminiſtraret? Imò uerò in rebus priuatis quis œconomum, pincernam,imò uel coquum,uel quod rei magis arridet, naucleram uel certè aurigam conduxit,qui non munus eiuſdem perſonæ requirat? Quòd ſi magiſtratus alij hanc habent reſidendi naturam,quis non uideat epiſcopatum, qui animabus proſpiciendis,quas Deus & ad ſuum ipſius conſortium condidit,& proprio uitæ diſpendio redemit,primum huius legis obtinere locum? Vnde Paulus ij. ad Corint. nono,Væ mihi ſi non euangelizauero, neceſſitas mihi incumbit. Sed uide quomodo aduerſarij cauere hanc plagam contendunt. Aiunt enim, apoſtolis per ſeipſos neceſſarium fuiſſe prædicare, quoniam in ipſis perſonalis induſtria electa fuit. Epiſcopi autem non illis ſucceſſerunt in apoſtolatu, ſed in epiſcopatu,At uerò,ut fateamur urgētiorem fuiſſe in apoſtolis prædicandi obligationem propter reuelatā eis doctrinam,

tamen

tamen quis neget in episcopis personale etiam industriam, quatenus in episcopatu ipsis successerunt, eligi? Sed neque aliud istorum commentum illis admittendum est, nempe quòd apostoli iussi sunt solis infidelibus prædicare, episcopi uerò solis subditis, imò Paulus sæpe prædicauit conuersis, quòd certè ad eorum cõfirmationem facere debebat. Nec episcopo dicitur, ut aiunt, Vade, prædica populo Dei, sed, populo tibi commisso; cui non repugnat quin aliquando possit & debeat infidelibus prædicare.

Alius uerò cauillus istorum est, quòd etsi Papæ dictum sit, Pasce oues meas, non tamen inde colligitur, quòd residere teneatur in omnibus ecclesijs, atque adeo neque de singulis colligitur, quòd teneantur in suis residere. Quòd autem cauillatio hæc peiori sit nomine digna, quis non planè uideat? Iussus enim est Papa per seipsum pascere, atque adeo in sua ecclesia, quæ Romana destinata est, residere, uel ubi expedire uisum esset. Decet autem propter confluxum orbis illuc, ne per alias diuagetur, sed suos singulis vt Deus ei iussit, episcopos consignet, qui eodem diuino iure teneantur in suis diœcesibus residere. Vnde Paulus ad Thessa. v. Rogamus, inquit, uos fratres ut noueritis eos, qui laborant inter uos, & præsunt uobis in Domino, & monent uos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorũ. Non ergo propter dignitatem, sed propter opus quod residentes personaliter exercent. Alia denique eorum argutia non est responsio digna. Arguunt enim, quòd cùm Papa possit episcopum a sua diœcesi dimouere atque alteri adscribere, fit, ut dispensatio episcopi cum hac ecclesia non sit de iure diuino, atq; adeò nec residentia. Iam enim suprà ostensa est infirmitas consequentiæ, nempe quòd licet Papa possit episcopos summutare, non tamen eorum naturam, & functiones, quæ iure diuino annexæ sunt dignitati. Sed rogas, nonne multa episcopus potest per ministros dispensare? Apparet enim posse, vt ordines conferre, & confirmare, benedicere templa, & ornamenta, &c. Item permulta sunt episcopalia officia, quæ non nisi statis temporibus eademq; rarò fiunt, ut chrisma conficere, & sacris initiare, quæ ideo iugem residentiam non exigunt. Respondetur inter episcopalia munera gradus esse dignoscendos. Quædam n. sunt, quæ licet non ita decenter fiant, tamen non usq; adeo absurdũ est per substitutos illa exercere. Vt sunt chrismatis confectio, & templorũ ornamentorumq; cõsecratio. Est inquã in his,

PPP dum

dum per ticulares episcopos fiunt, indecorum quidam, quòd nõ tanta grauitate, ut decet celebrantur, præterquàm quòd ansa inde porrigitur titularibus episcopis introducendis. Veruntamen non ista sunt munera, quę vrgentissimè residentiam episcopi requirunt, sed alia suprà commemorata. quæ assiduam præsentiam sedulamque diligentiam exposcunt. Imo uerò ut iam diximus, propterea episcopi obligationis residendi obliti sunt, ꝙ non putant alia sibi incumbere onera, quàm lites audire, & semel in anno ordines conferre. Si enim se ignorantium lucem, delinquentium regulam, aflictorum sufugium, egentiumque subsidium ac præsidium (ut uerè sunt) esse cognoscerent, non grãdi opus esset negotio, ut ius residendi persuasissimum haberent. Multa alia hic missa facimus scripturarum testimonia, nimirum satis rati ea, quæ præcipui sunt momenti attulisse. Multasque aduersariorum argutias silentio prætermittimus ad quas utiq; molestius, esset respondere, quàm utile. Quòd autem de episcopo assertum curauimus, de cunctis etiam parœcialibus pastoribus subinde est intelligendum. Sanè cùm & allata testimonia idem sibi uelint licet multò efficacius episcopos urgeant. In apice autem istorum, quæ dicta sunt, hoc licet per seipsum euidentissimũ sit, non erit tamen admonitu superuacaneum, nempe ꝙ residendi obligatio sic præceptum est, ut non sit præcepti finis. Videas enim prę sules in suis quidem ecclesijs residentes, sed tamen adeo oscitanter, & segniter in administratione uerbi, in guberatione in afflictorum consolatione, & pauperum subsidio sese gerentes, ut nihil referat absentesne sint an prę sentes. Residentia. n. propter hæc necessaria est, quæ si non fiant superuacanea, imò quandoq; causa, ut episcopus maiori opprobrio, & uilipendio à sua plebe habeatur.

Ad primum igitur argumentum respondetur, uerba illa formalia, quòd episcopi residere teneantur, nullam fuisse necessitatem, ut in Euangelio exprimerentur. Sanè cùm euidentissimè ex ipsa episcopali functione diuinitus instituta colligantur, ꝙ etiam secundum aduersarios satis est, ut eadem residentia sit de iure diuino. Nam vbi Christus ceu operarios miserit prædicatum Apostolos atque alios lxxij. discipulos, quibus episcopi, & parœciales sacerdotes successerunt, & ubi iubet in Petro cunctis episcopis, ut gregem pascant, & ubi docet bonum pastorem esse, qui nominatim cognoscit oues, & ubi ait Paul. episcopum

ſcopum eſſe doctorem & hoſpitalem, & vbi admonet Timoth. vt ſeipſum operarium inconfuſibilem, verbum veritatis recte tra ctantem exhibeat; & vbi admonet præſules, vt vniuerſo gregi attendant in quo eos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendum eccleſiam Dei; atque in id genus alijs locis, vſque adeo luce clarius reſidētiā paſtorū præcepit, vt fatuū ſit expreſſiora verba requirere. Ad ſecundum iam ſatis reſponſum eſt, quòd etſi ſummam eccleſię iuriſdictionem Petro eiuſq; ſucceſſoribus ſingulariter commiſerit, vbi ait, Paſce oues meas; atq; adeo facultatem eligendi paſtores; modum tamen paſcendi non reliquit ſuo arbitrio, vt eum mutare poſſet. Haud enim in arbitrio eſt Papæ facere, vt epiſcopus non ſit doctor, non ſit hoſpitalis, non ſit uigilator ſuper gregem, quibus muneribus intimum eſt, vt reſideat.

Ad tertiū deniq; reſpondet, quòd ſi Timo. & alij forſan epiſcopi iuſſu Pauli à ſuis nōnunq̃ eccleſijs peregrinati fuerint; id tamē ob eccleſiæ vniuerſalis neceſſitatem factum eſt, atq; adeo per interpretationem eiuſdem diuini iuris, & naturalis. Haud enim ſecum pugnant reſidentiā eſſe de iure diuino, & nihilominus poſſe caſus accidere, in quibus non ſolum licitum, verum & expedientiſſimum ſit epiſcopum a ſua eccleſia in tempus abſcedere.

ARTICVLVS III.

Vtrum reſidentia epiſcoporum iure naturali fundetur.

CVM monſtratum ſit reſidentiam epiſcoporum de iure eſſe diuino, ſubſequitur, vt videamus an ius etiam naturę ſuas rationes eidem veritati ſubminiſtret? Arguitur nanque a parte negatiua; Euangelicus epiſcopatus, ordo eſt ſupernaturalis; quippe cum fundatio ipſa eccleſiæ ſuper naturam fuerit à Chriſto inſtituta; non ergo epiſcoporum reſidentia in iure naturali fundatur. Secundo: Si iure naturali eiuſmodi reſidentia iuberetur, nulla ratione poſſet ſuper eo diſpenſari. Nam vt lib. ij. de Decalogo pronuntiauimus, ob id indiſpenſabilis eſt, quòd indiuiduū habet à natura obligandi vinculum; & tamen, vt in ca. 4. patebit, ingruere ea neceſſitas poteſt, vt legitimè à ſua eccleſia epiſcopatus abſens fiat. Tertio denique arguitur; Eſto de reſidentia præceptum agnoſcamus, natura tamen pręceptorum affirmatiuorum eſt, ut non obligent, (quod aiunt) pro ſemper. Non ergo

iugis continuaq; residentia necessaria est. In contrarium est, quod cum ius naturæ, autore Deo, mentibus nostris insculptum sit, explicandis et fidei legibus ab eodem Deo promanantibus, multū inseruit. Nam diuinæ leges naturalium perfectrices existunt.

IAM supra dictum est naturale ius esse, quod natura nos docuit; atque adeo minime repugnare, ut quod diuino iure sancitū est, naturali etiam quadamtenus roboretur. Respondetur ergo ad quæstionem, affirmatiua hac conclusione: Obligatio residendi quàm proxime est naturali iuri affinis. Enimuero quamuis episcoporum institutio iure sit facta diuino; tamen ut supra dictum est, rationibus naturalibus eius congruētia innotescit; atq; adeo modus episcopalis administrationis eisdem rationibus elucidatur; quas quidem in superioribus adeo insinuauimus, vt hæc non sit nisi explicatior repetitio. Primum igitur argumentum sumit ab officio. Enimuero cum pastoris officium, vt dictum est, sit spirituali animarum saluti prospicere, functio hæc bipartita est; népe, vel respectu gregis infirmantis, ac deficientis, ut iuuetur sanetur q;, uel respectu eiusdem sani, vt ad perfectionem promoueat. Defectus autem & quantum ad intellectum accidere pōt, & quātum ad effectum. Est ergo pastor ignorantium lux. Nam Vos, inquit, estis lux mundi. Lucem autem natura docet nisi præsentem lucere non posse. Illis autem qui de via decedunt, est ciuitas supra montem posita, cuius uitæ sydus aspiciens populus recto tramite incedere debet: in conspectu autem populi nisi resideat, esse non potest. Condiendis uero corruptis affectibus est sal, qui in operibus uirtutis ostendere saporem debet. Denique ægrotis est medicus. Nam talem se appellauit Christus, vbi ait: Non est opus ualentibus medico, sed male habētibus. Perspice ergo quæso te, utrum si rex selectissimum medicum eligat, cui iusta stipendia pro ratione suæ facultatis exoluat, ferre queat, vt ubi corporalis sibi uita periclitatur, per aliū seruiat? Si ergo in medico corporali industria personę expetitur & optatur, quis neget tanto id iustius in medico spirituali, quanto temporali uitę spiritualis præstat? Et denique episcopus, ut supra diximus, auriga, nauclerus, dux, fidelisq; seruus ac dispensator mysteriorum Dei. Et, tamen si ad rempublicam ciuilem spectes, quisnam mortalium permitteret hæc per uicarios exhiberi? Cur ergo Deus id permittat? Re uera naturę ius aperte reclamat. Sūt etiam ad arcendum hostes, custodes & vigiles, quòd absentes esse nequeunt. Respe

ctu

Qu ãt gregis ẽt si sanus esset ab hostibus tutus, summũ epi officiũ; est, ut iã supra diximus, & in sua consecratione hr̃; ad perfectum plebẽ perducere, quòd de Baptista Lucæ 1. legit, ut sit sine macula & ruga, ac perinde digna, quæ in conspectu Dei appareat. Ad hæc ãt rõ naturalis manifeste demr̃at industriam, atq; adeo præsentiã personæ requiri. Secundus locus idẽ naturaliter demrãdi sumit ex stipẽdio, quod, ut suprà satis probatũ est, nõ pro sciã aut morũ probitate, aut nobilitate, aut dignitate episcopali, sed pro præsidẽtia, & functione, atq; adeo pro exercitio ipso, & opere, & usu penditur, ut Nume. 18. admonitio diuina habet, & 1. ad Corinth. 9. docet Aposto. Vbi nanq; stipendium pro opere penditur, naturalis ratio illico demr̃at non satis esse uicarium constituere, etiam si digniorem teipso substituas. Est enim ille uelut auxiliarius, qui ideo episcopum non excusat, quin præsens, quod ualuerit, efficiat. Sed tertius locus sumitur ex detrimẽtis quę episcoporum absentia progignit, & parturit. Horum aũt potissimum est, idq; nisi omni sensu careant pastoribus extimescendũ, quòd propter eorum negligentiã creberrime multæ aĩæ perpetua morte pereunt, quę quidem si secundũ suam obligationẽ diligentes essent, sempiterna felicitate fruerentur. Reuise illud supra citatum oraculũ, Ezech. 34. Postq̃ enim ait Deus, Væ pastoribus Israel, eorumq; negligentiam in consolandis infirmis &c. recenset, subdit. Ecce dispersæ sunt oues meę, eo quòd non esset pastor, & factę sunt in deuorationem omniũ bestiarũ agri. Ecce, eo quòd non esset pastor, Non quòd nullus esset; aliàs non dixisset, Væ pastoribus Israel; sed quòd nullus legitime suam expleret curam. Et ideo subdit: Et ego de manibus pastorum meorum oues meas requiram. Huc uellem attentos habere Christi pastores. Si Rex charissimos filios negligentia pedagogi custodisq; eorum trucidatos conspiceret, quìsnam regiam iracundiã ferre posset? Cum ergo Deus (quod sæpe, & sæpius, ac sæpissime usu uenire solet) pastorum incuria priuatum se viderit animarũ contubernio, quas, vt sua ipsius gloria fruerentur, condiderat; quarumq; gratia filium suum qui pro illis moreretur huc demisit, easdemq; in infernorum abysso perpetuo trucidandas conspexerit, quęnã rogo nõ suppliciorum genera a b infidis illis, & tã insigniter sacrilegis pastoribus non reposcat? Quin vero non solũ in pastores ipsos prauos indignari solet Deus, verum, & ob ipsorũ prauitatem indignatio eius dimanat in populum. Sic enim legitur. Nume. 19.

Excubare

Excubare in custodia sanctuarij & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio mea super filios Israel. Non quòd ob alienam culpam populus ęternaliter puniatur, sed quòd uel ex eò quòd in populo nunquam ingentissimus delinquentium numerus deest, qui prælatorum suffragijs sustentari debet, illis cessantibus indignatur Deus in populum ob sua ipsius crimina, uel quod cessantibus episcopis manus cum Moyse ad cœlum cum precibus leuare, atq; adeò negligentibus populi curam, facilè à suis hostilibus cupiditatibus prosternitur, dignúsq; adeò fit indignationis Dei. Cùm ergo ex absentia pastoris tam præsentaneum moderando gregi emineat negligentiæ periculum, naturalis profectò ratio planissimè demonstrat. quàm debeant pręsentes aduigilare.

Mox & præter gregis detrimentum eadem præsulum absentia indecorum aliud in Christiana republica peperit. Nam cùm ob personalem residentiam ius cogat unicuiq; ecclesiæ suum mancipare episcopum, ubi persuasum habent licere sibi absentes esse, pro inconuenienti non ducitur, ut quis plures habeat ecclesias, quarum simul fructus unus percipiat. Id quod in Concilio Lateranensi prohibitum est, ut patet cap. Quia nonnulli. de reg. & xx. q.j. can. clericos. Ac deinde protinùs mos in ecclesiam ingestus est episcoporum titularium, per quos quemadmodum ordines atque reliqua episcoporum sacramentalia perficiantur, experientia ipsa testimonio est. Inde enim emanauit, ut eiusmodi spiritualia uęnundentur, adeòque tractentur abiectè, ut in cõspectu Christiani populi despectui habeantur. Accedit quartò quòd cùm episcopi cultores instituti à Deo sint animarum, messorésq; adeò spiritualium frugum missi, ipsi per se deberent in conspectum Domini portare manipulos suos, quod re uera qui per alios gubernant, minimè faciũt. Ipsiq; talenti sui usuras quas per se accumularent Deo reddere, & tanquam legitimi pastores exemplo cœlestis illius qui illos instituit, oues suas proprijs humeris baiulare, propriisq; manibus contrectare. Sic enim de illo præcantauerat. Isai. ca. xl. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo cõgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. His nanque atq; id genus alijs exemplis Damas. Papa, ut in illa suprà citata epistola .iiij. uidere est, chorepiscopos explodere sanctè curauit, qui quidem nõ ita multum ab istis titularibus differebant, ut lxviij. dist. can. ecclesijs. & duobus sequentibus explicatur. Et potissima causa eos abigendi & extinguendi fuit,

quòd

quòd legitimi episcopi illis suos greges pascendos committebant,ut otio ipsi torpescerent,instar,ut ait ille sanctus Pòntifex, meretricum,quæ statim ut pariunt infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos,ut suam citius libidinem explere ualeant.Sic enim miserandi episcopi faciunt,dum sibi commissos populos uicarijs educandos concredunt, ut liberiùs ipsi secularibus curis inhient.Perspice ergo quam ratio naturalis persuadeat,ut qui ecclesiæ desponsantur, proles Christi sanguine per se progignant suisque propriis uberibus lactent. Nam sponsa,ut in Canticorum capite legimus, sponso ubera tribuebat,eadèmq; super uinũ unguentis optimis fragantia.Quę profectò cùm in episcopo sine usu sunt,ultore Deo, deficcantur. Sed ò temporum calamitas. Istarum nanq; omnium necessitudinum obliuio obligationem residendi obscurauit. Quis enim iam se, ut sponsum ecclesiæ suæ gerat, & ut subditorum patrem? Pau. quidem inter suos episcopales labores & Ecclesiarũ solicitudinem id potissimum j. ad Corinth.ix. commemorat,quòd & Iudæis Iudęus fieret,& gentilibus gentilis, & infirmus infirmis, ac denique ad omnium se accommodaret affectus, ut omnes Christo lucrifaceret. Et in posteriori ad eosdem Corinth. Quis infirmatur,& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Iam uerò nunc temporis hic charitatis gradus adeò aboleuit ab usu,ut nullibi zizaniorum seminator peiora scãdala, quàm inter episcopos & capitularia sua collegia seminauerit.Id quod episcoporũ multi causantes sibi prætexunt,ut suam absentiam excusent,cùm tamen enitendum illis summoperè primùm esset,canonicos paternis uisceribus lucrari,quod si perficere nequirent, non ideo illis esset de diœcesi decedendum. Nam propter paucorum culpam, non esset grex totus deserendus, imò adeò uigilanter curandus & colendus, ut clericorum proceres pudore conuicti deuinctas eis manus offerrent.

ET per hæc ad argumenta in capite quæstionis proposita responsum nobis censetur. Prioris enim solutio est,tum quòd episcopalis dignitas nõ usque adeò est supranaturalis,quin sit rationi naturali germana,tum etiam quòd etsi sit supranaturalis, illa tamen supposita,tunc ratio naturalis modum quo administranda est,plurimùm elucidat. Posterioris autem respõsio articu. iiij. patebit,ubi constabit ius etiam ipsum naturale ac diuinum nonnunquam causas offerre, ob quas liceat episcopis suas diœceses

exire,

exire. Ad tertium denique respondetur, præcepta affirmatiua propterea non obligare pro semper, quòd obligant pro loco & tempore, & cum reliquis circunstantiis, quamobrem nec episcopus obligatur semper prædicare aut ordinare, &c. Attamen quia multa eius munia sunt, quæ non habent determinatum tempus, sed creberrimè & præter spem eorum necessitas offert ur, tenetur in sua semper esse diœcesi, nisi in casibus quibus ius ipsum diuinum & naturale ei absentiam indulget.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum episcopi iure humano, hoc est pontificio, residere teneantur.

QVANVIS post diuinum ius & naturale non ita multùm nosse de humano referat, conducit tamē ad omnimodam obtinendam uictoriam. Arguitur nihilominus de more ab utraque parte. Aut enim residendi obligatio iure diuino ligat, aut secus, si iure diuino, superfluebat ius Ecclesiasticum, quoniam humanum uinculum urgentius esse non potest diuino, sin minùs, uidetur ecclesia rigidius iusto id præcepisse. Nam cùm res sit tam grauis, ut præsules arbitrantur, non debuit ecclesia diuinum ius onerosius reddere. Secundò arguitur, Si residentia, iuris diuini est, tunc præceptiones de illa pontificiæ, esse nō possunt nisi eiusdem iuris declarationes, atque adeò dici non potest ut sit de iure humano. In contrarium est totus titulus de cleri. non resident. nēpe ca. Quia. & cap. relatū. & reliqui, ubi qui absentes à suis sunt parœcialibus ecclesijs, anathemate atque alijs pœnis plectuntur.

QVO tandem nullum suffugium reliquum fiat, sed palàm pastoribus sit citra ullam controuersiam ad residendum esse perstrictos, adhibetur in hoc iij. articu. postrema conclusio, Residentia episcoporum ac perinde sacerdotum animarum curam gerentium iure humanò, putà ecclesiastico sancita est, & sub pœna peccati mortalis constituta. Hæc aūt cōclusio nō perinde intelligenda est, ut ꝙ singulis ānis fiat cōfessio, & quadragesimalis abstinentia, singulorùmq; festorū, multarùmq; ceremoniarū obseruantia. Ista enim licet ab Apostolorum seculo censeantur instituta, haud tamē ab ipso christo immediatè, sed ab ecclesia per potestatē illi ab ipso collatam cōdendi leges. Præceptum autē Ecclesiasticum residentiæ est explicatio diuinæ institutionis. Distinguit enim

Pau.j.ad Corinth. vij.inter hæc duo,ubi ait, Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio,non ego,sed Dominus. Nam cæteris ego dico,non Dominus. Est ergo differentia, quòd quæ sunt de iure humano, etiam si per potestatem diuinitus traditam sint constituta,nulla tamen vi pollerent obligandi nisi ab ecclesia essent præcepta. Quæ autem sunt de iure diuino, etiam si ecclesia de illis nihil decreuisset, obligassent. Huius ergo secundi generis est obligatio, qua præsules ac pastores residere coguntur,siquidem vt dicebamus, lex diuina est. Dicitur autem de iure humano,propterea quòd ecclesiasticis sanctionibus ius idem diuinum explicatur. Imò vsque adeò eisdem sanctionibus iubetur, ut et qui proterua obstinatione ius diuinum agnoscere noluerint, cogantur nihilominus ius pontificium fateri. De hoc enim nemo doctorum, aut Theologiæ, aut canonici iuris hæsitauit unquàm sed solùm pastores quorum id nosse confiteriq; potissimum refert, facto ipso diffitentur. Nam usque adeò,non quidem tuti, sed securi a suis ecclesijs peregrinantur, ac si omni essent iure liberi, cum tamen hoc citra ullam controuersiam confessissimum esse debet, quòd etiam si solo iure pontificio residere tenerētur (quod ius proculdubio planum ac firmum est) nequeant absq; dispensatione, eademque ob legitimam causam petita, & obtēta,notabilem moram extra suas diœceses protrahere. Conclusio ergo plurimis iuris testimonijs irroboratur. Primò enim, ut dicebamus, extra de clericis, non resident. cap. quia nonnulli Concilij Lateranen. sancitum est, ut ecclesiasticum ministrorum neutiquam committatur nisi personæ, quæ residere in loco, & curam ecclesiæ per seipsum valeat exercere. Quamobrem arctissimè illic inhibetur, ut nemo duas parœcias quibus per sese residere non possit, retinere ualeat, neque fructus earum percipere.& in c.xxxij. eiusdem Concilii eadem prohibitio reperitur, nempe ut qui parœcialem ecclesiam habuerit, non per uiarium, sed per seipsum illi deseruiat, nisi forsan præbendæ, uel dignitati parœcialis ecclesiæ sit annexa. De qua quidem exceptione statim cap. proximo redibit sermo. Idemq; subinde Alexand. III. cap. relatum. eodem titu. confirmat. Idemq; Cœlestin. c. ex parte. & Inno. cap. qualiter,& aliis duobus subsequentibus. Et in Concilio Antiocheno, cap. xxi. strictissime inhibetur episcopus a sua diœcesi exire. Et in concilio Sardiensi, canon. xiiij. prohibetur,ne episcopus in aliena prouincia ultra tres dominicas cō-

moretur. Idemq; habetur in Concil. Agath. quod refertur vii. q. j. can. si quis. & can. ix. Et duobus sequentibus eiusdem Concilii Sardicen. prohibentur accessus episcoporum ad principum curias, sanè, quæ sine inuidia hominum; & reprehensione esse nō possunt. Adeòque illud prohibitum est, ut si quæ iustæ emerserint causæ, uidelicet pro pauperibus, aut uiduis, aut pupillis tuēdis, tunc diaconum mittant, ut ipsi in suo grege permaneant. Idemque habetur in sexta synodo, cap. xviii. & lxxx. Atque in concilio Romano sub Syluestro, & Constantino can. xvii. arctissimè idem accessus ad curiam interdicitur, quia curia, inquit, à cruore dicitur, quoniam immolatio est simulacrorum. Et in concilio Calcedonen. ca. xvii. quod xcii. dist. refertur. Si quis episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit, & præesse populo cōstitutus ministerium subire neglexerit, neq; acquieuerit ad ecclesiam sibi cōmissam redire, hūc oportet cōione priuari donec susceperit coactus officium. Hæc aūt pœna ingentis criminis indiciū est. Et xxj. q. j. can. Clericus residentiæ grã ꝓhibet, ne q̃s in duabus ecclesiis connumeret. Idq; diuino testimonio confirmat, quia nemo. s. pōt duobus dominis seruire. Et in viii. synodo, can. xix. prohibet, ne quis archiepōrum aut metropolitanorum relinquat propriam ecclesiam, sub occasione quasi uisitationis ad alias accedat. Et in Concil. Carth. v. quod refert vii. q. j. c. placuit. hr̄, ut nulli sit facultas, relicta principali cathedra ī aliquā ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, uel in re propria diutius q̄ oportet constitutū curā, & frequentationē propriæ cathedræ negligere. Et eadem can. & qōne can. Sciscitaris. ait Nicolaus Papa, perinde iuri naturali aduersari epm in perfectione ecclesiam deserere, ac si nauta sæuiētibus fluctibus nauim destitueret. Et x. q. j. c. decreuimus. iubent epi annuatim diœcesim visitare. Quin uero lxxxij. dist. c. eps. iubentur saltē die Dominica esse in ecclesia. Plura deniq; sunt iura, quam vt possit referri. Et quo rē tandem concludamus, eadem demū ueritas nouissimo decreto sancita est in Concil. Triden. sessione vj. quod definitum est, nullos epos quouis gradu, & dignitates (ut Cardinales etiam comprehenderentur) excusari à personali residētia episcopali in suis ecclesiijs, nisi legitima habeant impedimenta, nempe quæ iure ipso naturali probentur. De quibus ar. proximo. Iuri insuper canonico appenditur, & imperatorium. Primò in Authentico, quomo. opor. epis. &c. coll. j. §. & hanc uer. & illud sic legitur,

& illud

& illud etiam definimus, vt nemo Deo amabilium episcoporum foris a sua ecclesia plus, q̃ per totum annũ deesse audeat, nisi hoc per Imperialem fiat iussionem. Idq; latius cauetur in Authen. de sanctis. episcopis. colla. 9. §. interdicimus. vbi arctissime prohiben tur suas proprias relinquere ecclesias, nisi de cõsensu patriarcha rum aut metropolitani. Similis enim sanctio habetur in Concilio Antiocheno, can. 11. Permittitur tamẽ, vt possint per annum manere in curia Cæsarea. Sed de hoc statim articulo proximo.

Quòd si post concilia sanctos etiam patres de hac re audire non piget, vide Damasum in epistola citata de exigendis chorepiscopis; & Aug. in lib. de pasto. & Greg. Nazian. in oratione de statu episcopali; & Chryso. in lib. de sacerdotio. Et Grego. atque Amb. in suis Pastoralibus. Sed latissime Hier. in 2. epist. ad Oceanum, super illud Pauli ad Titum; Oportet episcopum sine crimine esse. Vbi multa ad propositum differit; concludens quòd non sat est episcopis innocentibus esse, nisi & latratu sint canes. absentes autem latrare non possunt. Vnde Bernardus serm. 77. super Cantica; Quid dimittit, inquit, oues in pascua absq; custode, pastor est, non ouium, sed luporum. Ibidemq; complura pręclare aduersus pastorum negligentiam diserte cõgerit; qui re vera successores, inquit, Apostolorum esse cupiunt, sed imitatores non item; quia neque sunt tam vigilantes ad curam, q̃ alacriter currẽtes ad cathedram. Et li. citato de pastor. Aug. ca. 10. docet, quòd episcopi non laborãtes in prædicatione verbi non debent percipere fructus ex ouibus; nam Pau. Si euangelizauero, inquit, mercedem habeo; nempe tam apud Deũ quàm apud homines. Quasi dicat; Si non euangelizauero, non sum mercede dignus. Et Origen. super Iosue, homil. 7. cessantes esse cum ouibus reprehendit exemplo pastoris Christi, qui relictis. 99. ouibus in cœlo, quæsitũ venit illam quæ perierat. Sed pergo esse molestus; cũ omnia persequi quæ de hoc argumẽto apud patres scripta sunt, sit prorsum impossibile, & sic frustatim pauca decerpere, parum vtile. Concludamus ergo cum Bernardo de persecutione sustinenda. c. 31. super illud, Mercenarius vidit lupum venientem, & fugit; Vtinam hodie quicunq; pastores non sunt, mercenarios gregi vellent se exhibere, non lupos. vtinam ipsi non lęderent. Vtinam non fugerent nemine persequente, vtinam non exponerẽt gregem donec uementem lupum viderent. Taceant ergo, qui aiunt quæstionem illam nouam esse. Fuit enim, vt ex locis citatis apparet, an

tiquiſſima, ac potiſſimum ex Athana. epiſtolis, quas articulo proximo appendere pergimus. Antiqua inquam, non quòd in dubio apud probos verſaretur; ſed quòd qui contra faciebant obiurgabantur.

AD argumentum ergo prius à parte negatiua præpoſitum reſpondetur, quòd quamuis ius diuinum ſit, quo eiuſmodi reſidentia indicitur, non tamen fuit ſuperuacaneum, imo ex re plurimum communi eccleſiaſticis cõſtitutionibus explicari; vt nemo ſibi eius ignorantiam prætexere poſſet; pręterquam quòd etiam ſi diuinum ius non extaret in ſacris literis, natura ipſa paſtoralis officij eccleſiam admonebat, vt ipſum ſtrictiſſime præciperet. Neque vero huiuſmodi præceptio tam eſt rigida, q̃ vel auaritia, & ambitio, vel luxus, & ſocordia epiſcopis mentiuntur. Nã præterquam quòd fructuum temporalium pinguedo digna eſt illo labore, Chriſti charitas, qui illis ſuos greges concredidit, deberet in primis rem illis dulcorare. Ecquid enim cuique ſuauius q̃ in domo propria ſponſum cum ſponſa, patremq; cum filijs commorari? Ad poſterius vero argumentum iam reſponſum eſt, quomodo hoc dicatur ius humanum. Haud enim intelligendum eſt per excluſionem, ac ſi non ſit diuinum aut naturale, ſed quòd ſit horum explicatio.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqua emergere poßit cauſa, ob quam liceat epiſcopo à grege ſibi commiſſo abeſſe.

Sanct. Thom. 2. 2. quæſtio. 185. ar. 5.

IN calce demum pręſentis diſputationis ad expoſitionem D. Thomę reuertendum nobis reſtat; nempe ad articulũ v. eiuſdem quæſtionis 185. vbi diſputat vtrum aliqua poſſit cauſa intercedere propter quam liceat epiſcopo gregem ſibi cõmiſſum deſerere. Sumitur enim argumentum a parte negatiua; primum ex illo loco Ioan. x. ſupra iam expoſito, vbi ait Chriſtus, bonum paſtorem animam ſuam dare pro ouibus ſuis, mercenarium autem viſo veniente lupo gregem relinquere, & fugere. In cuius homilia Greg. Lupus, inquit, ſuper oues venit, cum quilibet iniuſtus, & raptor fideles quoſque atque humiles opprimit. Si ergo epiſcopus ingruente tyranni perſecutione, gregem ſuo præſidio

deſtituat,

destituat, mercenarius, & non pastor reputabitur. Secundo; Inter Prouerbia.ca. 6. sic legitur; Fili, si spoponderis amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Et subdit; Discurre, festina, suscita amicum tuum. Quod quidem idem Greg. in Pasto. ad propositum exponens; Spondere, inquit, pro amico est animam alienam in periculo suę conuersationis accipere. Qui autem ad viuendum alijs in exemplum preponitur, non solum, vt ipse vigilet, sed & vt amicum suscitet, admonetur; hoc aūt facere nequit nisi qui corpore presens adsit gregi; ergo tēpore persecutionis nemini pastorum licet se subducere. Tertio; Ad perfectionem episcopalis status pertinet animarum curam gerere: nemini autē perfectionem professus licet ea que ad perfectionem attinēt, ob vllum periculum deserere; ergo episcopo, cum statum perfectionis profiteatur, nullatenus neq; in periculo mortis cōstitutus potest, vbi suum officium exigitur, terga uertere. In contrarium est illud Christi mandatum Matth. x. ad Apostolos, Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam.

AD questionem, Diuus Thomas, duabus cōclusionibus respōdet. Prior; Neutiquam episcopo aut pastorum ulli ubi subditorū salus eorum exigit presentiam, licet illis se personaliter subtrahere, neq; propter aliquod cōmodū tēporale, neq; propter quodnis periculum imminens. Probat conclusio; Obligatio cuiuscūq; persone ex fine eiusdem obligationis (quod cuiusq; medij natura est) debet perpendi: finis aūt epalis muneris, atq; adeo obligationis episcopi est spiritualis salus populi, ergo ubi illa presentiā eius exegerit, nullum periculum eum excusabit, quo minus adesse teneatur. Id quod testimonio Christi confirmatur, nā si animā pro ouibus ponere tenet, quod, vt ait Philosophus, terribilissimū est oīm terribilium, nullum minorum periculorū culpam excusabit, atq; adeo neq; vllum temporaliū commodū quādoquidē natura facilius indulgeat detrimēta euitare corporalia, quā cōmoda procurare. Secunda conclusio; Quando legitimus pastor satis pōt saluti plebis per alium prouidere, & consulere, tunc nō erit ei nefas, etiam, vt proprium persone periculum euitet, a sua ecclesia in tempus secedere. Imo uero ubi id ex re fuerit ecclesia, expediens erit ut faciat. Conclusio ex superioribus colligit, nam tunc fini obligationis nullatenus aduersat. Vnde in epist. ad Honoratum Augustinus. Fugiant, inquit, de ciuitate in ciuitatē serui Christi; quando eorum quisque specialiter a persecutoribus

ribus quęritur, ut ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur ecclesia. Cùm autem omnium est cõmune periculum, hi qui alijs indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Idem suprà citatus admonet Nicolaus vii. q. j. cano. sciscitaris. ubi nõ negat quin quandoq; liceat præsuli per fugam cauere tyrannum. Attamen quando populus sua præsentia indiget perinde, ait, delinquet, ac si nauta in periculo nauim deserat. Quin uerò tantò enormius quantò salus spiritualis præstantior est corporali.

Hic primum omnium animaduertenda est sententia. S. Thomæ, quæ ex uisceribus Euangelij desumpta est. At quò perspicacius fiat, quæritur, utrum fides quam episcopus ecclesiæ suæ, imò Deo suo obstrinxit, usque ad mortis perpessionem eum, ut resideat, obliget? Apparebit enim hoc sciolis prima fronte creditu durum, quoniam obligatio subeundæ mortis, quæ mortalibus summa est, affirmari non debet nisi diuinum de hoc mandatum palàm constiterit. Et tamen ubi ait Christus, bonum pastorẽ pro ouibus suis animam dare, consilium magis significare uidetur, quàm præceptum. Verbum enim illud, Bonus pastor, non uidetur necessitatem, sed supererogātionem præ se ferre. Accedit, quòd martyrium tunc duntaxat ubi fides periclitatur, confessionemq; sui exigit, necessarium est. Obligare autem episcopos ad martyrium, ubi fidei tale periculum non imminet, temerarium apparet. Nihilominus indubiè tenenda est pars affirmatiua, quam hic expresse Diuus Thomas in priori conclusione affirmat, quando quidem ait propter nullum imminens personale periculum licere episcopo ecclesiam suam tempore necessitatis deserere. Idque confirmat testimonio Christi, quod ideo in sensu præceptorio intelligit, sic scilicet quòd nemo sit bonus pastor bonitate, quæ ad gratiam amicitiamq; Dei retinendam necessaria est, nisi ubicunque necessitatis casus occurrerit, cùm periculo uitæ gregi suo fauore & auxilio præsens usque ad mortem adfuerit. Idq; Augusti. suprà ad Honoratum citatus asseueranter enuntiat, dicens, quòd instante persecutione episcopus non potest fugere, sed exemplo Christi debet animam pro ouibus suis ponere. Verbum nanque, non potest necessitatem præcepti significat. Vnde sanctus Thomas secunda secundæ, quæstione uigesimasexta, artic. v. ad tertium argumentum ubi ait non semper charitatis necessitatem obligare hominem ad offerendam uitam pro amico, casum excipit, quo tenetur eius saluti prouidere, ad officium potissimè episcopi alludens.

alludens. Ab hac ergo ueritate, de qua nemo unquam ambigere quiuit, peregregium argumentum sumitur, residentiam esse de iure diuino. Nam si non esset nisi de iure positiuo, cùm pontificia præcepta, ut quadragesimale ieiunium, & festi obseruatio, ut lib. j. scriptum reliquimus, non consueuerint usque ad periculũ mortis obligare, non facilè persuaderes teneri episcopum in periculo mortis residere, eò potissimùm, quòd, ut suprà uisum est, prædicti autores uerbum christi de se propriè assertum arbitrantur, & tamen si illud uerbum neges uim habere pręcepti, nihil relinquis, unde inferatur teneri episcopum tempore necessitatis uitam pro suo grege ponere. Quæ tamen omnium est generalis confessio. Ad argumentum ergo in cõtrarium respondetur, huiusmodi pręceptum nõ esse censendum atrox, quin uerò cùm tota salus temporalis orbis medium sit ad spiritualem promouendam, idq; usque adeò sit certum, ut Deus ipse temporalem uitam, corporalium præstantissimum pro salute nostra posuit, naturalis ordo diuinùsque postulabat, ut qui pastores animarum futuri essent eodem tenerentur pręcepto. Neque ullus antea ad id muneris eligeretur, quàm idoneus esset inuentus, qui illud optima fide compleret. Imò uerò & rex tenetur pro sua republica uitam ponere. Quocirca sicuti ubi fidei cõfessio id monuerit, martyriũ est mortem oppetere, sic & ubi hæc ratio iustitię idipsum postulauerit. Cuius nobis Ioannes Baptista documentum reliquit, qui iustitiæ defendendę caput obtulit. Hinc facilè ad posterioris conclusionis expositionem descenditur, nam ex his quæ dicta sunt, elicitur, causas omnes, ob quas licitè pręsul potest à sua ecclesia abscedere, nullatenus existimandas esse respectu suæ propriæ personæ, quandoquidem & uitam ipsam ecclesię debeat, sed tantùm respectu boni ecclesię, cui fidem habet obligatam. Quare etsi Caieta. imprę̨sentiarum easdem causas sub tribus generibus complectatur, quæ sunt, Necessitas impedimenti, qualitas negotij, & conditio personæ, ad commodum tamen ecclesiæ sunt omnes referendæ. Atqui impedimentum, aliud est quod ab intrinseco prouenit, & aliud, quod ab extrinseco. Ab intrinseco scilicet, ut est aduersa episcopi ualetudo, ratione cuius solum & aerem mutare debet. Et quòd hoc etiã debeat respectu ecclesię pensari, patet. Nã si etiam tunc ecclesia necessitate præsentiæ Antistitis premeretur, occumbere potius deberet morti, quàm exire, secundùm legem boni pastoris à Christo pręscriptam. Quando autem non usque adeò

ecclesia

ecclesia affligatur,in rem eius uergit, quòd episcopus suæ saluti consulat,ut expeditiùs ei seruire possit.Neque uerò solius ualetudinis gratiâ,uerùm & animi recreandi suósque uisitandi necessarios ius naturale indulget, ut possit exigua tempora succidere, quæ his,aliisve id genus suis negotijs possit impendere.Nam eiusmodi obligatio non est intelligenda ac si deberet esse in carceribus,cōpedibus uinctus. Pari modo censendum si impedimētum forinsecus ingruat,ut cùm tyrannus ecclesiæ infestus est. Nam si non singulariter in odium præsulis,sed in ecclesiam ipsam grassatur,tunc persistendum illi est usque ad mortem. At ad hanc necessitatem applaudunt exempla Augustini ad Honora. suprà allata. Et de uerbis Domini ser. v. de Petro & Paulo, ac cæteris sanctis martyrib. qui pro suis ecclesijs,exemplo christi, tyrannorum gladijs occubuerunt.Si autem ob particularem inuidiam prælati tyrannus est infestus ecclesiæ,tunc etiam ex re eiusdem ecclesiæ est, ut in tempus sese inde auferat,sicuti ibidem idem ait Augusti. ne subditi fugere cogantur. Cuius exempla nobis extant in Ioanne Euangelista,qui præcibus suæ ecclesię,ut expediebat, secessit, & in Cantuariensi Thoma. Sed tamen posteà dum opus fuit, ad easdem sedes cum periculo uitę remeàrunt. Qualitas autem negotiorum similiter respectu eiusdem ecclesię pensanda est,ut legitima inde petatur absentiæ excusatio. Est enim triplex particularis ecclesiæ habitudo animaduertenda.Consideratur inquam generalis utilitas Salmanticensis ecclesiæ ad singula eius ministeria, ut prædicare,uisitare,&c. ut totum ad singula membra.In ordine autem ad uniuersalem ecclesiam Romanam, sicuti membrum ad caput,seu ad totum corpus.In ordine autem ad alias ecclesias, sicut unum membrum ad reliqua eiusdem corporis.Et omnes istæ necessitudines,iustas possunt episcopo afferre cās secedendi ab ecclesia,etiam iure diuino & naturali.Quando ergo ecclesia particularis in aliqua est calamitate constituta,tunc ob primam habitudinem totius ad partes potest eius episcopus ab alijs muneribus & officijs cessare,& accedere curiam uel Romanam uel Regiam ad protegendam suam ecclesiam,idque iure diuino & naturali.Quandoquidem non solùm alia particularia officia, uerùm etiam hoc,idémq; præcipuè ei debet,dummodo per alios id perficere non possit.Si autem necessitas uniuersalis ecclesiæ absentiam episcopi expetiuerit,nemini dubium,quin diuino iure & naturali cogatur abscedere.Nam sicut membrorū singula naturali

ordine

ordine se saluti tuendæ capitis obiiciunt, ita & ecclesiæ particulares sese tenentur offerre, atque adeo suos episcopos communi bono. Perplacet autem hic adnotamentum domini Caietani non solum ob suam doctrinam, verum & ob suam dignitatem, qui Cardinalis erat Romanus. Ait quippe iudicium hic esse adhibendum, quo discernatur an personalis opera, & industria episcopi sit ecclesiæ uniuersali necessaria. Nam si necessaria non est, non excusatur eius absentia. Exempli gratia, Dum Concilium œcumenicum, aut prouincialis synodus indicitur, constantissimum est debere iure diuino episcopos illuc commeare. Nam Concilium, est ecclesiarum cœtus, & nomine ecclesiæ uenit episcopus. Pari modo, si citra concilium expedierit Papæ propter egregiam doctrinam, aut singularem autoritatem personæ aliquem episcopum accrescere, cuius consilium in commune bonum capiat, licebit quidem ad tempus eum e sua sede euocare. At uero si quia eleganter scribit aut psallit, uult illo pro amanuēsi, aut cantore uti, uel uult eum esse auditorem cameræ aut rotæ, cum id non sit necessarium per episcopum exequi, imò abundāt qui eiusmodi prouinciis obeundis præsto adsint, profecto non est legitima apud Deum excusatio, eò potissimum, si residentia, ut verè res habet, iure diuino sit necessaria. Nam inde certum fit non posse Papam dispensare nisi idem ius naturale ac diuinum interpretādo, quod quidem nisi in uera, & legitima necessitate neminem excusat, qualis in similibus casibus neutiquam occurrit.

Haud æquidem nescio nonnullos iuris prudentum huc nobis obuiam exituros, qui aiunt eos qui Romæ resident, residentes censeri in suis ecclesiis, nēpe quòd qui residet in capite, resideat in membro. Attamen hoc esse merum figmentum, neque Caietanus, iuris non ignarus, affirmare ueretur, neque ullus iuris, aut Theologiæ peritus non plane uidet. Cum enim ius diuinum sit ut vnicuique diœcesi suus mancipetur episcopus, idque, ut demonstratum est propter peculiarem curam, & uigilantiam, quæ eidē ecclesiæ est necessaria, planè colligitur ꝙ residere Romæ, nō solū non sit residere Salmāticæ, uerū neq; absentiam non residentis excuset, nisi legitima id exigente necessitate. Quamobrem, sic in Germania nonnulli ēpatus, quos ego uidi, instituti sunt, ut ēps nullus habeat alios fructus præter victum, & honestissimam suæ familiæ in omnibus necessarijs sustentationem dum fuerit præsens, absenti uerò nihil tribuitur. Per hæc vtique de Reuerēdis-

ſimis Cardinalibus epiſcopis cenſendum eſt, ſua enim ſe ipſi lege iudicare debent. Haud enim fruſtrà lege ab ipſo ſacro ſenatu cautum eſt, ne epiſcopi ad illam inſignem dignitatem aſſumã tur, nempe ꝙ iudicarunt reſidentiam epiſcoporum eſſe de iure diuino, cuius idcirco diſpenſationem, niſi alia eiuſdem iuris interpretatio, puta grauitas neceſſitatis, non admittebat. Quę quidem lex uſque adeo ſummo pontifici ſancta habetur, ut nullatenus ſuper illam diſpenſare in animũ inducat. Et nihilominus electo Cardinali commendatur ſine titulo eccleſia, quod, ut lib. iii.dicebam, ſi fas eſt minimo monacho, Chriſtiano tamen de re ſari Chriſtiana, apertam prę ſe fert legis eluſionem; quaſi non tam ſtricto iure obligetur, cui eccleſia commendatur, illic reſidere, ac ſi eſſet legitimus epiſcopus. Aufertur Cardinali eccleſię titulus eo ſolum, ꝙ reſidere non poteſt, & tamen non timetur eandem ipſiſſimo commendare. Vtinam hoc non ſit Deo imponere. Porrò ergo qui diuinum ius conſuluerit, primũ hoc æquiſſimè iudicabit, ut nemo epiſcoporum Cardinalis creetur. At uero ſi contrarium fiat, multo minor eſt culpa imo forſan nulla, ſi ut in ſua eccleſia perſiſtens, nunquam Romam uiſat, quam ut in çuria commoretur, ſuam deſerat eccleſiam. Siquis diœceſim proximam haberet Romæ, quam crebrò uſitare poſſet, & ea eſſet doctrinæ autoritatiſque excellentia ut plurimum ad eccleſiæ bonum referret ſacro intereſſe ſenatui, forſan ſuam poſſet defendere cauſam, hac nanque ratione, ut aiunt, permittuntur ſex epiſcopatus, Romæ circumiacentes, Cardinalibus eſſe mancipati. Extra hos tamen caſus ipſi ſibi viderint, nobis enim non licet os ponere in cœlũ, niſi quatenus ipſi cœli Dominus perſtrinxerit. Huic demum ſententię maximè a ſtipulatur decretum Innocentij III. in cap. Bonæ memoriæ.j.de poſtulatio. prælat. ubi noluit exhibere Cardinalem in archiepiſcopum Rauennatẽ, quia neceſſarius erat eccleſiæ Romanæ. Quo fit, ut niſi in tali caſu, ſcilicet propter excellentiam, tum autoritatis tum etiam ꝓbitatis perſonæ, & propter eccleſiæ uicinitatem, non ſit audienda ſententia Panormitan. ſuper eodem capitu. nempe Epiſcopatum, & Cardinalatum eſſe dignitates compatibiles. Qua ratione in Concilio nuperrimo Tridentino (ut ſupra dicebamus) ubi decretum eſt, nullos epiſcopos excuſari a perſonali reſidentia, adiectum eſt, Quouis gradu uel dignitate fulgeant.

Præter hæc, neceſſitas etiam unius particularis eccleſiæ poteſt

alterius

alterius episcopo charitatis iure in animum inducere, ut illi succurrat, quando id sine detrimento propriæ plebis facere potest. Sumus enim omnes, ut ait Pau. eiusdem corporis menbra, atque adeò cùm singuli aliorum ope indiguerint, mutuò se possunt ac debent iuuare, ut quod in Sybolo de sanctorum communione scriptum est, opere referatur, maximè cùm præstantius mēbrum inferioris auxilium expostulat. Atque hac de causa Pau. Titum ac Timoth. aliósque discipulos nonnunquam à suis ecclesijs abire in alias iussit, propter raritatem, quæ tunc erat similium suppositorum ecclesiæ, & propter necessitatem promulgandæ fidei.

Per hęc respondetur aduersariorum argumentis, fictis potiùs quàm legitimis. Arguunt quippe, nonnunquam episcopos necesse habere ad concilium ire, aliàque pontificis capessere iussa, & Apostolorum discipulos à suis ecclesijs diuagatos. Sed hæc nihil conclusioni aduersantur, sanè cùm residentia propter salutem ecclesiæ sit instituta. Quare ut eidem consulatur fini, ipsum naturale ius ac diuinum eiusmodi exceptiones, non solùm permittit, sed & iubet. Eadem ratione potest episcopus ad infideles in tempus transire & legatus ad componendam pacem, aliùdve id genus exequendum munus ecclesiæ necessarium abire. Secus, si legatio de re esset temporali, quæ per alium posset absolui. Tunc enim abusus esset episcopalis dignitatis in detrimentum ecclesiæ quandoquidem uetitum sit ne Deo militans implicet se negotijs secularibus. Tertium demum causarum genus, quibus potest episcopus nonnunquàm se ecclesiæ suæ subtrahere, est conditio personæ, adiunctis tamen temporis ecclesiarùmque qualitatibus. Vt si raritas esset personarum, quibus ecclesiæ demandari possent, & persona existeret excellenter idonea, & ecclesiæ proximę, quibus fructuosior esset uicissitudo uisitationis talis præsulis, quam perpetua alius residentia. Tunc enim uni personæ duarum possent ecclesiarum tituli commiti. ut patet can. Illud. xxj. q. j. ubi archiepiscopus Tarraconensis permissus fuit episcopus esse Pundensis. Hoc autem accidentarium est, & quàm rarissimè usu contingēs. Pręter hęc de iure concessum est dum parœcia annexa est superiori dignitati, ut qui in superiori ecclesia residet per uicarium seruiat parœciæ, ut habetur in Concilio Lateranen. cano, xxxij. suprà citato, iubetur tamen idoneum & perpetuum habere uicarium canonicè institutum, & uoce perpetuum, designari uidetur ut sit quasi curam habens animarum. In calce demum pręsen-

rum exceptionum sciscitabitur quis forsan, utrum possit Papa præter has causas super hoc iure dispensare, peruia tamen est solutio, quippe quæ ex superioribus planè colligitur. Quem enim opinio tenuerit hoc esse tantum de iure humano, subsequenter respondebit, perinde Papam super hoc dispensare posse, atque super ecclesiastico ieiunio, aut quauis alia id genus lege. Itaq; non solùm poterit interpretari ius, nempe quod ad talem casum non extendatur, uerum & obligationem prosus singularis personæ tollere. Qui uerò ius hic diuinum & naturale confessus fuerit, quod non solùm probabilius, uerùm certo certius est, subsequenter respondebit, pontificem dispensare non posse, sed ius interpretari diuinum ac naturale, scilicet declarando talem casum ab ipso eodem diuino iure excipi. Quòd si quis sic contrà redarguat, Reddere uotum simplex est etiam de iure diuino, super quo tamen Papa dispensare potest, ergo poterit residentię uinculum pariter dissoluere. Negatur consequentia, nam & si redditio uoti manente uoto sit de iure diuino, cuius cõtrarium Papa permittere non potest, tamen quia obligatio uoti nascitur ex peculiari uouentis uoluntate, super illo Papa potest dispensare, uidelicet, ut factum uotum, pro infecto habeatur. Lex autem diuina iubet episcopum residere. Quare dum manet episcopus, per nullam potest pontificis dispensationem ab eodem residendi nexu religari. Vide quanti referat sic, aut sic loqui. Attamen licet in illa uix probabili opinione persistas quòd residentia tantùm sit de iure humano, nihilominus Papa pro libito dispensare non ualet, sed legitima id causa exigente. Neq; aliter ille cum quo fuerit dispensatum, tutò potest eadem dispensatione uti. Iuxta hoc ergo documentum hæsitabit quis forsan utrum ratione ciuilis administrationis reipublicæ possit episcopus licitè in curia regia uel alibi uitam agere. Et arguitur à parte affirmatiua. Primum iuris autoritate in Authenticis suprà citatis, Quomodo episcopo. & de sanctis episcopis permittitur ut possint per annum in curia manere atq; diutius de Cæsaris facultate. Et ratione id patet, quia bonum, quo communius est, eo præstantius. Administrare autẽ rempublicam regni uniuersalius est, quàm ad gubernaculum unius ecclesiæ sedere, ut exempli gratia, si episcopus fiat prorex, aut curiæ præses. Nam uerisimilius est per episcopum eiusmodi magistratus sanctiori fide & iustitia, uigilantioriq; cura administrari quàm per seculares administratores. Et supra hec si fiat generalis fidei pro-

tector aduersus hæreticam prauitatē. nam eiusmodi prouinciæ præfici commodiùs ac decentius nemo potest quàm ecclesiasticus præsul propter illustrem autoritatem ecclesiasticam ad idem munus requisitam, Ad hoc autem discreta distinctione respondendum est. Quòd enim episcopus ob causam componendæ pacis aut aliam non fictam; sed uerè honestam, regia legatione fungatur ad alium principem, Item quòd inquisitor fiat hæreticæ prauitatis, profectò nullum refragatur ius, imò æquitas ipsa suffragatur. Quòd uerò annorum curriculo maneant ciuilibus magistratibus, atque administrationibus mancipati, tum iura citata consentienter reclamant, tum & ratio sublimitatis, ac perinde fidei qua se suis ecclesijs manciparunt, & iustitia insuper suscepti stipendij nullatenus ferre possunt. Primum enim eiusmodi administrationes non solum necessarium non est ut per episcopos fiant, uerùm neque suum statum condecet. Possunt enim in primis uiri seculares illas optimè exequi, Antistites uerò non satis dignè. Cùm Timotheum Paulus admoneat neminem, qui Deo militat, implicari debere negotijs secularibus. ecquis rogo ratum ducat episcopum qui tam sancto spirituali muneri addictus est, in discordijs ac litibus secularibus audiendis, totum tempus prodigere? Quod re uera uel altissimo contemplationis silentio deberet uel suis ouibus docendis educendisque impendere. Euocauerat Romam Nicolaus Papa episcopos quosdam, qui erant apud Carolum Cæsarem, causante uerò Imperatore quòd contra maritimos piratas inuigilarent & ideo ire nō possent, respondet, ut patet. xxiij. quæstione octaua, quòd reprehensibile id ualde esse constaret, nam cùm militum, inquit, Christi sit Christo seruire, milites seculares debent seruire seculo. Potissima tamen ratio quæ huic abusui reclamat, est, quòd etiam si eiusmodi munia meliùs ac salubrius per episcopos quàm per alios exhiberentur, non tamen hoc est talentum quod Deus illis augendùm commisit, neque id quod eis iussit, & pro quo tam ampla decimarum stipendia ipsi percipiunt, neque de quo rationem est ab illis exacturus. Quid enim particulares ecclesiæ reipublicæ ciuili debent, ut tantam decimarum copiam pro seruitio rependant, quod episcopi non sibi sed seculo impendunt? Aut quomodo dum Christus ab illis in die iudicij effusi sanguinis sui rationem repoposcerit, quo animas redemit, quas illis seruādas confidit, respondebūt se alijs uacasse negotijs, nō sibi ab ipso commissis? Perpndant si rex

a ſuo duce male ducti exercitus rationem interrogaret, cui ille reſponderet,rei aulicæ dediſſe operam,quomodo reſponſum fer ret. Si qui in agone ſeculari contẽdunt, ſe ab omnibus abſtinẽt, vt ad Corinth.9.ait Paul. vt ſe totos ſuo muneri tradãt, qui Chriſto tam inſigniter militant, perpende quàm ſe debeant a cunctis alijs ſubtrahere,vt tanto negotio integri adſint? Et ſi qui inuitati ad nuptias male in Euangelio ob id audiunt, quòd quia vel villas,vel iuga boum emerant conuiuium detractauerant, quanto putas peius ſint apud Deum audituri præſules, qui ad conuocandum conuiuas miſſi ſunt, imo qui ſecundum Chriſtum ſponſi, & ipſi exiſtunt eccleſiæ,qui ſunt conuiuium celebraturi, ſi alijs ſeſe mancipent negotijs, quibus illa, vel defraudetur, vel remittatur cura? Regi Oziæ,vt legitur.2.Paralipo.26.conuitio,& ſacrilegio dabatur,quòd thuribulo incenſum adoleret Domino. Cui ſacerdotes improperantes aiebant, Nõ eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum. Sed longe iuſtius vice verſa ſacerdotibus, ac maxime epiſcopis opprobrio tribuendum eſt, quòd officium ſuũ adoleſcendi incenſum deſerentes, thurificent ſeculo. Non enim eſt ille ſpiritus, quem Deus illis dum conſecrãtur,ſuggerit,ſed quo ſpirituales proles progignant ac nutriant. Audi Moyſen Numeror. vndecimo, quanta verborum ſignificantia ſimiles curas quas Deus animarum paſtoribus committit, exaggeret. Cur enim inquit,poſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinẽ, vel genui eam,vt dicas mihi, Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum; & efferes in terram, pro qua iuraſti patribus eorum? Profecto multo maiorem curam,& ſolertiam requirit Chriſtus a præſulibus, animabus quas ſuo ipſe ſanguine ꝓgignit,impendendam; ad quod proprie ſpiritum fauoremq́: ſuppeditat. Quocirca illic ſtatim ſubditur; Cõgrega mihi ſeptuaginta viros.&c.& auferam de ſpiritu tuo,tradamq́; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. Aliqui volunt imminutum fuiſſe tunc ſpiritũ Moyſi,ſed forſan,vt ſupra dicebã,non ille eſt ſenſus, quandoquidem illi non fuit culpa auxiliares ſibi poſcere; & ideo neque pœnam commeruit. Sed ſenſus eſt fortè, Auferam, id eſt,capiã eiuſdem generis ſpiritum,quem illis infundam. Nam,vt ait Paulus, diuerſa ſunt gratiæ,& ſpiritus munera, quę Deus ſuis diſpertitur iuxta officiorum neceſſitatem,quæ illis committit. Quare in epiſcoporum conſecratione ab ipſo petitur, vt ſuper eum qui con

ſecratur,

ſecratur,de oleo ſacerdotali infundat.Horum ergo meminimus vt epiſcopi intelligant non ſibi diuinitus aliam gratiam, & fauorem atque ſpiritum impertiri,quàm quo ad ſuam regendam eccleſiam opus eſt. Sed humanę appetentię & conatus ſunt, qui illos in alia ſecularia negotia ſubmergant; ut nauim, quam illis Deus ceu proretis,vt ait in quadam epiſtola Clemens, ad regendum concredidit,ſubmergi ſinant. Neq; vero diffitendum eſt, hanc peſtem quę eccleſias præſentia ſuorum paſtorum expoliat, inde latius inrepſiſſe, ex quo epiſcopi a ſuis capitulis eligi deſierunt,cœperuntq; in curijs,vel Romana,vel regijs creari.Nō quidem eſt,quod prorſus contra principum indulta obmurmurem. Nam eo iam vſque euaſit humana malitia,vt ſi penes capitularia collegia poteſtas electionis duraret,omnia eſſent diſcordijs plena,cruentisq; diſſenſionibus dilacerata.Sed tamen quia,vt eſt humanum ingeniū, nullum remedium rebus adhiberi poteſt,quod ſecum non aliquid incommodi afferat,inde cœperūt curiæ, tum Romana,tum potiſſimum regiæ epiſcopis crebreſcere, qui ſponſis pauperioribus neglectis cum ditioribus adulteria committere ſemper inhiant. Quod quidem malum non eſt recens. Hac.n. de cauſa,ut Hieronymus in epiſtola citata ad Ocea. refert in cōcilio Nice.cautum fuit,ne iſti epiſcoporum aſcenſus eccleſiarūq; cambia permitterentur. Porro autem quo ad finem iam demum quæſtionis properemus, ex huiuſmodi epiſcoporum,tum abſentia a ſuis eccleſijs,tum frequētia in curijs,cœpit,vulgus eorum dignitatem deſpicari. Cœptum inquam eis eſt & a ſecularibus parum reuerentiæ,& a clericis minus obedientiæ exhiberi,& a ciuilibus curijs,& foris plurimum iudiciorum adimi. Nam,vt ait ſuper vltimum ca ad Heb. Athanaſius, quemadmodū neceſſe eſt, vt pręſidentibus populus obſequentem ſe præbeat, ita & ſacerdotem oportet,vt aliorum animas curet,& noctes ducat inſomnes. Aequiſſima ergo eſt vindicta, vt qui ſuum negligunt locum, ſenſim de illo decidant. Hęc enim vltio fuerat de ſacerdotibus a Malachia præcantata cap.2.ubi ait;Et nunc ad uos mandatum hoc,ò ſacerdotes; Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris.Ecce ego proijciam a vobis brachium (ſeu armum) & diſpergam ſuper vultum veſtrum uentriculum ſolēnitatum veſtrarum. Et infrà:Ego dedi vos contemptibiles,& humiles in omnęs

gentes

gentes pro eó quòd non custodistis vias meas. Perpende maledi ctiones: Mittam in vos egestatem, hoc est, subtraham vobis doctrinę lumen, & gratiæ fauorem, quibus vberes fructus ferre soletis in populis. Et maledicam maledictionibus uestris. Fortasse idem est. Nam sacerdotum benedictiones sunt fructus, quos populus per ipsorum doctrinam, & fauorem captat. Quare maledicere benedictionibus, est, vt malignos fructus ferant. Quamuis etiam si ad sacramenta id referatur, quodammodo verum est. Nam etsi sacramentorum fructus mali esse non possint, tamen sæpe cum per ignaros, & auaros dispensantur, non tenent; nempe ordines quos conferre attentant propter irregularitatem, non uere conferunt, & crebro quos non possunt, a delictis absoluũt; quod sæpenumero propter absentiam prælatorum accidit. Adde, quòd maledicere idem quoq; sonare potest, quod permittã vt maledicantur. Quod lamentabili vsu accidisse in Germania, & Anglia, atque alijs regionibus experti in malum nostrum sumus. Nam propter ignauiam, & perniciosissimam episcoporum aliorumq; pastorum incuriam cuncta sunt hæreticis plena, qui sacramenta omnia execrantur, blasphemiisq; conspurcant. Vnde sequitur; Et ecce proijciam a vobis brachium, seu armum, quod est robur dignitatis uestræ, & regiminis baculum. Ac demũ dispergam super vultum vestrum ventriculum solennitatum vestrarũ.

Alia litera pro ventriculo, impudentiori uoce, sed tamen significantiori, habet, stercus. Et fit illusio ad Mosaica sacrificia, quibus animalia mãctabantur. Nam iam apud hæreticos adeo sacramenta nostra fœtere cœperunt, vt sacerdotum vultus stercore sordescere existimentur. Simile est apud alium Prophetam; nempe Zachariæ 11. O pastor, & idolum derelinques gregem. Ad viuum profectò exprimit naturã ingeniumq; pastoris derelinquentis gregem. Est.n.nil aliud q̃ pastoris idolum, nempe imaginem tantum præ se foris gerens, & personam pastoris, vt sculptus lapis, re tamen ipsa carens. Gladius super brachium eius; hoc est, super regiminis potestatem, & super dextrum oculum eius, putà super rectum sensum, & iudicium. Nam postquã libido sua eos cogit eccl'iæ gubernaculũ deserere, illicò eis suadere incipit nõ ea obligatione teneri, quã sapientes docẽt, quod est oculũ dextrũ eis eruere. Vtinã ille, qui lux uenit in mundũ, quotquot super cãdelabrum ecclesiæ suæ erexit, sic illuminet, & inflammet, ut iura sui muneris, tum clarè cognoscant, tum & charitatis ardore moribus

ribus exhibeant. Argumenta ergo in fronte quæstionis proposita, quoniam ad id militabant, quòd neutiquam episcopo liceat de diœcesi sua decedere, facilimæ sunt solutionis. Ad primum enim respondetur, quòd non omnis qui à sua ecclesia sese in tempus aufert, fugere ut mercenarius censetur, sed ille prorsus qui ob peculiare commodum id facit, uidelicet, salutem spiritualem populi corporali suo posthabens, secundùm illud Gregorij in eadem homilia. Stare in periculo ouium nõ potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quęrit. Et ideo opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Ille ergo qui absque detrimento gregis recessu suo periculum sibi cauet, non est mercenarius. Pariter ad secundum, ex Prouerb. vj. respondetur, quòd qui fidem suam alteri spondet, si legitimè est impeditus, satis per alium seruit. Ad tertium denique respondetur, quòd cùm episcopus in altiori sit gradu perfectionis quàm monachus, dum ab illius functione impeditur, non tenetur se religioni mancipare.

TAMETSI pro captu nostro disputationem hanc & fortè prolixiùs iusto absoluerimus, nõ suppudebit fragmenta quarundam epistolarum Athanasij subscribere, quæ ante nos alij, tum traduxerunt, tum præsenti quæstioni appensas curarunt. Sunt enim profectò dignissimæ, quas præsules uniuersi cordi altissimè haberent impressas. Quem ergo legere non pigebit, eundem profectò neque pœnitebit legisse, qui uerò tædio iam fessus legere recusauerit, non grauabitur scriptas habere. Sanè ut constet quàm hæc qñ fuerit antiqua, quàmque sanctissimis illis patribus affirmatiua eius ueritas, sanctissima, quàmque duxerint episcoporum residentiam ad animarum salutem & perpetuitatem Christianismi necessariam. Irrepserat enim iam tunc mos ut episcopi Imperatoriam urbem Constantinopolim, cuius Athanasius patriarcha erat, frequentarēt. Primam ergo scripsit episcopo Cretæ, qui dum absens à sua esset ecclesia, proponebat illuc proficisci, quod quidem propositum pręcipuis laudibus & rationibus commendat. Charissime enim inquit, mi frater & comminister, gratia tibi & pax à Deo. Consilium istud tuum ac uoluntas quæ ad aures meas perlata est, fortis uirilisque animi, ac sursum tantum aspicientis, uerè ac legitimè certantis, & nomini ac uocationi suę respondentis uisa est, non autem mercenarij, & fugientis, nõ solùm si lupum uideat, sed si uulpem, unde gregi Christi principis pasto

rum damnum erect,& animæ suę infinitos præparet cruciatus. Attende uerborum emphasim. Et sequitur, Cur enim iste, scilicet, qui in sua non permanet diœcesi, non potius uitam priuatam uiuere maluit, si cogitabat succumbere, séque, nō oues pascere, pro quibus sanguinem suum Christus profudit? Quemadmodū non uenit huic in mentem eius, qui maledicto eum affecit qui opus Domini facit negligenter? Quanuis facere nomine simulet, in cuius alioqui animo insidet, quod de insipiente scriptum est, qui dixit in corde suo, non esse Deum. Neque enim Deum ponunt, qui hæc in conspectu eius facere audent. Audi. Deum nō ponunt, quia eum factis esse negant. Ex quorum numero & ordine faxit Deus ne simus, adscribátq; nos inter fideles dispensatores, concedátq; benignè, ut prę stò simus principi pastorum ad perficiēdum quæ oportet, ponamusque animas pro ouibus eius, qui simul id & exemplo demonstrauit & edicto sanxit. Præceptum ergo in uerbis Christi Ioan. decimo, agnouit. Et paucis interiectis, Quamobrē, inquit, ueris pastoribus nō est tutū nō uigilare, & nō circūquaq; omnia lustrare ouesq: erātes solū quærere, ac nō magis solicitos esse pro ijs quæ non errant, perterritos horū temporum tenebris, quæ iusto Dei permissu ac iudicio nobis illatę sunt, quia scilicet non ita uiuimus, ut eum decet, qui nos uocauit. Sed ò animarum nostrarum detrimentum. O ingentes pœnas nobis ob nostras libidines, & perturbatas uoluntates, quę hoc malum pepererunt, infligendas, hoc inquam malum, ut gens sancta, per omnes campos & montes uitio pastorum absentium dispersa ac dissipata esset. Debent ergo hoc facere (hoc est in suis diœcesibus residere) omnes boni pastores, quicunque hoc nomine digni sunt, ita ut qui cessarit, non sit impunè cessaturus. Etenim si quisq; pastor in diœcesi quæ sibi obtigit, uel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna non esse futura in populo. Perinde nanque esse uidetur gregem abesse à pastore, ut cæcum duce carere. Sanè augentur oues, & in tuto sunt, cùm præsunt ueri pastores, non autem qui solùm ebibant lac, & lana tegantur, omnique studio, & arte seipsos, non oues pascant. Hæc atque alia id genus multa in illa epistola. Secundam misit episcopo Sardensi, ubi statim à proloquio sic incipit, Scio te non ignorare, quę à sanctis Apostolis de constitutione rerum ecclesiasticarum sancita sunt. Ex quibus vnū est, quisq; pastor, intra suos fines insistat propter pacem, & charitatem, quarum est Iesus arctissimum uinculum,

quod

quod solui non potest. Scis præterea, ut quales nos essemus, appareret, quibus nobis verum pastorem designantibus magnus ille Pontifex Christus munus pastoris definierit: nempe mutua in illum charitate. Alludit ad illud, Diligis me plus his? Deinde non ignoras ornatum egregij pastoris, qui sit animas suas euidenter cogniturus, hoc est de facie: de quo in Prou. scriptum est, quòd bonus pastor de facie cognoscere gregem debeat. Et infra: Intellexisti etiam quis sit mercenarius, & qualis, de quo pudet me tum dicere, tum tacere, cum satis ipse status temporum, & rerũ, eum ostendat, atque coarguat. De quo si attente audiã prophetas, cum in mei similes pastores his uerbis inuehuntur, Pastores pascunt seipsos, non oues. Et illud. O pastores qui perditis oues pascuæ. Item, sacerdotes legem Domini occultarunt, & legem meam uiolarunt, & sancta mea profanarũt. Item illud, Lanis ouium indui, & mactare, quod pingue est, lac bibere. Hęc inquam attente audiens, quid faciam, ne metuam eos, qui me redarguunt, & clare ob oculos mihi ponunt, qualis sim? Quæ si fabulas putat, qui ignem illum extremum non intuetur, mihi fabulæ non certe, sed ita horribilia omnia esse videntur, vt horrore exedant, cõsumantq́; medullas. Neque tamen curamus facere pro uiribus, ne propter aliquod ex his vitium, ac scelus, constricti vinculis arctissimis, pœnis sempiternis afficiamur. Sed quod subinde sequitur, est notatu dignum. Ait nanque, quòd cum a principio constitutum esset, vt bis quoquo anno synodus haberetur, postea cõmodius uisum est haberi semel, ne oues propter crebram absentiam pastorum facile a lupis inuadi possent. Vide quantę illis patribus curæ erat residentia, vt eius gratia a synodo celebranda abstinerent. Et sequitur ad mores nostrorũ temporũ accõmode contra illos ep̃os, qui desertis suis gregibus in curia Constantinopolitana versabantur; de quibus ait, deniq; maluerunt breui uoluptate contenti carni indulgere, q̃ cum populo Dei laborare contẽptis legibus diuinis, quæ prohibent ne paulisper quidẽ impune a grege abesse. Ausculta, lege diuina eam sic esse iussam residentiã, ut ne paulisper quidem liceat impune a grege abesse. Et subdit; Ac nisi, ut Apostolus ait, inimicus uiderer, uerum eloquens, possem aliquid uere dicere; Quid, quaso, iuuat istos episcopos, & pastores in urbe morari, nisi (ut omittã alia) ut patriarchas, alios moueant, alios eligant, ne si idem diu sit patriarcha, res omnes ecclesiasticę compositę sint; quod præclarum facinus ex eo tempore

facere isti consueuerunt, ex quo Constantinopoli potiti sumus. Quod quidem cum reliquis malis non est ambiguum, & incertum, quin iram Dei nobis augeat. Certum enim est pastores, qui gregem negligunt non impunitos inultosq; discessuros, tamen si fortasse non ita videatur iis, qui sponte velamen obtendunt, ne limatam Euangelij ueritatem aspiciant. Hæc ille. Et in illa tertia epistola ad episcopum Apameæ, inter alia sic illum admonet. Vt debet verus episcopus, resideas sancte ad sanctam aram, de qua tibi participandum est, sicuti Dominus pronuntiauit, dignum esse operarium mercede sua. Quamobrem non est existimandum, licere tibi diu quauis de causa abesse, quin potius faciendum tibi est, ut celeriter ire possis ad eam ecclesiam, quæ tibi addicta est, & commendata vt ei præsis. Sed in alia ad eundem, quæ quarta est, uerba etiam num maioris emphasis accumulat. Ait quippe: Ego verò eum, cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, non usque ad sanguinem ei studere, & incumbere nisi fortè ignoraueris Deum esse, qui dixerit, Petre amas me? pasce oues meas. Sed hei mihi, non iam pastores oues pascunt, sed ouibus tanquã pane pascuntur, iam horribilia illa mala pastorum, quæ propheta Ezechiel describit, summa licentia irrepserunt. Quæ si talia tamque grauia uobis uidentur, agè optime vir, contentus esto tua diœcesi, permane in ea, fac sis cum ouibus tuis, ut usque ad sanguinem illis affixus, quas quidem nunc in frutetis, inter ficus & rosas, atque in montibus diuina prouidentia custodit. Neq; enim quod certissimum est, uirga, & baculo tuo pastorali fit ut in pascuis virentibus pacis, & bonorum cœlestis Hierusalem eæ sint. Scis enim qui amplius sex mensibus a diœcesi abfuerint, nisi eos grauis moribus teneat, canonibus, & legibus firmatum esse, vt sacerdotium, & gregem amitterent. Verum nouum consilium, & sceleratum hic a nostræ ætatis hominibus excogitatum est, scilicet, mittitis aliquem, qui sciat mulgere gregem, ipsi uerò in urbe Constantinopoli spectatis propter præfecturas ciuiles, subscriptiones, intempestiuas ordinationes, adde etiã bullas, & decreta. Nostra hæc sunt tempora. Et tamquam impunè sit vobis futurum, ita procul a diœcesis vobis commissa receditis, & alia huiusmodi vt cuique libet committitis, oportebat potius cunctis episcopis vndique in unum congregatis, suam cuiq; diœcesim funiculo distributionis circunscribi, atq; ita patriar-

chæ

chæ partem suam à vobis assignari, aut vos a patriarcha priuari.

Alias præterea de eadem re subnectit epistolas, quas ne fastidio esse persistam, missas faciam. Sed & ad Imperatorē, qui Cōstātinopoli sinebat epos degere, nec cogebat eos ad suas eccl'as abire, multa ēt cōmemorat; inter quæ ait; Si tu oues pastori cōmitteres, deinde illas quidem derelictas cerneres, illū uero quieti suę, suisq; cupiditatibus indulgere, & seruire, dic obsecro, relinqueresne pastorem impunitum? Non patimur oues, & pecudes impune negligi, & patiemur pastores animarum impune seipsos pascere, non oues? Quid quæso apud Deum excusabimus? Vtinā ne illud nobis exprobretur, omnes quærunt quę sua sunt, nō quæ Iesu Christi. Deinde aliam de eadem re ad eundem hoc tenore subtexit; Si uerum est, quod dici solet, qui gregem pastore priuat, vtriq; periculū creare, profecto graue supplicium manet eū, qui pastorem arcet ab ouili; debetq; qui pastor est, vsq; ad sanguinē pro grege Christi non relinquēdo labores perferre, nisi cū opus fuerit; in synodo singulis annis ad agendum de rebus necessarijs paulisper abesse. quibus conclusis, celeriter redeundum illi sit, si crediderit se redditurum rationem summo pastori Christo, & si dignus est nomine pastoris. Nisi forte etiam propter necessitatē ad vtilitatem animarum pertinentem, ab Imperatore, aut à patriarcha statim redditurus uocetur. Quòd si aliter epis aut Imperatori videatur, siue quid secus fiat, minime ipse sequar, neq; assentiar ullo modo. Neque enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum; sed rationes reposcet de veritate, iustitia, diuinisq; legibus, & statutis. Ac demum in alia breuiori sic habet: Memento scripturæ, quę iubet contristari potius homines quàm Deum, tibi uero Imperator, cur graue uideatur iustitiam, temperantiam, misericordiam populis tuis sancire, & inde non modo nullum incommodum reportare, sed potius operibus bonis conciliare Dei misericordiam? Quid iustius, q̄ si episcopus quisque iubeatur, uelit nolit, ad diœcesim suam redire? an non hoc debitum soluere tenentur? idq; canone sancitum est? Video fusius rem hanc deduxisse quàm cuiquam forte par censebitur; haud me tamen prolixitatis pœnitet.

FINIS.

REGISTRVM.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ

AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR SSS

Omnes ſunt duerniones.



VENETIIS,

Ex Officina Iordani Ziletti, Ad signum Stellæ.

M D LXII.